PA
27

3 1761 06380176 5

GODOFREDI HERMANNI

OPVSCVLA.

VOLVMEN TERTIVM.

LIPSIAE, APVD GERHARDVM FLEISCHERVM

1828.

22438

PRAEFATIO.

Qui de primis duobus horum opusculorum voluminibus in diariis litterariis retulerunt viri docti, eorum unus iure desideravit anni notationem, quo edita est prima omnium dissertatio, quae est de fundamento iuris puniendi. Est is annus CIↃIↃCCXCIII. Audio eam dissertationem a quodam, qui memoriam scripsit Christiani Danielis Erhardi, quem in ea defendenda praesidem habebam, huic esse tributam. Tota mea est, neque ullum in ea verbum, quod ab Erhardo profectum sit. Et dissentiebat ille a me de notione et fine poenae. Me meae sententiae nondum umquam poenituit. Vidi enim etiam celeberrimis auctoribus accidisse, ut, quum fere vel talionem vel ultionem vel castigationem cum poena confunderent, officium aliquod puniendi potius, quam ius commonstrarent. Quae notionum diversissimarum commixtio etiam ad reiiciendas poenas capitales aliquid momenti habuit, quas qui iniustas esse censent, vereor ne, si constare sibi volunt, nulli omnino poenae locum relinquant.

Ab eo qui in Annalibus Berolinensibus de his opusculis loquutus est, didici, in versibus Aeschyli, quos in dissertatione de Glaucis, vol. II. p. 64. ex Eustathio attuli, per errorem scriptum esse ἐμβριμωμένας pro ἐστομωμένας. Nimirum scribenti mihi illos versus obversabatur similis locus in Sept. ad Th. 467.

ἵππους δ' ἐν ἀμπυκτῆρσιν ἐμβριμωμένας.

Tertii voluminis pars ea in qua est dissertatio de Sogenis victoria quinquertii, iam erat impressa, quum mihi Georg. Frider. Philippus commentationem, qua diligenter de quinquertio explicavit, donum misit acceptissimum. Is etsi mihi non videtur effecisse, quod volebat, ut ordinem certaminum in illo genere eum, qui aliis Pindari interpretibus placuit, obtinuisse vinceret, tamen et de tribus discis a Pausania VI. 19, 3. commemoratis, et de τριαγμῷ in quinquertio ita disseruit p. 50. seq. et 105. ut gratiam ei habeam, libenterque mutem, quae p. 30. et 35. scripsi. Nihil tamen illa ad Tisamenum.

Contra dissertationem de Aeschyli Heliadibns quae F. G. Welckerus in Diurnis scholasticis P. II. n. 30. et 31. scripsit, ea legi, sed nihil ad me attinere arbitror.

INDEX OPVSCVLORVM.

pag.

I. Euripidis fragmenta duo Phaethontis e cod. Claromontano edita 3

II. De Sogenis Aeginetae victoria quinquertii 22

III. De Aeschyli Niobe 37

IV. Epistola ad Ferd. Steinackerum 59

V. Epistola ad G. Seyffarthum 68

VI. Praefatio ad Homeri Iliadem 74

VII. Praefatio ad Homeri Odysseam 79

VIII. De epitritis Doriis 83

IX. De emendatione per transpositionem verborum . . . 98

pag.

X. De Aeschyli Philocteta 113

XI. De Aeschyli Heliadibus 130

XII. Adnotationes ad Medeam ab Elmsleio editam. . . 143

XIII. De Rheso tragoedia 262

GODOFREDI HERMANNI

OPVSCVLA

VOL. III.

EVRIPIDIS FRAGMENTA DVO PHAETHONTIS E COD. CLAROMONTANO EDITA *).

Si satis ieiuna commentatione vitis vestris praeluditur, Ma- 3
gistri doctissimi, ita velim existimetis, etiam huic generi suum esse pretium. Pleraque enim in litteris eiusmodi sunt, ut priusquam suavitate eorum frui quis possit, aliquid molestiae vel etiam taedii exhauriendum sit. Dicam, qui factum sit, ut in hoc argumentum inciderem. Im. Bekkerus, cuius viri multam et humanitatem et liberalitatem expertus sum, quum ex Gallia et Britannia Berolinum rediens Lipsiam venisset, communicavit mecum fragmenta Phaethontis Euripidei, Parisiis e codice Claromontano a se descripta. Quae ego quum valde corrupta esse animadvertissem, seposui tractanda, si quando otio abundarem. Nuper vero, allato mihi novissimo volumine Diarii classici, in quo eadem fragmenta G. Burgesius edidit, quum huius coniecturis non multum profici viderem, ipse aliquot horas huic rei impendi, quumque edenda mihi aliqua dissertatio esset, iam in eo eram, ut aliquid de his versibus conscriberem, quum ex Frid. Osanno, qui Berolino Ienam

*) Scripta est haec dissertatio a. 1821. Adverterunt haec fragmenta Goethium, quamvis grandaeva in senecta non cithara carentem. Iuvabit contulisse, quae scripsit in libro cui indicem fecit *Kunst und Alterthum* vol. IV. parte 2. et vol. VI. parte 1.

se conferens me visum venerat, accepi, H. Hasium, Philos. D. qui Dresdae asservandis antiquis statuis praefectus est, diligenter ad ipsum codicem expressa descripsisse fragmenta illa. Itaque hunc virum, cuius nota mihi erat humanitas, rogavi, ut huius exempli mihi copiam faceret. Talia enim qui emendare aggreditur, figuras litterarum, quales in codice sunt, cognitas habere debet. Ab Hasio non solum liberalissime mihi missum est apographum illud cum exemplo dissertationis, quam, ut Analectis litterariis Wolfii insereretur, scripserat, sed etiam per litteras compellatus A. Matthiae, cui Hasius aliud idque accuratius
4 etiam apographum, ab affine suo, Hasio, qui bibliothecae Regiae Parisinae praefectus est, cum ipso codice iterum iterumque collatum, dederat. Hinc Matthiae quoque, quae est eius erga me voluntas, ultro ac prius, quam litterae, quibus eum adirem, ipsi redditae erant, mihi scripsit, asservari illud apographum una cum dissertatione H. Hasii et suis aliquot emendationibus Berolini apud Wolfium, a quo illud repeterem. Wolfio ea res ex memoria exciderat, sed quum accepisset, delitescere ista scripta apud Nauckium bibliopolam, reddita sibi remisit Altenburgum: unde ea statim Matthiae mecum communicavit. Ita factum est, ut horum virorum favore promptaque voluntate copia mihi fieret ex ipsis litterarum figuris coniectandi, quid scriptum esset in codice. De eo codice, cuius duo postrema folia, in quibus haec Euripidis fragmenta scripta fuerant, reciso imo margine magnitudini codicis aptata, rescripta sunt, deleta veteri scriptura, disseruerunt, quos nominavit Hasius, Wetstenius in Prolegom. in N. T. vol. II. p. 6. vel ex Semleri editione p. 544 seqq. Michaelis, *Einleitung in die Schriften des N. B.* vol. I. p. 594 seqq. Griesbachius in Symb. crit. vol. II. p. 51. et inde Hugo *Einleitung in das N. T.* vol. I. p. 241. atque ipse Hasius in epistola ad Gailium, in eius libro, cui index *le Philologue*, vol. IV. scripturae, quae in codice est, specimine in primo volumine exhibito.

Mihi igitur quae adiumento fuerunt, haec sunt: primo quae Bekkeri diligentia eruit, quem legendis codici-

bus exercitatissimum, ita omnia recte legisse apparet, ut perpauca sint, in quibus oculum fugientes litterae eum fefellisse videantur; deinde apographum illud, quod in adnotationibus prioris nomine distinxi, quod Matthiae mihi misit, iterum iterumque, ut supra dixi, cum ipso codice collatum; alterumque, ab H. Hasio mihi missum, cuius dissertatio magis in describendo codice, quam in emendandis fragmentis versatur. Vtrumque apographum ipsis litterarum figuris ad codicis exemplum pictis, sine medicamine factum est: unde factum coniicio, ut versibus et verbis nonnullis, quae Bekkerus dedit, in iis vacuum spatium relictum sit. In priore litterae, quae lectu dubiae sunt, asteriscis notatae. Denique quae A. Matthiae emendavit, quae non tam emendationes, quam declarationes scripturae sunt, in apographis illis ambiguae. Vnde fere nihil aliud continent, quam quod etiam Bekkerus dedit. Folia illa duo codicis non iusto ordine iuncta sunt. Pars enim ea tragoediae, quae prior est, incipit fol. **162.** verso et continuatur fol. eodem recto; pars posterior incipit fol. **163.** verso et continuatur folio eodem recto. Scripturam in adnotationibus indicavi litteris capitalibus, sed, qui iudicare de scriptura codicis volent, meminisse debebunt, tenuiores ductus, quales fere sunt, qui transversi currunt, in apographis aut nullos aut ambiguos esse. Itaque litterae *H*, *Π*, *M*, *N* saepissime duplicis *I* speciem praebent, *Π*, ut, ubi plures harum litterarum continuae sunt, admodum ambigua distinctio sit. Porro litterae *Γ*, *I*, *T*, *Υ*, *P* facillime confundi possunt. Quarum *Υ* et *P* plerumque eo discernuntur, quod longiore recta linea sunt, quam *Γ*, *I*, *H*, *Π*, *M*, *N*, *T*, et infra versum aliquantulum descendunt. *Υ* ab *I* etiam eo differt, quod in summo in duas tenues lineas, ut *ν*, finditur, quae ipsae interdum obscuriores sunt. Maxima etiam similitudo est litterarum *Λ*, *Δ*, *Α*. Porro rotundae sunt *E*, *Θ*, *O*, *C*, quarum tantilla differentia est, ut saepe vix dignosci possint. Denique *Ω* et *Φ* perexiguo discrimine discedunt, quum *Ω* eamdem formam habeat, quam *Φ*, nisi paullo minore linea recta. Auget difficultatem emendandi, quod

codex hic illic vitiose scriptus est, id quod correctiones minio suprascriptae indicant, quae iisdem sunt litteris, et, ut videtur, ab eadem manu, quae codicem scripsit, factae. Hae medicamini veterem scripturam delentis fortius, quam atramentum, restiterunt. Visum est tamen, fragmenta, quo facilius legi possent, statim emendata dare, adnotata scriptura codicis.

Burgesius unde fragmenta ista acceperit, non dixit. A Bekkero tamen accepisse puto, siquidem nonnisi in paucissimis aliam scripturam, quam Bekkerus, exhibuit, saepe tamen pravis accentibus. Ipse perpauca attulit, quibus uti quis possit. Dolendum est enim, hunc virum simillimum esse nostrati Bothio. *Utrumvis recte noris,*
6 *ambos noveris.* Adeo uterque ingenio suo abutitur temere omnia tentando potius, quam quidquam accurate pensitando.

De fabulae argumento diligentius quaerere nunc nolo. Ad haec fragmenta intelligenda satis est scire, Clymenen, quae ex Sole clam Phaethontem pepererat, Meropi, regi Aethiopum nuptam esse, Phaethontemque pro filio Meropis haberi. Cui quum, ut Ovidius narrat, de origine sua dubitatio iniecta esset, a matre, unde natus sit, accipit, Solemque ipsum ea de re adire iubetur. Hinc, ut alia fabulae fragmenta ostendunt, fatalis casus Phaethontis sequebatur, cuius ambustum corpus matri affertur eo ipso tempore, quo Merops nuptias filii instituebat. Deam, vel dearum cuiuspiam filiam ei destinatam uxorem fuisse, verba poetae docent. Sed quae illa sit, ego tanto minus vereor mihi ignotum profiteri, quod etiam Boettigerus, vir veteris mythologiae scientissimus, interroganti mihi non cognitam sibi hanc Phaethontis sponsam esse respondit.

I.

Μνησθεὶς ὅ μοί ποτ' εἶφ', ὅτ' εὐνάσθη, θεός,
αἰτοῦ τί χρῄζεις ἔν· πέρα γὰρ οὐ θέμις
λαβεῖν σε· κἂν μὲν τυγχάνῃς, σάφ' ἴσθ' ὅτι 7
θεοῦ πέφυκας· εἰ δὲ μή, ψευδὴς ἐγώ.
Φ. πῶς οὖν πρόσειμι δῶμα θερμὸν Ἰλίου;
Κ. κείνῳ μελήσει σῶμα μὴ βλάπτειν τὸ σόν.
Φ. εἴπερ πατὴρ πέφυκε, κοὐκ ἄλλως λέγεις.
Κ. σάφ' ἴσθι· πεύσῃ δ' αὐτὸ τῷ χρόνῳ σαφῶς.
Φ. ἀρκεῖ· πέποιθα γάρ σε μὴ ψευδῆ λέγειν.

---

1. Incipit folium codicis 162. versum. Scena, cuius hoc fragmentum est, non longe a principio fabulae fuisse videtur: unde carmen chori, quod sequitur, parodum fuisse verisimile est. Colloquuntur Clymene et Phaethon, cuius persona in codice ad v. 5. minio litteris *ΦΑΕ* adnotata, in quattuor sequentibus autem versibus vices personarum lineola tantum indicatae sunt. Ita dedit etiam Bekkerus, sed lineolas istas Burgesius omisit, nec personarum nomina adiecit. Versum primum ita, ut eum dedi, exhibuerunt Bekkerus et Burgesius, de quo deinceps tacebo, nisi ubi ab eo Bekkeri scripto, quod in meis manibus est, discedit. Apographum prius *ΕΙΠΕΟΤΜΑ*, alterum *ΕΙΠΕCΥΠΑ*, in utroque ante quintam litteram minio insertum *O* cum accentu acuto, et sequenti litterae additus apostrophus, item in *A* positus acutus. Syllabae *σθη θεος* desunt.

2. Ita Bekkerus. Apographa *ΠΕΡΑΙΓΑΡΠΟΚΑΙΑ*, ultima littera deficiente, et quattuor praecedentibus dubiis. Minio *Π* in *O* mutatum et post eam litteram *Υ* insertum.

3. Bekkerus, *τυγχάνῃς ε . . . .* Vnde idem coniecit *ἐτητύμως*. Apographa *ΙΥΙΧΑΛΙΙΙΩΑ ΩΝ*. Mihi in his vestigiis potius *σάφ' ἴσθ' ὅτι* latere videbatur, idque reposui.

5. Vltima in apographis sic scripta *ΔΩΜΛΙΘΕΜΟΝΝΑΙΟΥ*.

6. Apographa *ΜΕΑΗCΩCΩΜΑΜ ΒΑΑΙΠΕΙΝΙCΩ*.

7. Bekkerus, *ἐπεὶ πατὴρ πέφυκεν. οὐ καλῶς λέγεις*, ad primam vocem ex correctione supra scriptum notans *εἴπερ*. Apographa *ΕΙΠΕΙΤΑCΙΙΙΙΕΦΥΝΕΝΟΥΚΑΚΩCΛΕΙΙΙ*: quarta littera minio in *P* mutata. Emendavit Burgesius.

8. Apographum prius *ΑΥΤΟΥCΧΡΟΝΩ*, in altero deest *Υ*, in utroque *C* minio in *O* mutatum.

9. Apographa *ΠΕΠΟΙΜΑΙΑΙCΕΜΗΨΕΥΔΗΕΙΝ*^{N}, ultimum minusculum *N* minio additum.

ἀλλ' ἕρπ' ἐς οἴκους· καὶ γὰρ αἴθ' ἕξω δόμων
δμωαὶ περῶσιν, αἳ πατρὸς κοιμωμένου
σαίρουσι δῶμα, καὶ δόμων κειμήλια
καθ' ἡμέραν φοιβῶσι, κἀπιχωρίοις
ὀσμαῖσι θυμιῶσιν εἰσόδους δόμων.
ὅταν δ' ὕπνον γεραιὸς ἐκλιπὼν πατὴρ
πύλας ἀμείψῃ, καὶ λόγους γάμων πέρι
λέξῃ πρὸς ἡμᾶς, Ἡλίου μολὼν δόμους,
τοὺς σοὺς ἐλέγξω, μῆτερ, εἰ σαφεῖς λόγοι.
ΧΟΡ. . . . . στρ.

---

10. Vltima in Apographis *ΚΑΙΙΑΙΑΔ ΩΑΜ-ΑΝ*, ultimis duabus litteris minio pictis.

11. Bekkerus, *αἳ πατρὸς . . τας γάμους*. Coniiciat quis fortasse *θέντος γάμους*. Sed aperte repugnat, quod sequitur, *καθ' ἡμέραν*. Apographa *ΑΙΠΑΤΡΟCΙΟΙΑΩΡΙΜΟΙ*. Minio in his prima littera inducta et supra scriptum *E* ut sit *εἰ* pro *αἵ*. Item minio quarta a fine littera *I* in *E* mutata, supra scripto *A*. Litterarum formas intuenti, considerantique sequentes versus, non potest dubium esse, quin *κοιμωμένου* scripserit Euripides.

12. Verborum *καὶ δόμων κειμήλια* in apographis nihil nisi primae litterae *ΚΑΙΛ* apparent.

13. Apographa *ΦΟΙΒΩΟΠΑΝΧΗΜΕΡΟC*. Sexta in secundo littera non *O*, sed *C*.

14. In apographis nihil nisi, *ΟCΜΑΙCΙΟΥΜΑΙΙΕΙΝΛ* .... octava in priore littera incertum, utrum *O* an *I*, in altero *I*. Vltimae septem litterae ut dubiae notatae.

15. Apographa, *ΟΥΤΑΝΥΠΝΟΥC*.... secunda littera minio inducta, et inter quintam et sextam supra scripto *Δ'*. In secundo tres ultimae litterae desunt, quae praecedunt autem, non *ΠΝ* sed *ΗΝ* sunt *).

16. Apographa *ΠΥΛΑCΑΜΕΡΨΗΚΑΙΔΟΥ* . . . .

17. Apographa, sed dubiis litteris, *ΜΕΝΩΝ* pro *μολών*.

18. Apographa *ΤΟΥCΕΟΥCΑΙΚCΟΜΗΙCΡΟΙΕΑΦΑC* .... novem ultimis litteris dubiis. Minio octava in *E* mutata, supra scripto *C*. Decima et undecima minio coniunctae, ut fieret *Π*, et post eas insertum *Ξ*, atque *O*, quae tertia decima est, in *Ω* mutatum. Post hunc versum Bekkerus ita:

versus vacuus
κατα γαν a manu corr.
— *a ab eadem*
versus vacuus.

*) Pro *ὕπου* dedi nunc *ὕπνον*.

. . . . . κατὰ γᾶν
. . α . . . . .
. . . . . .
μέλπει δὲ δένδρεσι λεπτὰν
ἀηδὼν ἁρμονίαν,
γόοις ὀρθρευομένα
Ἴτυν, Ἴτυν πολύθρηνον. 9
σύριγγας δ' οὐριβάται ἀντ. ά.
κινοῦσιν ποίμνας ἐλαταί·
ἔγρονται δ' εἰς βοτάναν
ξανθᾶν πώλων συζυγίαι.
ἤδη δ' εἰς ἔργα κυναγοὶ
στείχουσιν θηροφόνοι,
πηγαῖς τ' ἐπ' ὠκεανοῦ

In apographo priore unius versus vacuum spatium relictum, in eoque minio scriptum *ΚΑΤΑΓΑΝ*. In altero nec spatium, nec voces istae. Sed quattuor versus deesse metra docent. Non tamen Burgesius, qui Bekkerum sequutus est, quamvis aperta antistropharum indicia aut hic aut in altero carmine animadvertit. Strophas in margine notavi.

23. Ita Bekkerus. Apographa *ΔΕΝΔΡΩΝΚΛΕΙΝΗΝ*.

24. Apographa *ΑΚΜΟΝΙΑΝ*.

25. Mutavi metri indicio ordinem verborum. Bekkerus, *ὀρθρευομένα γόοις*. Apographa *ΘΙΤΟΡΕΥΟΜΕΝΑΥΘΟΝ*, penultimis duabus litteris dubiis. Prima versus littera Θ minio adiecta, sequentique duo puncta superscripta, tertia inducta. A fine quarta littera in secundo apographo est *Ι*.

26. Pro *πολύθρηνον* apographa *ΝΟΛΥΟΡΑΜΑΙ*, quattuor ultimis litteris dubiis.

27. Apographa *ΕΥΡΙΠΘΟΔΟΕΟΤΙΑΝ*, sed Θ minio inductum et supra scriptum *Α*, item apostrophus additus ad *Δ*. Egregie hic versus formam *οὐριβάτας* tuetur adversus Porsoni opinionem, de qua dixi in Addendis ad p. 740. Elem. doctr. metr. Omninoque vereor, ut *ει* in secunda syllaba horum compositorum usurpatum fuerit, ubi prima diphthongum haberet. Apud Euripidem El. 170. iam pridem restituta est vera scriptura.

29. Apographa *ΒΟΤΑΝΑΙΟ*.

30. Apographa *ΞΑΝΘΑΝ*, penultima littera minio inducta et supra scripto Ω. Deinde Bekkerus *συνζυγίαι*. Apographa *ΣΥΝΖΗΤΑΙ*.

μελιβόας κύκνος ἀχεῖ.
ἄκατοι δ' ἀνάγονται ὑπ' εἰρεσίας στρ. β'.
ἀνέμων τ' εὐαέσιν ῥοθίοις.
ἀνὰ δ' ἵστί . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
σινδὼν δὲ πρότονον ἐπὶ μέσον πελάσσει.
τὰ μὲν οὖν ἑτέροισι μέριμνα πέλει. ἀντ. β'.
κῶμον δ' ὑμεναίων δεσποσύνων
ἐμὲ καὶ τὸ δίκαιον ἄγει καὶ ἔρως
ὑμνεῖν· δμωσὶν γὰρ ἀνάκτων

---

34. Apographa *ΜΕΛΙΒΥΑC*, *Υ* minio inducto, et supra scripto *Ο*. Etiam in ultimo verbo *ΑΙΕΙ* littera *Γ* minio in *Χ* mutata.

35. Omnes *ἀκοντοι*. Veram scripturam ante Dobreum Matthiae indagavit. Vltima vox in apographis *ΕΙΡΕΗΑC*, postremis duabus litteris minio adiectis.

36. Syllabae *ἀνέμων τ'* et *ῥοθί* in apographis in ipso textu, quum a scriba spatium relictum esset, minio suppletae, item primum *Ι* in *ΕΥΑΙCΙΝ* in *Ε* mutatum.

37. Haec Bekkerus eruit. In apographis nihil. Lacunam post hunc versum notavi versuum quattuor, quos cum parte folii recisos esse antistrophica docent.

42. Hoc versu folium 163. rectum incipit. Omnes *πρόγονον*, quod correxi. Sermo est adhuc de navigatione. Bekkerus et alterum apographum *πελάσει*. Sed in priore *ΠΕΛΑCCΙ*, sic ut in secundo *C* atramento parvum *ε* insertum sit.

43. Codex *ἑτάροισι*, sed correctum minio.

44. Bekkerus, *κοσμεῖν ὑμεναίῳ δὲ δεσποσύνων*. Apud Burgesium *κοσμεῖν· ὑμεναιω δὲ δεσποσύνων*. Apographa, *ΚΟCΜΟ-ΝΥΜΕΝΑΙΩΝΔΕΔΕCΠΟCΥΝΕΝ$\bar{\Omega}$*, duabus penultimis litteris dubiis. Emendavi haec pro sensu loci et metro.

45. Omnes *ἐάγει*. Deinde *καὶ ἔρως* Bekkerus. Apographa *ΚΑΙΡΩΝ*, sed in priore *Ν* in *C* correctum atramento.

46. Apographa *ΥΜΙΝ*, minio supra scriptis litteris *ΝΕ*. Deinde codex *ἀνάσσων*, sed inductis minio *σσ*, et supra scriptis *κτ*.

εὐάμεροι προσιοῦσαι
μολπαὶ θράσος αὔξουσ᾽
ἐπὶ χάρματ᾽· εἰ δὲ τύχα τι τέκοι,
βαρὺν βαρεῖα φόβον ἔπεμψεν οἴκοις.
ὁρίζεται δὲ τόδε φάος γάμων τέλος, ἐπῳδ.
τὸ δή ποτ᾽ εὐχαῖς ἐγὼ 11
λισσομένα προσέβαν ὑμέναιον ἀεῖσαι
φίλον φίλων δεσποτᾶν.
θεὸς ἔδωκε, χρόνος ἔκρανε
λέχος ἐμοῖσιν ἀρχέταις.
ἴτω τελεία γάμων ἀοιδά.
Ἀλλ᾽, ὅδε γὰρ δὴ βασιλεὺς πρὸ δόμων
κήρυξ θ᾽ ἱερὸς καὶ παῖς Φαέθων
βαίνουσι, τριπλοῦν ζεῦγος, ἔχειν χρὴ

---

48. Bekkerus μολπαὶ θράσος αἴουσ᾽, ultima littera, ut in codice, sequenti versui addita. Apographum posterius post μολπαὶ ita, *OIΔΩCA. TC*· In priore *OPACΘEAMTC*, litteris praeter primam dubiis.

49. Codex plene επιχαρματα. Mox *TYIXATHEKHI*, sed minio primum *I* inductum, *HI* autem in ω mutatum.

50. Pro οἴκοις apographum prius *ΦAOIC*, alterum *ΦAIC* litteris praeter primam dubiis. Vltima minio scripta.

51. Bekkerus ὁρίζεται δὲ τὸ φάος γάμων τέλος. Apographa *OPIZEIAPXETOΦAOCΓAMΩNIOΔON*. Litterae *T* superscripta minio duo puncta, et duodecimae *Δ*, unde τόδε scripsi. Quinta a fine in *T* mutata.

52. Apographa *TOΔHIIOIOYIYKATEEPΩ*, litteris *IT* minio inductis.

53. Hic versus in codice in duos divisus est, singulis duo vocabula complectentibus. Apographa *ΔHCEMNONA IIPOCEBAN*. In ἀεῖσαι *E* minio inductum.

55. Bekkerus ελωκε. Apographa *EΔΩKEI*, ultima littera minio inducta.

56. Apographum prius *AEXΘECMOICINAPXEIAIC*: in secundo pro tribus primis litteris puncta.

57. Apographa *IΩ*, sed minio *I* in *T* mutatum, et praefixum *I*. Item o in ἀοιδὰ insertum.

58. *Πρὸ δόμων* Bekkerus. Apographa *ΠOΔITΩ*, ultimis quattuor litteris dubiis.

60. Bekkerus *βαίνουσι τριπλοῦν*, superscripto penultimae sylla-

στόμ᾽ ἐν ἡσυχίᾳ·
περὶ γὰρ μεγάλων γνώμας δείξει,
παῖδ᾽ ὑμεναίοις, ὥς φησι, θέλων
ζεῦξαι νύμφης τε λεπάδνοις.
ΚΗΡ. Ὠκεανοῦ πεδίων οἰκήτορες, στρ.
εὐφαμεῖτ᾽, ὦ,
ἐκτόπιοί τε δόμων ἀπαείρετε,
ὦ ἴτε, λαοί.
κηρύσσω δ᾽ ὁσίαν βασιλήϊον, ἀντ.
αἰτῶ δ᾽ αἶσαν
εὐτεκνίαν τε γάμοις, ὧν ἔξοδος
ἅδ᾽ ἕνεχ᾽ ἥκει,

---

hac δι. Apographa *BAINOYCINTTΠΛΟΥΝ*, inductis minio *TT*, et supra scripto *ΔΙ*. In secundo inter *Π* et *Λ* insertum atramento *I*. *Διπλοῦν* probat Burgesius, quod rex et praeco idem fuerit. At unde hoc scit? Aut hoc voluit poeta dicere, *rex cum praecone et filius veniunt:* tum *διπλοῦν* recte se habet; aut hoc, *rex, et praeco, et filius*: idque verisimilius est, quia et diserte commemorat praeconem, et eum mox loquentem introducit. Quare *τριπλοῦν* praetuli. Similiter loquitur in Troad. 924. *ἔκρινε τρισσὸν ζεῦγος ὅδε τρισσῶν θεῶν.*

62. Apographa *ΔΕΙΧΕΝ*, sed minio *Ξ* et *I* reposita.

63. Codex *ΛΕΓΩΝ*, sed minio inductae *Λ* et *Γ*, supra scriptis *Θ* et *Λ*.

64. *ΔΕ* minio correctum in *ΤΕ*.

65. Adscripsi personam praeconis.

67. *Ἐκτόπιοι* Bekkerus. Apographa *ΕΚΙΩΠΟΙ*. Mox *ΑΠΑΕΙΡΑΙ*^{C}, sed in priore apographo tertia a fine littera minio inducta, et supra scriptum *E*. Hoc praetuli.

68. Bekkerus *ωτε*. Quod nemo non videat reponendum, est in apographis, *I* minio in *T* mutato et addito *I*.

70. Bekkerus *αυτωδανδαν*, ut apographum posterius. In priore *ΑΥΙΩΔΑΑΥΔΑΝ*. In utroque litterae secundae duo puncta minio addita, et primo *Δ* apostrophus. Correxi haec, ut sensus postulare videbatur. *Indico*, inquit, *reverentiam regis, precorque felicitatem et bonam prolem connubio, cuius caussa adveniunt.*

71. Ita Bekkerus. Pro *γάμοις* apographa *ΓΑΜΟΔ*.

72. Ita Bekkerus. Apographa, *ΑΔΕΝΝΕΧΗΔΕΙ*. Minio apostrophus secundae litterae additus, quarta inducta, item a fine tertia, eique superscriptum ξ, ut sit *ἥξει*.

παιδὸς πατρός τε τῆδ' ἐν ἡμέρᾳ λέχη
κρᾶναι θελόντων· ἀλλὰ σῖγ' ἔστω λεώς.
ΜΕΡ. . . . . . .
. . . . . εἰ γὰρ εὖ λέγω,

II. 13

Πυροῦσσ' Ἐριννὺς ἐν νεκροῖς θερήϊον
ζῶσ' ἥδ' ἀνίησ' ἀτμὸν ἐμφανῆ . .

---

74. Codex *THΔ* prioribus duabus litteris minio inductis et supra scripto *CIΓ*. Vltima vox ita scripta *AEIb*.

75. Hic *Μέροψ* in margine Bekkerus. Apographa hoc nomen praecedenti versui praefigunt, sed pertinens ad v. 75. lineola minio scripta indicante, quae initio versuum, quibus alia persona loqui incipit, superscribitur. Vacuum spatium unius versus apud Bekkerum et in priore apographo: sequentis versus verba, quae etiam Bekkerus habet, minio scripta. In secundo apographo nihil plane post v. 74.

1. Oratio haec Clymenae est, quae mortui Phaethontis corpus fumi odorem spargere animadvertens, metuit, ne palam fiat marito, ex se illum esse prognatum. Bekkerus, *πυρος θερινυς ἐν νεκροῖς θερηνναι ζωσαηδ' ἀνίησι ἀτμὸν ἐμφανη . . .* In priore versu apographa *ΠΥΡΟCΘΕΡΙΝΥC*, nisi quod in secundo eorum pro *N* potius *M* videtur esse. In fine prius apographum *ΘΕΡΗΙΟΝ* litteris praeter primam et tertiam dubiis, alterum *ΘΕΙΙΙΙΟΝ*. Locus hic ad emendandum difficillimus est, ut et corruptus, et mutilus, et perditis, quae praecesserunt. *Θερήϊον* pro *θέρειον* neque defendam, nec damnem, siquidem fieri potuit, ut haec forma ex aliqua epicorum auctoritate usurparetur de eo, quod ureret vel ignem redoleret. Aliter in promptu est *θερηγενῆ* scribere. In initio facillimum iudicavi *πυροῦσσ' Ἐριννύς*. Si nihil praecessit, quod ad *ἐν νεκροῖς* referretur, veluti *γυίοις*, universe dictum sit *ἐν νεκροῖς* necesse est, cum admiratione, etsi de solo Phaethonte intelligendum. *Ἐριννὺς* autem non ad ignem in mortui corpore aestuantem spectat, sed ad culpam Clymenae, eiusque culpae poenam trahendum: *ignea Furia in mortuis vivens manifestum excitat igneum spiritum fumi.* *Καπνοῦ* ex coniectura adiicias. Apographa deficiunt in litteris *ΕΜΦΝ*, sic. Caeterum comparari possunt haec Plutarchi Q. Symp. IV. 2. p. 665. de fulminibus: *πολλοὶ γὰρ οὔτε καίουσιν*

ἀπωλόμην· οὐκ οἴσετ᾽ εἰς δόμους νέκυν;
ἴθ᾽, ὡς πόσις μοι πλησίον γαμηλίους
μολπὰς ἀΰτεῖ, παρθένοις ἡγούμενος.
οὐ θᾶσσον; οὐκ ἄμολγον ἐξομόρξετε,
εἴ πού τίς ἐστιν αἵματος χαμαὶ πεσών;
ἐπείγετ᾽, εἶα, δμωΐδες· κρύψω δέ νιν
ξεστοῖσι θαλάμοις, ἔνθ᾽ ἐμῷ κεῖται πόσει
χρυσός· μόνη δὲ κλῆθρ᾽ ἐγὼ σφραγίζομαι.
ὦ καλλιφεγγὲς Ἥλι᾽, ὥς μ᾽ ἀπώλεσας,

---

*οὔτε κατορύττουσιν, ἀλλ᾽ ἐῶσι περιφράξαντες**), *ὥστε ὁρᾶσθαι τοὺς νεκροὺς ἀσήπτους ἀεί, τὴν Εὐριπίδου Κλυμένην ἐλέγχοντας, ἐπὶ τοῦ Φαέθοντος εἰποῦσαν· φίλος δέ μοι ἄλουτος ἐν φάραγξι σήπεται νέκυς· ὅθεν οἶμαι καὶ τὸ θεῖον ὠνομάσθαι τῇ ὁμοιότητι τῆς ὀσμῆς, ἣν τὰ παιόμενα τοῖς κεραυνοῖς ἀφίησιν ἐκτριβομένην πυρώδη καὶ δριμεῖαν· ὑφ᾽ ἧς ἐμοὶ δοκοῦσι καὶ κύνες καὶ ὄρνιθες ἀπέχεσθαι τῶν διοβλήτων σωμάτων.*

3. Ita Bekkerus. Apographum prius non ultra *ΔΟΜΘΥ*. Sic etiam posterius, in quo haec vox ita scripta *ΔΘΜΕΙΙ*.

4. Bekkerus, *ποσις ποσις μολπαισιον γαμηλίους*. Apographa *ΤΙΘΕΙCΠΟCΙCΜΕΝΟΝ*, nisi quod in secundo undecima littera *Ο*. Reliqua omittunt. Correxi facili mutatione, siquidem *ΤΙΘΕΙC* nihil aliud esse videtur, quam *ΙΤΕΩC*.

5. Ita Bekkerus hunc versum dedit nisi quod *μολπαις*. Apographum prius, *ΑΙΟΛΙΛΙΑΝΑΤΙΕΙΠΑΡΘΕΝΟΝ*. Alterum, *ΑΙΟΛΙΑΙΛΑΝΤΙCΙΠΑΡΘΕΝΟΝ*. Litterae omnes ante *Υ* dubiae. Vltimam vocem ambo omittunt.

6. Apographa versum incipiunt his litteris, *ΟΙΩ*. Caetera desunt, notato post hunc versum quinque versuum vacuo spatio. At illi quattuor tantum versus sunt, quos Bekkeri diligentia eruit. Hic habet Bekkerus *οιθασσεουσομολγον ἐξομόρξετε*, unde facile erat veram scripturam restituere. *Ἄμολγος*, quidquid turbidum est, significat.

8. Hic quoque facilis emendatio erat. Bekkerus, *ΕΠΕΙΠΕΤΕΑΙΑΛΜΩΛΕC*.

9. Bekkerus *ξειστοῖσι*, caetera perspicue. Apud Burgesium, *ξεστοῖσι θαλάμοις, ενθ εμω κει πο*.

10. Plane sic Bekkerus, nisi quod *κλῆθρα* plene. Vltimae vocis tantum *σφρ* apud Burgesium.

11. Apographa, *ΩΚΑΛΛΙΦ*, nihil amplius, *Ἥλιε* plene apud Bekkerum. Afferunt hunc et sequentem versum Macrobius Sat. I. 17. apud quem *ὦ χρυσοφεγγὲς* legitur, et Scholiastes Eurip. ad Orest. 1373. Ed. Matth. ubi *ὦ καλλιφεγγὲς Ἴλιον* est.

*) Scribendum videtur *περιφλέξαντες*.

καὶ τόνδ'. Ἀπόλλω δ' ἐν βροτοῖς σ' ὀρθῶς καλεῖ,
ὅστις τὰ σιγῶντ' ὀνόματ' οἶδε δαιμόνων.
ΧΟΡ. Ὑμήν, Ὑμήν, στρ. 15
τὰν Διὸς οὐρανίαν ἀείδομεν,
τὰν ἐρώτων πότνιαν, τὰν παρθένοις
γαμήλιον Ἀφροδίταν
πότνια, σοὶ τάδ' ἐγὼ νυμφεῖ' ὀφείλω,
Κύπρι, θεῶν καλλίστα,
τῷ τε μονόζυγι σῷ

---

12. Apographa *ΚΑΙΡΟΝ* in principio versus, reliquis omissis. Bekkerus, καὶ τόνδε. ἀπόλλων δ' ἐν βροτοῖς ὀρθὸς καλῆ. Apud Burgesium ὀρθῶς. Apud scholiasten Euripidis est, καὶ τοῦδ' Ἀπόλλων οὕτως εἰ κλήζῃ βροτοῖς. Apud Macrobium versus ita scriptus legitur: ὅθεν σ' Ἀπόλλων' ἐμφανῶς κλήσει βροτός. Vterque haec memoriter afferre videtur. Porsonus ad Orest. 584. Ἀπόλλωνα Atticos dixisse negans, legendum censebat, ἐκ τοῦδ' Ἀπόλλων ἐμφανῶς κλήζει βροτοῖς. In codicis scriptura non satis commode ἐν βροτοῖς longius remotum est ab ὅστις. Quare scripsi, Ἀπόλλω δ' ἐν βροτοῖς σ' ὀρθῶς καλεῖ, ὅστις τὰ σιγῶντ' ὀνόματ' οἶδε δαιμόνων.

13. Huius quoque versus primas tantum voces exhibent apographa, *ΟCΜΕΤΑCΠΩΝΤΑ*, insigne documentum, quam ambigua sit litterarum in codice explicatio. Non enim dubium est, quin recte haec legerit Bekkerus.

15. Codex εἴδομεν.

16. Ἐρώτων πότνια, quod non intellexit Burgesius, quid esset, vel ex Homero Iliad. φ. 470. didicisse debebat. Alia attuli in Obss. crit. p. 165. Deinde Bekkerus, παρθενο . . Pro ea voce apographum prius, *ΠΑΙΦΝ*, aliis ductibus deformato *Ν*, et deinde obscuris aliquot litterarum vestigiis additis. In posteriore *ΠΑΙΦΝ*.

17. Sic Bekkerus. Apographa *ΑΦΡΟΔΙΤΑ*.

18. Bekkerus νυμφιας. . . Apographum posterius *ΝΥΜΦΙΑ*, prius *ΝΥΜΦΙΑ^{C}ΦΑ^{O}*. Inde confeci, quod in textu dedi.

19. Sic Bekkerus. Pro θεῶν apographa, prius *ECCIN*, primis tribus litteris dubiis, alterum *CCCIN*.

20. Bekkerus et apographa τω τε νεοζυγιστω. Apud Burgesium, σῶ τε νεοζυγιστω. Non potuit, si quid video, hic nisi de Amore sermo esse. Plane enim alienum, quod Burgesius ex Hesychio affert, cuius integra verba haec sunt: πῶλος, ἑταίρα. πώλους γὰρ αὐτὰς ἔλεγον, οἷον Ἀφροδίτης πώλους, ἢ τοὺς νέους καὶ τὰς

πώλῳ, τὸν ἐν αἰθέρι κρύπτεις
σῶν γάμων γένναν·
ἃ τὸν μέγαν ἀντ.
τᾶσδε πόλεως βασιλῆ νυμφεύετε,
16 25 ἀστερωποῖσιν δόμοισι χρυσέοις
ἀρχόν, φίλον Ἀφροδίτᾳ.
ὦ μάκαρ, ὦ βασιλέως μείζων ἔτ' ὄλβον,
ὃς θεὰν κηδεύσεις,

νέας καὶ παρθένους. Quod Burgesius male sic interpretatur, ac si adolescentes et puellae Ἀφροδίτης πῶλοι dicantur, quos Hesychius simpliciter πώλους dici significat. Amor non potuit νεόζυξ dici. Quare non dubitavi μονόζυγι, *unico*, reponere.

21. Κρύπτεις Bekkerus, de ultima littera dubitans. Apographa ΔΑΥΩΝ, sed Δ insolentius porrecto, quo modo alibi K scriptum, ut infra v. 48. in οἶκον, et Λ ut dubio notato. Si recte legit Bekkerus, usus est hoc verbo poeta, ut occultam latentemque vim amoris indicaret.

22. Omnes γενεάν, frequenti librariorum errore.

23. Bekkerus, ἀγὸν μέγαν. Apographa ΔΙΟΝΥCΟΝ, sed litteris omnibus dubiis. Λ ad νυμφεῖα referendum.

24. Bekkerus, τῆσδε πόλεως βασιλῆ νυμφεύεται. Apographum prius ΤΑCΔΕΠΟΛΕΩCΙΑ . . ΗΝΥΜΦΕΥΕΙΑ, eraso post quintam litteram C. Posterius ΤΑCΛCCΠΟΛCΩCΙΑ . . . ΗΝΥΜΦΕΥΕΙΑ. Scripsi νυμφεύετε, quo ad Venerem et Amorem referretur.

25. Bekkerus, αστερωτοισι δόμοισι χρυσέων. Apographa ΑCΤΕΡΩΙΟΙΩΟΜΘΙCΙΧΡΥCΕΙΗΝ, secundo Ω dubio. Correxi haec. Saepius usurpatum Euripidi ἀστερωπός. Thesauros intelligit, de quibus v. 9. et 44.

26. Bekkerus et apographa αρχεον. Burgesius, ἀρχαῖον. Omnes Ἀφροδίτα.

27. Bekkerus, ω μακαρων βασιλευς μειζωνστολβος, litteris ultima et quae a fine septimum, octavum et nonum locum tenent, notatis ut dubiis. Apographa nihil amplius, quam ΩΜΑΚΑΡ.

28. Bekkerus, οσθεαντηλευσεις. Vltimum verbum in priore apographo sic scriptum, ΤΗΔΕΥΕΙC, in altero ΤΗΘΕΥΕΙC. Burgesius codicem sine dubio exhibere putat, ὅς θεὰν μνηστεύσεις. Satius duxi, κηδεύσεις scribere. Deae cuiuspiam filiam Phaethon videtur uxorem ducere, eamque deam dicitur κηδεύσειν, quod explicatur sequentibus verbis.

καὶ μόνος ἀθανάτοις
γαμβρὸς δι' ἀπείρονα γαῖαν
θνατὸς ὑμνήσῃ.
ΜΕΡ. χώρει σύ, καὶ τάχ' εἰς δόμους ἄγων κόρας,
γυναῖκ' ἄνωχθι πᾶσι τοῖς κατὰ στόμα
θεοῖς χορεῦσαι, καὶ κυκλώσασθαι δόμους
σεμνοῖσιν ὑμεναίοισιν, Ἑστίας θ' ἕδος, 17
ἀφ' ἧς τὸ σῶφρον πᾶς ἂν ἄρχεσθαι θέλοι
εὐχὰς π[οιεῖσθαι] . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

---

29. Bekkerus, *ἀθανάτων*. Apographa *ἀθανάτοις*.

30. *Γαμβρὸς* Bekkerus. Apographa *ΓΑΜΕΡΟC*.

31. Bekkerus *ὑμνήσεται*. Apographa *ΥΜΝΗCΩΝ*. Scilicet quum *ὑμνήσω* scripsisset librarius, *Ω* videtur expunctum voluisse, pro eoque addidisse *H*, quod legentibus *N* esse visum est.

32. Ita Bekkerus. Tria ultima verba in apographo priore sic scripta: *ΘΟΜΟΑΙΩΝΑΟΙΑΝ*, primis quattuor litteris dubiis; in altero *ΟΟΜΟΔΤΩΝΑΟΙΔΟΥ*.

33. Sic Bekkerus. Apographum prius *ΓΥΝΑΙΚΑΝΟΧ-ΘΗΙΑΥΤΩCΚΑΙΑΕΙ* . . . Alterum eodem modo, nisi quod postrema sic *ΔΥΤΩCΚΑΙΑCΙ* . . . .

34. Bekkerus sic, *κανκυμωσασθαι . μοι*. Apographum prius *ΚΑΝΙCΥΝΩCΑΘ*, litteris tertia usque ad sextam dubiis. Alterum *ΚΑΝ* . . *ΥΜΩCΑC* . . . Emendavi haec, ut scribenda videbantur.

35. Sic Bekkerus. Apographa *CΕΜΝΟΙCΙΝΥΜΕΝΑΙΟΙ-CΙΠΤΗCΕΜΑCΘΟΔΟΥ*. In secundo vigesima littera omissa, et a fine octava non *M*, sed *Π*.

36. Bekkerus, *ἀφ' ἧς τι σώφρων πασαν . . αρχετ* . . . Apographa nihil amplius, quam *ΑΦΗCΤΙCΩΦ* . . . In secundo quarta littera *E* est, et ultima dimidiata.

37. Bekkerus, *εὐχὰς π* . . . Nihil horum in apographis conspicitur. Recisi sunt post hunc versum, ut ex altero folio colligi potest, versus quattuor, quorum locos in numerum retuli, emendatis, quae praecedunt.

40 . . . . . .

. . . . . .

θεᾶς προςέλθῃ τέμενος ἐξ ἐμῶν δόμων.
ΘΕΡ. ὦ δέσποτ', ἔστρεψ' ἐκ δόμων ταχὺν πόδα.
οὗ γὰρ σὺ σώζῃ σεμνὰ θησαυρίσματα
45 χρυσοῦ, δι' ἁρμῶν ἐξαμείβεται πύλης
καπνοῦ μέλαινα λιγνὺς ἔνδοθεν στέγης.
προσθεὶς πρόσωπον, φλόγα μὲν οὐχ ὁρῶ πυρός,
18 γέμοντα δ' οἶκον μέλανος ἐνδὸν αἰθάλου.
ἀλλ' ἔρριθ' ἐς οἶκον, μή τιν' Ἥφαιστος χόλον
50 δόμοις ἐπεισφρεῖς, μέλαθρα συμφλέξῃ πυρὶ

---

42. Hoc versu incipit folium 163. rectum. Bekkerus et apographa προςελθιν. At *IN* est *HI*.

43. Codex ΘΕΡΑΠ. ὦ πάτερ, sed ad πάτερ supra scriptum minio ΔΕCΠΟΤΑ. Omnes ἔστρεφα. Correxit Burgesius.

44. Bekkerus, ουγαρσυζωσησεμναθηρανσμιτα. Vltima vox in priore apographo sic scripta, *IHPAICMEHA*, primis duabus litteris et penultima dubiis. In altero *IHPAICMCIIA*. Recte emendavit Burgesius, nisi quod σώζεις scripsit.

45. Bekkerus διαρμῶν ἐξαμείβεται. Apographum prius, *ΔIAPEIΩNETAMETPEIC*. In secundo omissum *N*.

46. Bekkerus, καταινουμελαινανως ἔνδοθεν στέγης, litteris νω dubiis. Sic etiam apographa, eadem cum dubitatione, et in priore quidem ultima ante ἔνδοθεν sunt *HΩC*, in altero *IIEIC*. Στέγης deest in apographis, erutum a Bekkero. Emendavi, ut litterae et sensus suadebant.

47. Sic Bekkerus. In apographis post προςθεὶς repetitum *EIC*. Eadem in fine, *OY . . . ΠYPOC*.

48. Bekkerus, ἔνδοθεν καπνοῦ. Sed apographa, *ENAΩN-AIΘIΠOY*. Vnde correxi.

49. Pro ἔρριθ' apographa *ECΘ*. Eadem *HΦAIENOE*, vel, ut in altero, *HΦAICIIOC*. Vltimam vocem, quam Bekkerus dedit, omittunt.

50. Ita hunc versum dedit Bekkerus. Nihili verbum dicit Burgesius ἐπεισφρείς. Mihi sincerum videtur hoc participium, siquidem verbi in μι formati etiam imperativus index est. In

ἐν τοῖσιν ἡδίστοισι Φαέθοντος γάμοις.
ΜΕΡ. πῶς φῄς; ὅρα μὴ θυμάτων πυρουμένων
κατ᾽ οἶκον ἀτμὸν κεῖσ᾽ ἀποσταλέντ᾽ ἴδῃς.
ΘΕΡ. ἅπαντα ταῦτ᾽ αἴθρη τ᾽ ἀκάπνωτοί θ᾽ ὁδοί.
ΜΕΡ. οἶδεν δ᾽ ἐμὴ τάδ᾽ ἢ οὐκ ἐπίσταται δάμαρ;
ΘΕΡ. θυηπολοῦσα θεοῖς, ἐκεῖσ᾽ ἔχει φρένας.
ΜΕΡ. ἀλλ᾽ εἶμ᾽, ἐπεί τοι καὶ φιλεῖ τὰ τοιάδε
ληφθέντα φαύλως ἐς μέγαν χειμῶν᾽ ἄγειν.
σὺ δ᾽, ὦ πυρὸς δέσποινα, Δήμητρος κόρη,
Ἥφαιστέ τ᾽, εἴητ᾽ εὐμενεῖς δόμοις ἐμοῖς. 19

---

apographo priore huius verbi litterae praeter tres ultimas ut dubiae notatae. In altero scriptum *ΕΠΕΙCΦΕΡΕΙC*. Duo ultima verba in priore sic: *ΤΜΙΔΟΞΗΝΗΙ*, litteris, praeter primam, sextam, septimam, octavam dubiis. In altero, *ΙΙΙΙΔΟΞΗΝΗΙ*.

51. Sic Bekkerus, nisi quod *ἡδίστοισιν*, pro quo apographa *ΠΑΙCΙΟΙCΙΝ*. Pro *γάμοις* eadem *ΤΑΦΙ*, sed litteris dubiis.

52. Sic Bekkerus et apographum prius. In altero *ΔΩΜΑΤΩΝ*. Ita ante correctionem in codice scriptum fuisse, etiam prius apographum videtur arguere.

53. Plene scriptum omnes *κεῖσε*.

54. Bekkerus, *ἅπαντα ταῦτ᾽ ἠθρησεκανπωτουσεχει*. Apographa, *ΑΠΑΝΤΑΤΑΠΑΙΘΡΗCΕΚΑΝΠΩΤΟΥCΟΔΟΙ*, ultimis quattuor litteris et decima a fine ut dubiis notatis. Emendavi haec pro sensu loci. *Αἴθρη*, non *αἴθρα*, Atticum esse, notum: v. Pierson. ad Mocr. p. 184.

55. Ita Bekkerus. In apographis ultima sic: *ΕΠΙCΤΑΙ-ΛΑΜΑΙ*.

57. *Εἶμι* plene Bekkerus, non Burgesius. Apographa: *ΑΛΛ᾽ ΕΙΜΕΝΕΠΟΙΚΑΙΦΙΛΗΑΙΟΙΑΔΕ*, ad *Λ* minio suprascripto *Ε*, ut appareat, quod sequitur *Η*, esse *ΙΤ*.

58. Bekkerus et apographa, *ἐς μέγα χειμῶνα δῖ*. *ΑΙ* mihi videbatur esse *ΑΓ*, initium verbi *ἄγειν*.

60. Ita Bekkerus. Apographa, *ΗΦΑΙCΤΕΕΙΠΡΕΠΕΥΜΕ-ΡΕΙCΚΟΜΟΙCΕΜΟΙC*, nisi quod in altero decima littera *Η* est.

ΧΟΡ. τάλαιν' ἐγὼ, τάλαινα, ποῖ πόδα
πτερόεντα καταστάσω;
τίν' αἰθέρ', ἢ γᾶς ὑπὸ κεῦθος ἄφαν-
τον ἐξαμαυρωθῶ;
ἰὼ μοί μοι, καταφανήσεται
βασίλεια τάλαινα, παῖς τ' ἔσω
κρυφαῖος νέκυς.
ὀτοτοτοῖ, κεραύνιοί τ' ἐκ Διὸς
πυρίβολοι πλαγαί, λέχεά θ' Ἁλίου.
ὦ δυστάλαινα τῶν ἀμετρήτων κακῶν
Ὠκεανοῦ κόρα,
πατρὸς ἴθι πρόσπεσε *)
γόνυ λιταῖς σφαγάς,
σφαγάς, οἰκτρά τ' ἀρκέσαι σᾶς δειρᾶς.
ΜΕΡ. ἰὼ μοί μοι.
ΧΟΡ. ἠκούσατ' ἀρχὰς δεσπότου στεναγμάτων;
ΜΕΡ. ἰὼ τέκνον.

---

63. Bekkerus τιναθερ. Apographum prius *ΤΙΝΑΘΟΡ*, tribus ultimis litteris dubiis; alterum *ΤΙΝΑCCΡ*.

64. Omnes ἐξαμαυρώσω, quod correxi.

67. Omnes κρυφεον.

68. Bekkerus ὀτοτοτοί, κεραύνιαι τ' ἐκ διός. In priore apographo ultima *ΚΕΡΑΥΝΙΑΤΕΚΑΙΟC*, sed octava littera in *O* ex *A* mutata. In altero, *ΚΕΡΑΥΝΙΩΕΚΑΙΟC*. Praetuli κεραύνιοι. Ita κεραυνιῷ πλαγᾷ in Bacchis 93. et saepius alibi masculina huius nominis forma pro feminina.

69. Ita Bekkerus. Prius apographum, *ΠΥΡΙΒΟΛΟΙΠΛΑ-ΓΑΙΔΕΧΕΑΙΑΛΙΟΥ*. Alterum *ΠΥΡΙΒΟΛΟΥΠΑΛΑΜΝΑΙ-ΟΥΕΧΕΑΙΑΛΙΟΥ*.

73. Bekkerus, γονυ, ταισφαγας. Apographum prius *ΓΟΝΥ-ΤΑΙΕΦΑΤΑC*, octava et antepenultima littera dubiis. Alterum, *ΓΟΝΥΛΙΙCΦΑΤΑC*. Rectene an secus λιταῖς dederim, alii videant. Certe tale quid exigebat metrum dochmiacum.

74. Pro οἰκτραί, quod omnes habent, dedi οἰκτρά τ'. Vltima in priore apographo sic, *CΑCΛΕΙΡΑC*, in altero *CΟΛΕΘΡΑC*.

76. Bekkerus, ἦκουσ' ἀπαρχῆς, super π posito τ'. Burgesius dedit, ἠκούσατ' ἀρχῆς. Apographa *ΗΚΟΥCΑΤΑΡΧΑC* in ipso textu sine correctione.

*) Hoc loco uti poterat Buttmannus in Gramm. Gr. vol. II. p. 217.

ΧΟΡ. καλεῖ τὸν οὐ κλύοντα δυστυχῆ γόνον
. . . . . ὀμμάτων ὁρᾶν σαφῆ.

---

78. Hic et sequens versus in secundo apographo plane desunt. In priore v. 79. deest, et ex v. 78. tantum *τὸν οὐ κλύοντα δυστυχῆ γόνον* reliqua sunt.

DE SOGENIS AEGINETAE VICTORIA QVINQVERTII DISSERTATIO *).

3 Nihil facilius usu venire videmus, humanissimi Candidati, quam ut quis falsa, si ab antiquis auctoribus tradita sint, pro veris habeat. Id quemadmodum mihi ipsi in memorabili quodam loco Pindari accidit, quum commentationes illas, quae Heynianae editioni insertae sunt, scriberem, ita idem in eodem Pindari loco accidisse video etiam novissimis huius poetae interpretibus, Aug. Boeckhio, Lud. Dissenio, et Fr. Thierschio. Eum locum hac scribendi opportunitate mihi retractandum sumpsi, hoc potissimum fine, ut quinquertii rationem, quae nondum satis videtur explicata esse, explanarem. Quod si quid attulerim, quod non improbabile videatur, id quum omnibus, qui antiquitatis pervestigatione delectantur, tum illis ipsis quos dixi viris, quorum eruditionem magni facio, non ingratum fore spero. Est autem ille Pindari locus in Nemeorum carmine VII. quod scriptum est in Sogenem Aeginetam, qui Nemea quinquertio vicerat. Eius carminis interpretationem totam perturbavit scholiastes, quum id egisse Pindarum dixit, ut sese expurgaret Aeginetis, quibus in paeane quodam iniquius quid in Neoptolemum scripsisse visus esset. Id grammaticos commentos esse, ut

*) Scripta est a. 1822.

haberent, quo quae in extremo carmine de Neoptolemo dicta sunt explicarent, vel ex eo potest intelligi, quod verba paeanis illius, *ἀμφιπόλοισι μαρνάμενον μοιριᾶν περὶ τιμᾶν* periisse Neoptolemum, multo minus excusatione indigent, quam quae in hoc Nemeaeo carmine, quod illis excusandis scriptum putant, de eodem Neoptolemo dici videmus. Verissime enim iudicavit Dissenius, nihil aliud, quam ista ipsa verba, in paeane illo scriptum fuisse, quod aliquam speciem iniquitatis in Neoptolemum haberet. Magis vero ipsum hoc in Sogenis victoriam carmen longe aliam poetae mentem fuisse ostendit. Sogenem primum ex gente Euxenidarum in ludis sacris victorem fuisse, certo colligi potest ex eo, quod, si ante illi aliqua victoria inclaruissent, id non praeteriisset Pindarus. Nunc, a patria laudis materiam repetens, Aeacidas celebrat, Aiacem, maximeque Neoptolemum, cuius commemoratione sic utitur, ut Euxenidas consoletur, quod diu inglorii fuerint: nam eo spectare antistropham tertiam, non videtur dubitari posse. Sed quae praecedunt verba, quum prava interpunctione laborent, fecerunt, ut a vero sensu aberrarent interpretes. Quum poeta Neoptolemum, Delphis sepultum, praesidem esse Pythiorum certaminum dixisset, ita pergit: *οὐ ψεῦδις ὁ μάρτυς ἔργμασιν ἐπιστατεῖ, Αἴγινα, τεῶν Διός τ' ἐκγόνων. θρασύ μοι τόδ' εἰπεῖν φαενναῖς ἀρεταῖς ὁδὸν κυρίαν λόγων οἴκοθεν.* Non mendax," inquit, „testis ille praeest certantibus Aeginetis: fidenter hanc dico virtutibus eorum viam ad laudem esse, ab ipso patrio solo exortam." Quae his adnectit, in omni re bonam esse requiem, nec quidquam semper vigere; aliis autem alia obtingere, neque eumdem hominem omni felicitate frui, satis ostendere videntur, non abstinuisse Euxenidas a sacris certaminibus, sed non esse victoria potitos: idque ut in Pythiis accidisse coniiciamus, illa ipsa suadent, quae de Neoptolemo dicit. Videtur autem in his ludis pater Sogenis, Thearion, quum certaret (id est enim *τόλμαν καλῶν ἀρέσθαι*) victus esse, et quidem a viro Achivo, hospite Pindari. Hoc si sumimus, quae de Thearione dicuntur, omnia plana sunt, ut quae in hanc

sententiam dicta sint: „tibi, Theario, non contemnenda obtigit felicitas, ut, quum tentaveris certamina, non desit animi moderatio. Absit, ut te reprehendam, qui te debita potius laude, optimo virtutis praemio, ornem. Neque si adesset Achivus ille, qui te vicit, mihi succenseret, quod te laudo: id et hospitio eius fretus dico, et rectis oculis cives intueri suetus, non superbus, et ab iniuria facienda abhorrens. Sed laetum tibi posterum tempus veniat: tum cognito, qui sis, dicet quis, an dissono te carmine reprehendere voluerim.“ Achivum illum, qui, licet victor, tamen virtutem Thearionis expertus esset, nomina-
5 tim commemorare parum decorum fuisset, ne, ubi Thearionem laudare poeta vellet, victorem eius laudare videretur. Quare a patria eum designat. Quis esset, satis sciebant Euxenidae. Postrema verba, ut hoc obiter adiiciam, rectius ita scribentur: *μαθὼν δ' ἂν ἐρέει, εἰ πὰρ μέλος ἔρχομαι ψέγιον ὄαρον ἐννέπων*, Iam recte intelligi poterunt, quae in fine carminis scripta fraudem fecerant grammaticis. Nam quum Herculem invocasset poeta, ut quum alia Euxenidis bona, tum victorias, qualis Sogenis esset, et meliores concederet, his verbis finem facit canendi:

τὸ δ' ἐμὸν οὔ ποτε φάσει κέαρ
ἀτρόποισι Νεοπτόλεμον ἑλκύσαι
ἔπεσι· ταῦτα δὲ τρὶς τετράκι τ' ἀμπολέειν
ἀπορία τελέθει, τέκνοι-
σιν ἅτε μαψυλάκας Διὸς Κόρινθος.

Quorum verborum haec sententia est: „hoc si iis obtigerit, non putabo me absonis dictis iniuriam fecisse Neoptolemo, quem dixi Aeginetis in certando favere: sed haec saepius iterare, ineptum est.“ Auguratur itaque his verbis, Neoptolemum, si Thearioni, quamvis strenue certanti victoriam eripi passus esset, at genti eius posthac in adipiscendis victoriis adiutorem fore.

Revertor iam ad propositum. Postquam de Thearione dixerat poeta, convertit se ad Sogenem his verbis:

Εὐξενίδα πάτραθε Σωγενές, ἀπομινύω
μὴ, τέρμα προβάς, ἄκοντ'
ὥτε χαλκοπάραον ὄρσαι
θοὰν γλῶσσαν, ὃς ἐξέπεμψεν παλαισμάτων
αὐχένα καὶ σθένος ἀδίαντον αἵ-
θωνι πρὶν ἁλίῳ γυῖον ἐμπεσεῖν.
εἰ πόνος ἦν, τὸ τερπνὸν πλέον πεδέρχεται.
ἔα με. νικῶντί γε χάριν εἴ τι πέραν ἀρθεὶς
ἀνέκραγον, οὐ τραχύς εἰμι καταθέμεν.

Hic est enim ille locus, de quo me disputaturum significabam. In aliis libris *ἐξέπεμψας* scriptum est. Scholiastes tertiam personam agnoscit, nec tamen verbum illud ad *ἄκοντα*, sed ad Sogenem refert. Scribit enim: *ἀπὸ τοῦ πρὸς αὐτὸν λόγου εἰς τὸν περὶ αὐτοῦ μετέστη.* Vnde suspicio nascitur, *ἐξέπεμψας* interpretibus vel correctoribus deberi. Putat autem scholiastes, affirmare poetam, se non ultra metam proiecisse iaculum. Reliquorum verborum duplicem affert interpretationem. Ipse eo, quod vicisse dicatur Sogenes ante colorem solis meridiani, dexteritatem et celeritatem certaminis designari putat. Alios autem sic existimare scribit, quum iaculo vicisset Sogenes, deterritos adversarios reliqua certamina detrectasse. Boecklius, qui verba *ὃς ἐξέπεμψεν* ad iaculum, non ad Sogenem retulit, hunc esse sensum putat: „deiero me non ultra terminum concitaturum linguam ut iaculum, quod non sudantem a lucta cervicem ante fervidiores solis radios dimisit.“ Respici enim ad id, quod interdum factum esse, ut, qui quinquertio certarent, ubi iaculo longe superassent metam, a reliquis certaminibus deterrerent adversarios. Eam coniecturam, auctoritate Boeckhii fretus, probat Dissenius prolixaque oratione explicare studet. At obstat illi sententiae verbum *ὄρσαι*, quod non potest futuri temporis significationem habere; obstat suspectissima fides narrationis illius de detrectatis propter iaculandi eximiam artem reliquis quinquertii certaminibus; obstat ordo ipse quinquertii certaminum; obstant denique verba *τέρμα προβάς*, quae ab omnibus interpretibus secus, quam possunt intelligi, ac-

cepta sunt. Dicam de singulis. Atque illud quidem per se planum est, si de eo, quod facturus esset, loqui poeta voluisset, ὄρσειν eum scribere debuisse. Quamquam hoc argumento contra Boeckhium Disseniumque uti nolo. Non est enim opus futuro, si, quod recte fieri potest, aoristi infinitivum de praesenti tempore usurpatum putas. Quo facto ambiguum erit, utrum verba ista de illis, quae iam dicta sunt, an de his, quae statim dicturus sit poeta, intelligi debeant. Graviora vero sunt caetera.

Ac primum quidem quo tandem auctore constat, iaculi immenso iactu umquam deterritum esse quemquam, ut a reliquis quinquertii certaminibus abstineret? P. Fabrum nominat Boeckhius in Agonistico lib. II. cap. 27. At nihil ibi Faber, nisi quod ex male intellecto quodam 7Plutarchi loco colligit, athletis, si nullus adesset adversarius, permissum fuisse, ut ipsi prehenderent coronam. Plutarchi verba, quae sunt in principio libri *περὶ φιλοπλουτίας* p. 523. D. ne quis dubitet de Fabri errore, adscripsi: *Ἱππόμαχος ὁ ἀλείπτης, ἐπαινούντων τινῶν ἄνθρωπον εὐμήκη καὶ μακρὰς ἔχοντα χεῖρας ὡς πυκτικόν, εἶπερ, ἔφη, καθελεῖν ἔδει τὸν στέφανον κρεμάμενον· τοῦτ' ἔστιν εἰπεῖν πρὸς τοὺς τὰ καλὰ χωρία καὶ τὰς μεγάλας οἰκίας καὶ τὸ πολὺ ἀργύριον ὑπερεκπεπληγμένους καὶ μακαρίζοντας, εἶγ' ἔδει πωλουμένην πρίασθαι τὴν εὐδαιμονίαν.* Neque vero Faber lib. III. c. 22. ubi de iis, qui *ἀκονιτὶ* coronati sunt, disserit, quidquam protulit, quo illud, quod Boeckhio placet, confirmetur. Nec mirum. Nam quum is tantum quinquertio victor esset, qui in omnibus illis quinque certaminibus superior evasisset, quis credat adversarium, etiamsi iaculo se vincere non posse intelligeret, tamen non alio genere certaminis efficere studuisse, ut si ipse non victor renunciaretur, tamen etiam alteri honorem illum eriperet?

Quid vero, si ordo ipse certaminum, e quibus constabat quinquertium, impediebat, quo minus id fieret, quod sumitur, iaculi iactu a lucta deterritum esse adver-

sarium? Boeckhius quidem iaculum in quinquertio quartum, luctam autem quintum locum obtinuisse opinatur, argumentis his usus, primo, quod consentaneum videatur, a facilioribus initium factum esse, a quo deinceps ad difficiliora procederetur, deinde testari illud versum, quo partes quinquertii enumerantur,

ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην·

denique ex Pausania III. 11, 6. intelligi, cursum et saltum prima fuisse. Horum quod primo loco attulit Boeckhius, facile quis verum esse credat, si nulla in contrariam partem exstarent testimonia. Quamquam, si talia ex rei ipsius natura coniectanda sunt, nemo non videt, multa etiam ad infirmandam illam sententiam proferri posse. Quare satius videtur, in huiusmodi re a coniectura abstinere *).

Non plus ponderis habet illud argumentum, quod ex versu Simonidis depromptum est. Nam Simonides in epigrammate illo, quo Diophontem Isthmia et Pythia vicisse scripsit, ut genus certaminis indicaret, pro quinquertio8 partes eius enumeravit: quod eum illo ordine verborum fecisse, qui metro conveniret, tanto verisimilius est, quod neque quo ordine peragerentur ista certamina dicere voluit, neque ut id diceret opus habuit apud eos, quos id minime latebat. Ita esse, alii versus docent, propter eamdem caussam alium habentes certaminum illorum ordinem, ut:

ἅλμα, πάλη, δισκεύματ', ἀκόντιον, ἠδὲ δρόμημα.

Sic enim restituendus versus, quem vitiatum affert Eustathius p. 1320, 19. (1440, 46.) Et qui ibidem leguntur;

ἅλμα ποδῶν, δίσκου τε βολή, καὶ ἄκοντος ἐρωή,
καὶ δρόμος, ἠδὲ πάλη· μία δ' ἔπλετο πᾶσι τελευτή.

*) Homerus cur consueverit primo pugilatum, deinde luctam, postremo cursum nominare, lepida dissertatione quaesivit Plutarchus in Sympos. II. 5. p. 963.

Et his quidem, si de ordine certaminum quaeritur, nemo non plus tribuet, quam Simonidi, vel alteri isti apud Eustathium versui. Quum enim et descriptionem contineant quinquertii, et in ampliore duorum versuum spatio nulla metri necessitas impediverit, quin suo ordine singulae partes enumerarentur, facile videri poterunt illud ipsum praebere, quod quaerimus, idque tanto magis, quod etsi in scholiis ad Platonem p. 87. scriptum est, *ἔστι γὰρ πένταθλος οὗτος τοῖς νέοις ἀγωνία, πάλη, σίγυννος, ἅλμα, δίσκος, καὶ δρόμος*, tamen eumdem ordinem, quem versus illi habent, duo alii sequuntur scholiastae, Sophoclis ad El. 691. *ἅλμα, δίσκον, ἄκοντα, δρόμον, πάλην, ταῦτα ἐν μιᾷ τις ἠγωνίζετο ἡμέρᾳ*, et Pindari ad Isthm. I. 39. *τὸ πένταθλον, ὅπερ ἦν ἅλμα, δίσκος, ἀκόντιον, δρόμος, πάλη*. Et tamen, nisi forte statuas aut mutabilem fuisse ordinem certaminum, aut aliis in ludis alium, quorum neutrum verisimile est, ne hic quidem ordo is est, quo sese excipiebant partes quinquertii. Obstat enim Pausanias, cuius non potest non gravissima esse in hoc genere auctoritas. Commemoravit hunc quidem ex Fabro etiam Boeckhius, sed videtur verba eius minus accurate considerasse, qui nihil aliud ex iis collegerit, quam prima fuisse in quinquertio saltum et cursum. Ita enim scribit Pausanias III. 11, 1. *Τισαμενῷ δὲ ὄντι Ἠλείῳ τῶν Ἰαμιδῶν λόγιον ἐγένετο, ἀγῶνας ἀναιρήσεσθαι πέντε ἐπιφανε-*
9 *στάτους αὐτόν. οὕτω πένταθλον Ὀλυμπίασιν ἀσκήσας, ἀπῆλθεν ἡττηθείς· καίτοι τὰ δύο γε ἦν πρῶτος· καὶ γὰρ δρόμῳ τε ἐκράτει καὶ πηδήματι Ἱερώνυμον τὸν Ἄνδριον· καταπαλαισθεὶς δὲ ὑπ' αὐτοῦ καὶ ἁμαρτὼν τῆς νίκης, συνίησι τοῦ χρησμοῦ, διδόναι οἱ τὸν θεὸν μαντευομένῳ πέντε ἀγῶνας πολέμῳ κρατῆσαι.* Si ex hoc loco prima fuisse cursum et saltum apparet, apparet etiam tertium locum tenuisse luctam: ut lucta non potuerit, quemadmodum Boeckhio visum est, ultima esse. Apertum est enim, hoc dicere Pausaniam, quum cursu et saltu superior fuisset Tisamenus, ubi ad tertium certamen, luctam, perventum esset, victum esse, ac tum intellexisse, non de quinquertii victoria, sed de quinque bellicis victo-

riis dixisse oraculum. Nam ut primum victus in quinquertio est Tisamenus, statim intelligere debuit, male se dictionem oraculi interpretatum esse. Quodsi lucta ultima pars quinquertii fuisset, lucta autem ille victus oraculi mentem perspexit, debuisset Pausanias non cursum et saltum, sed caeteras quattuor partes quinquertii commemorare, quibus ille, priusquam ad luctam pervenisset, Hieronymo fuisset superior. Et profecto ille sola est ab Hieronymo lucta victus: in caeteris illum vicit. Nam qui eamdem rem refert, Herodotus IX. 33. per solam luctam stetisse scribit, quo minus quinquertio vinceret Tisamenus: *ἀσκέων δὲ πενταέθλον, παρὰ ἓν πάλαισμα ἔδραμε νικᾶν Ὀλυμπιάδα, Ἱερωνύμῳ τῷ Ἀνδρίῳ ἐλθὼν ἐς ἔριν.* Confirmat hic locus id, quod supra dicebam, etiam si quis victus esset aliqua in parte quinquertii, tamen eam reliqua certamina peregisse, ut certe aut eriperet ei, a quo superatus esset, victoriam quinquertii, aut quantum in ipso esset, laudem eius minueret. Non obscurum est enim, si Pausaniae verba cum Herodoti testimonio conferas, quamvis in tertio certamine victus esset Tisamenus, tamen eum quartum quintumque non modo iniisse, sed etiam vicisse, ut si non victor evaderet quinquertii, tamen quam proxime ad illam laudem accederet. Aperte autem Herodoti verba arguunt, neminem, nisi qui in omnibus quinque certaminibus adversarium superasset, victorem quinquertii habitum esse *). Id propter illa dico, quae P.

*) Quibus machinis usus sit Boeckhius, ut non solum haec luculenta scriptorum testimonia, sed etiam, quem ipse adiecit, apertissimum Xenophontis locum ad eum modum contorqueret, quo se nonnullis de suae sententiae veritate crederet persuadere posse, cognoscant, quibus volupe est, ex dissertatione quam Germanice de critica tractatione Pindari scripsit, p. 131. seqq. Xenophontis in Hist. Gr. VII. 4, 29. haec verba sunt de ludis Olympicis: *καὶ τὴν μὲν ἱπποδρομίαν ἤδη ἐπεποιήκεσαν καὶ τὰ δρομικὰ τοῦ πενταθλου· οἱ δ' εἰς πάλην ἀφικόμενοι οὐκέτι ἐν τῷ δρόμῳ, ἀλλὰ μεταξὺ τοῦ δρόμου καὶ τοῦ βωμοῦ ἐπάλαιον. οἱ γὰρ Ἠλεῖοι παρῆσαν ἤδη σὺν τοῖς ὅπλοις εἰς τὸ τέμενος.* Non puto nescivisse virum doctissimum, qui hic *εἰς πάλην ἀφικόμενοι* di-

Faber I. 27. attulit, ex Polluce III. 151. *ἐπὶ δὲ πεντ-*
ἄθλου τὸ νικῆσαι ἀποτριάξαι λέγουσιν, et ex Plutarchi Q. Symp. IX. 2. p. 738. A. *διὸ τοῖς τρισίν, ὥςπερ οἱ πένταθλοι, περίεστι καὶ νικᾷ.* Plutarchum enim quinquertionem pro luctatore nominasse certissimum est, quia id merito primum esse dicit, quod tribus modis antecellat, non autem de eo loquitur, quod, si saepius nequeat, ter saltem superius sit. Similique ex loco Pollucis adnotationem, nisi ipse erravit, haustam puto. In sola enim lucta *τριαγμὸν* locum habuisse constat *). Sed haec obiter.

Apertum est ex his, quae dixi, primas duas partes quinquertii cursum et saltum fuisse, tertiam luctam, ut discus et iaculum postrema fuerint, sive quartus sive quintus iaculo locus datus erat. Itaque nisi quis ostenderit, Nemeae alium horum certaminum ordinem, quam in Olympiis fuisse, quod non est verisimile, plane fieri non potuit, ut aut Sogenes, aut quisquam alius, iaculo metam longe superans, a lucta deterreret adversarios.

Alia igitur tentanda erit via. Sumamus tantisper, quod placet interpretibus, verba *τέρμα προβάς* significare *ultra terminum*, quae autem de lucta dicuntur, ad Sogenem spectare. Si ita est, ut caetera mittam, dura foret et inconcinna oratio, si *ὃς ἐξέπεμψας* legitur: „iuro me non trans finem iaculatum esse, Sogenes, qui corpus sine sudore a lucta retulisti ante maximum solis aestum.“ At melius oratio procedit in altera scriptura, *ὃς ἐξέπεμψεν*,

---

cuntur, per ipsa scriptoris verba non posse alios quam pentathlos intelligi: sed quia se immunem erroris videri vult, requiescere iussit pentathlos, et, dum illi se reficerent, prodire fecit eos, qui sola lucta certatum venerant.

*) *Πεντετριαζόμενον* pentathlum, qui in omnibus quinque certaminibus victus esset, vocavit Lucillius epigr. XI. in quo certamina illa hoc ordine enumerata sunt, lucta, cursus, discus, saltus, iaculum.

et huic quoque praestabit, si scripserimus *ὅ σ' ἐξέπεμψεν.* Tum hic erit sensus: „iuro me non trans finem concitasse celerem linguam, velut iaculum illud, quod te ante vehementiorem solis aestum sine sudore luctae dimisit.“ Referendum hoc foret, ut scholiastae visum est, ad dexteritatem Sogenis, qui tam cito deiecerit adversarium, ut ante ardentissimum calorem solis iaculo certare potuerit: quod hinc ultimum in quinquertio fuisse colligemus. Scio obstare quodammodo huic interpretationi Pausaniae auctoritatem, si idem in Nemeis, qui in Olympiis mos obtinuit. Sic enim ille VI. 24, 1. scribit de Hellanodicis: *εἰσιᾶσι δὲ, πρὶν μὲν τὸν ἥλιον ἀνίσχειν, συμβάλλοντες δρομέας, μεσούσης δὲ τῆς ἡμέρας, ἐπὶ τὸ πένταθλον καὶ ὅσα βαρέα ἄλλα ὀνομάζουσιν.* At non solum pro maiore vel minore 11
cursorum frequentia serius vel citius committi quinquertium debuit, sed etiam, ut demum circa meridiem coeperit, nihil impedit, quin hoc dicere poetam putemus, citius confectum esse, quam augescens solis calor sudorem ciere potuerit. Verum tamen nihil horum defendi potest. Nam si Pindarus his verbis linguam suam cum illo iaculo, quo Sogenes vicit, comparat, quod vel per se ineptum est, aut semet ipsum, aut Sogenem vituperat. Etenim si iurat, se non trans finem iaculatum esse, quod fecerit Sogenes, qui ea re vicerit, male se iaculatum esse iurat; sin ita se finem iaculo non superasse affirmat, ut ultra iaculari idem esse velit atque aberrare a meta, reprehendit Sogenem, quem id ipsum fecisse, eoque facto adeo victorem evasisse ex eo consequitur, quod huius iaculo linguam suam comparat. Accedunt ad haec alia non minus perversa atque absurda. Primum enim, quomodo illa potuit adiicere: *εἰ πόνος ἦν, τὸ τερπνὸν πλέον πεδέρχεται?* Nam si cito et sine sudore confecta est lucta, facilis fuit, non laboris plena. Deinde autem quod addit: *ἔα με. νικῶντί γε χάριν, εἴ τι πέραν ἀερθεὶς ἀνέκραγον, οὐ τραχύς εἰμι καταθέμεν·* id plane alienum est. Non enim haec verba aliam interpretationem admittunt, quam hanc: „sine me: victoriae tuae gratia, si quid longius digressus dixi, non sum ad persolvendum difficilis.“ Sumam tamen

quod quibusdam visum est, verba *εἴ τι πέραν ἀερθεὶς ἀνέκραγον* significare, „si quid maiore spiritu dixi.“ Quid tum? Si id, ut volunt, ad ea refertur, quae eum modo de Sogene dixisse putant, dupliciter minuit laudem victoris, semel confessione nimii praeconii; iterum, quum se non asperum ad persolvendum esse ait: quod quid est aliud, quam velle se nimia ista rependere iis, quae non sint nimia? Nisi hoc eum dicere voles, quod magis etiam ineptum est: si nimis laudare videatur Sogenem, morem suum hunc esse, ut prodigus sit laudis. Egregium vero praeconem, qui non tantum fateatur se modum in laudando excedere, sed tanta etiam sit impudentia, ut id illi ipsi, quem laudet, in os dicere non erubescat. Luce clarius esse puto, in toto hoc loco nihil esse, quod ad quinquertium Sogenis referri possit. Sed conficiam hanc
12 disputationem. Omnis enim erroris fons est in verbis *τέρμα προβάς*. Ea ita sunt omnes interpretati, ac si *ὑπερβάς* legeretur. Et fortasse ad hunc ipsum locum referenda est Hesychii adnotatio, *προβάς*, *ὑπερβάς*. Eadem scholiastae sententia fuit, cuius verba, in quibus recte Boeckhius *ἐξάθλων* reposuit, sensu carent, nisi ita corrigantur: *τοῦτο δὲ ἀπὸ τῶν πεντάθλων μετενήνοχε τῶν τὸ ἀκόντιον παρὰ τὸ ὡρισμένον τέρμα βαλλόντων, καὶ διὰ τοῦτο ἐξάθλων γενομένων*. Dixit hic *ἐξάθλους*, qui praemio excidant, ut schol. ad Hom. Od. *φ*. 76. At prorsus fieri nequit, ut illud significent verba *τέρμα προβάς*, non magis, quam Latine *prodire* vel *praeire terminum* pro *praeterire* dicas. Quid ergo aliud est *τέρμα προβαίνειν*? Id videamus. Iaculo aut scopum petebant: vide Pindar. Ol. X. 85. sive Boeckhio XI. 74. XIII. 133. (89.) aut quam longe quis iacere posset experiebantur, quod est *εἰς μῆκος* iacere: vide Lucian. Anach. 27. Hoc est, quod Horatius dixit I. Carm. 8, 12. „saepe disco, saepe trans finem iaculo nobilis expedito.“ Disci iaciendi is modus proprius fuit: vide Pind. Ol. X. 86. (XI. 75.) et Lucian. l. c. Qui iaculo discove de spatii magnitudine certaturi essent, iis aut nullus positus erat terminus, sed qui omnium longissime iecisset, victor habebatur: ut quos Homerus in

ludis funebribus Patrocli et apud Phaeaces, et Statius in sexto Thebaidis disco certantes fecerunt; aut potuit iis pro iudicum arbitrio terminus figi, de qua re nihil traditum accepimus; aut designabat aliquis finem proiecto iaculo discove, ut, qui iam certaturi essent, eum vel superare, vel saltem aequare deberent. Id facit apud Homerum Vlysses Od. ϑ. 186-203. qui proiecto disco Phaeaces his verbis ad certamen provocat:

τοῦτον νῦν ἀφίκεσθε, νέοι· τάχα δ' ὕστερον ἄλλον
ἥσειν ἢ τοσσοῦτον ὀΐομαι, ἢ ἔτι μᾶσσον.

Apte Eustathius p. 1591, 42. *σήματα δὲ λέγει, οἷς ἐσημειοῦντο, ποῦ ὁ δίσκος ἐν πρώτῃ καταφορᾷ ἔπεσε· διὸ ὑποκατιὼν καὶ τέρματα ἐρεῖ αὐτά, εἰπών, ἔθηκε δὲ τέρματ' Ἀθήνη, ἤγουν σημεῖα, ἔνθα τὸ πρῶτον κατ-*
ἤλθεν ὁ δίσκος. Hoc vero nemo non videt, ut Latinis 13
terminum praeire, ita Graecis recte dici *τέρμα προβαίνειν*. Tali iactu quum non de victoria certetur, *τέρμα προβαίνειν* idem erit atque temere et extra concertationem iaculari: id quod quum per se aptissimum h. l. sensum praebet, tum eo quoque, nisi fallor, confirmatur, quod Pindarus, qui saepe easdem sententias repetit, Pyth. I. 82. (42.) idem dicere videtur his verbis: *ἄνδρα δ' ἐγὼ κεῖνον αἰνῆσαι μενοινῶν ἔλπομαι μὴ χαλκοπάραον ἄκονθ' ὡσεί τ' ἀγῶνος βαλεῖν ἔξω παλάμᾳ δονέων, μακρὰ δὲ ῥίψαις ἀμεύσεσθ' ἀντίους.* Interpretes quidem *ἀγῶνος ἔξω βαλεῖν* esse putant, iaculum extra locum certaminis proiicere. Ei explicationi nihil praesidii est in vocabulo *ἐξαγώνιος*. Nam si Lucianus in Abdicato c. 26. T. II. p. 182, 27. iungit, *μὴ ἀπειρόκαλον, μηδ' ἐξαγώνιον, μηδ' ἀλλότριον ἢ ἄκαιρον*· et pro imag. c. 18. p. 496, 14. *ἐξαγώνια καὶ πόρρω τοῦ πράγματος*· et de gymnasiis c. 19. p. 898, 71. *μὴ ἐξαγώνια, μηδὲ πόρρω τοῦ σκοποῦ*· non minus recte, quae ad certamen non pertineant, quam quae sint extra locum certaminis significari patet; praesertim quum ipsa verba *ἔξω τοῦ ἀγῶνος* significent, alienum quid esse: ut in eodem de gymnasiis libello c. 21. p. 902, 76. *καίτοι ἔξω τοῦ ἀγῶνος ἴσως ταῦτα.*

Facilius, opinor, Pindari locus ipse, quid sit ἀγῶνος ἔξω, indicat. Nam si id est extra locum certaminis, verba, quae his opposita sunt, ostendunt, non posse iactum intelligi, quo quis metam tanto spatio superet, ut iaculum etiam loci, in quo certetur, fines excedat, sed talem potius significari, quo quis adeo a meta aberret, ut in obliquum misso iaculo fines egrediatur. At, ut voluerit Pindarus dicere, „spero me non imperite, sed perite missurum esse iaculum," non est tamen verisimile, illam ab eo esse imperitiam commemoratam, quae maior est, quam ut in ullum hominem cadat, qui certare cum aliis audeat. Quod contra longe aptius omnia procedunt, si ἀγῶνος ἔξω de tali iactu intelligimus, quem quis facit non certans cum aliis. Hoc enim dicit: „spero me non sine certamine vibraturum esse iaculum, sed longo spatio superaturum adversarios." Eadem igitur, nisi fallor, in illo loco, de quo disputamus, inest sententia, sed illa explicatius expressa.
14 Quum enim verba τέρμα προβάς vix aliud videantur significare posse, quam quod diximus, *terminum praefiniens*, videtur poeta se comparare cum eo, qui sive in certamine ipso, sive in exercitationibus ante certamen, puta autem eum esse aliquem magistrum quinquertii, iaculo misso terminum signet, quumque ipse non sit in numero certantium, a iaculo ante meridiani solis calorem sine luctae sudore dimittatur, quod contra illos, qui certant, iaculi iactus, quem ex his ipsis verbis ultimum in quinquertio fuisse coniici potest, ita dimittat, ut et post meridiem et sudantes a lucta e certamine exeant. Itaque sensus verborum hic erit: „deiero, Sogenes, me non terminum praecuntem veluti aere armatum iaculum praepetem linguam concitasse, quod, priusquam membra ardenti soli exponantur, robur et cervicem nullo a luctae laboribus sudore manantem dimisit: si labor fuit, maior voluptas consequitur." Paucis haec ita comprehendas: „non temere quidquam dixi, ut qui iaculi iactum quinquertionibus praeit, ipse non certans, nec sudans a lucta: maior enim ex labore voluptas est." Ita indicat poeta se, quae dixerit, de industria et studiose dixisse, simulque comparatione a quinquertio

petita tanto iucundiorem huius certaminis victoriam esse innuit, quanto maiore cum virium contentione sit parta. Quod patet Sogenis caussa dictum esse, ut colligere debeamus, diuturna eum et laboriosa lucta victorem evasisse.

At, inquiet aliquis, non nisi coniectura nititur haec interpretatio, si quidem non constat, praeivisse aliquem terminos. Fateor. Verum, ut permulta nos latent, quae in certaminibus istis usitata fuerunt, ita non est mirum, si ne huius quidem rei aliqua relicta est memoria, praesertim quum hoc non ad ipsos certantes pertineat. Congruit vero interpretatio nostra et cum verbis poetae, et cum totius carminis compositione, de qua mox dicam. Et si ex obscuris atque ambiguis indiciis aliquid peti potest, certe terminum, quisquis eum constituerit, iaculo discoque fuisse, illud Horatii videtur arguere, quod supra commemoratum est: „saepe disco, saepe trans finem iaculo nobilis expedito.“ Videndum vero, an eodem pertineat, quod narrat Pausanias VI. 19, 3. *ἐν τούτῳ τῷ θησαυρῷ δίσκοι τὸν ἀριθμὸν ἀνάκεινται τρεῖς, ὅσους ἐς τοῦ πεντάθλου τὸ ἀγώνισμα ἐχομίζουσι.* Ita quidem Amasaeus pro veteri scriptura *ἐς ὅσους*. Si illi tres disci magnitudine et pondere impares fuerunt, veri simile est, optionem datam esse certantibus, quo disco certare vellent. Ita necesse est idem discus ab utroque certantium iactus fuerit. Sin pares fuerunt, tum quid aliud censeamus, quam unum pro termino iactum, reliquis duobus certatum esse? Sed hae quidem coniecturae sunt. Revertamur eo, unde exorsi sumus. Si verum est, quod putamus, Pindarum, quae de Neoptolemo dixit, eo fine scripsisse, ut Euxenidas nulla dum victoria potitos, maximeque Thearionem, in Pythiis victum, consolaretur: apertum est, illa verba, quibus se ad Sogenem convertit, nostra interpretatione admissa, non modo nihil usquam offensionis relinquere, sed concinnitatem demum restituere toti carmini eam, ut omnia aptissime ac venustissime cohaereant. Quum enim, ubi victor Sogenes laudandus erat, non hoc fecerit, sed consolatus sit gentem eius patremque, ita tamen, ut eos simul laudaret,

iam et expurgare se debet, quod aliena dixisse videatur, et Sogeni debitam laudem persolvere. Eo fine quid est, quod aptius dicere potuerit, quam illud ipsum, quod eum dixisse putamus: „iuro me non temere haec et inconsiderate attulisse, ut qui iaculo terminum praeit, expers luctae laboris, qui quo gravior, eo dulcior est: sine me: si longius evagatus sum, omissa largiter rependam: facile mihi, nectere coronam: impone tibi eam. Musa tibi iungit aurum atque ebur et margaritas: Iovisque memor splendidam Nemeae laudem cane tranquillus.“ Haec omnia dicit victori: non semet ipsum in postremis, ut scholiastae volunt, alloquitur. Neque inconsulto addidit ἀσυχᾷ, quod vocabulum quum *tranquillo animo* significet, ut Pyth. XI. 85. (55.) referri videtur ad illa ipsa adversa, propter quae consolatus erat Euxenidas.

DE AESCHYLI NIOBE DISSERTATIO *).

Mira quadam vi retinent animos ea, quae deletrix rerum vetustas nobis invidit: quoque ea maiora et illustriora fuerant, eo memorabiliores solent et cariores esse, si quae supersunt reliquiae. Quarum ut numquam iniucunda, ita aliquando etiam fructuosa contemplatio est, in litteris praesertim, in quibus nihil est, quod pervestigasse non sit aut statim, aut olim profuturum. Ex eo genere, oblata scribendi opportunitate, aliquid promere constitui. Quumque ex antiquis Graecorum scriptoribus maxime admirer Aeschylum, huius fabularum una, Niobe, quae videtur ante alias nobilis fuisse, materiam mihi scribendi praebebit.

Ediderunt eo nomine fabulas et hic, quem dixi, Aeschylus, et Sophocles. Ab Euripide scriptam esse Nioben Valckenarius in Diatr. de fr. Eur. p. 13. non ante se crediturum dixit, quam alicunde fulcrum accessisset obscuro loco Aristotelis in libello de A. P. c. XVIII. 17. In quo tantum abest ut erraverit vir summus, ut ex eo ipso loco firmamentum videatur suae petere sententiae potuisse. Est ibi sic vulgo scriptum: χρὴ δέ, ὥσπερ εἴρηται πολ-

*) Scripta est a. 1823. Alia placuerant Welckero: quare contra eam scripsit in Trilogia p. 348. seqq.

λάκις, μεμνῆσθαι καὶ μὴ ποιεῖν ἐποποιϊκὸν σύστημα τραγῳδίας· ἐποποιϊκὸν δὲ λέγω τὸ πολύμυθον, οἷον εἴ τις τὸν τῆς Ἰλιάδος ὅλον ποιοῖ μῦθον. ἐκεῖ μὲν γὰρ διὰ τὸ μῆκος λαμβάνει τὰ μέρη τὸ πρέπον μέγεθος· ἐν δὲ τοῖς δράμασι πολὺ παρὰ τὴν ὑπόληψιν ἀποβαίνει. σημεῖον δέ, ὅσοι πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν, καὶ μὴ κατὰ μέρος, ὥσπερ Εὐριπίδης Νιόβην καὶ Μήδειαν, καὶ μὴ ὥσπερ Αἰσχύλος, ἢ ἐκπίπτουσιν, ἢ κακῶς ἀγωνίζονται· ἐπεὶ καὶ Ἀγάθων ἐξέπεσεν ἐν τούτῳ μόνῳ. Quae quum corrupta esse viderent critici, alii alia coniecerunt, Th. Tyrwhittus autem, deletis verbis καὶ Μήδειαν, quae in plurimis codd. desunt, ex versione Vallae pro nomine Niobae, quae non magis quam Medea ad res Troianas pertinet, Hecubae nomen ponendum censuit. Eum quum alii, tum ego ipse, quum ederem illum Aristotelis librum, sequutus sum. Nunc aliter sentio. Nam neque in Aeschylum cadere ista vituperatio videtur, neque Hecubam Euripidis, fabulam e duplici argumento compositam, laudatam esse ab Aristotele, isto praesertim loco, veri simile est. Quod si cogitaverimus, commutata saepissime ab librariis esse Euripidis et Sophoclis nomina, facile adducemur, ut inserta particula ἤ scribendum putemus, ἢ ὥσπερ Σοφοκλῆς Νιόβην, καὶ μὴ ὥσπερ Αἰσχύλος. Ita reprehendi Sophoclem, Aeschylum autem laudari patet. Iure vero reprehensum Sophoclem esse, arguere videntur haec de Niobe verba Eustathii p. 1367, 20. καὶ ἡ συμφορὰ δὲ αὐτῆς κατὰ μὲν τινὰς ἐν Λυδίᾳ, κατὰ δὲ τινὰς ἐν Θήβαις γενέσθαι λέγεται. Σοφοκλῆς δὲ τοὺς μὲν παῖδας αὐτῆς ἐν Θήβαις ἀπολέσθαι φησίν· αὐτὴν δὲ εἰς Λυδίαν ἐλθεῖν. Eadem leguntur apud Eudociam p. 307. Quod si Sophocles non tantum liberorum Niobae interitum, quod etiam aliunde constat, sed etiam Niobae ipsius in saxum mutationem, quum reversa esset in Lydiam, illa fabula complexus est, id ipsum fecit, quod vituperat Aristoteles, ut non unam aliquam rem tractaret, sed omnia, quae Niobae initio Thebis, post in Lydia adversa evenissent, deinceps persequeretur. Nihil obstat, quod Sophoclis Niobe, ut ego quidem puto, fabula fuit satyrica. Non

enim de sola tragoedia, sed universe de scenica poesi loqui Aristotelem et res ipsa monstrat, et verba docent quibus utitur, *ἐν τοῖς δράμασιν*. Vt autem satyricam fuisse fabulam illam existimem, non solum vox *δερμηστής*, quae in ea fabula fuit, aut *Ἕλυμοι αὐλοὶ* faciunt, ab eodem poeta etiam in Tympanistis nominati, quam fabulam iure Boeckhius videtur satyricis adnumerare, sed alia habeo, eaque graviora argumenta. Quod Plutarchus scribit Q. Symp. VI. 6. *ὥςπερ ἡ τραγικὴ τροφὸς ἐκείνη τὰ τῆς Νιόβης τέκνα τιθηνεῖται·*

> *λεπτοσπαθήτων χλανιδίων ἐρειπίοις*
> *θάλπουσα καὶ ψύχουσα, καὶ πόνῳ πόνον*
> *ἐκ νυκτὸς ἀλλάσσουσα τὸν καθ' ἡμέραν,*

recte, puto, Valckenarius in Adnott. ad Phalar. p. X. ad Sophoclis Nioben retulit: occidebantur enim in illa fabula Niobae filii, ut ex his Plutarchi verbis in Amatorio p. 760. D. cognoscimus: *τῶν μὲν γὰρ τοῦ Σοφοκλέους Νιοβιδῶν βαλλομένων καὶ θνησκόντων ἀνακαλεῖταί τις οὐδένα βοηθὸν ἄλλον οὐδὲ σύμμαχον, ἢ τὸν ἐραστήν· ὦ* ἀμφ' ἐμοῦ στεῖλαι.* Quis vero sibi persuadeat, in tragoedia esse in ipsa scena tot Niobae liberos occisos; in tragoedia aliquem morientem amatoris implorasse auxilium; in tragoedia nutricem non fascias, sed fasciarum *ἐρείπια* commemorasse? Valckenarius quidem, homo singularis iudicii, quem ne istud *χλανιδίων* quidem offendit, pro quo tamen genuinum vocabulum *σπαργάνων* Plutarchus habet in libro de amore liberorum p. 466. E. simplicem maiestatem Sophoclis ex istis versibus elucere opinabatur. Ista si cui maiestas videtur, meminerit, eam apertam imitationem eorum esse, quae Orestis nutrix in Choephoris fabulatur. At, inquiat quispiam, tragoediam fuisse Sophoclis Nioben eo indicat Plutarchus, quod *ἡ τραγικὴ τροφὸς* dicit. Quin apertius etiam Athenaeus id testatur XIII. p. 601. A. *οὕτω δ' ἐναγώνιος ἦν ἡ περὶ τὰ ἐρωτικὰ πραγματεία, καὶ οὐδεὶς ἠγεῖτο φορτικοὺς τοὺς ἐρωτικούς, ὥστε καὶ Αἰσχύλος, μέγας ὢν ποιητής, καὶ Σοφοκλῆς ἦγον εἰς τὰ θέατρα διὰ τῶν τραγῳδιῶν ἀρσενικοὺς*

ἔρωτας, ὃ μὲν τὸν Ἀχιλλέως πρὸς Πάτροκλον, ὃ δὲ ἐν τῇ Νιόβῃ τὸν τῶν παίδων· διὸ καὶ παιδεράστριαν τινὲς καλοῦσι τὴν τραγῳδίαν. Nihil his ego quidem commoveor. Nam veteres scriptores quum universe tragicos eorumque scripta nominant, tragoediae appellatione etiam satyricas fabulas comprehendunt: id quod iam Casaubonus cap. 3. de poesi sat. p. 91. ed. Ramb. adnotavit, eoque modo etiam quae ab Asclepiade aliisque scripta sunt τραγῳδούμενα intelligi debere, Werferus monuit in Act. Monac. II. fasc. 4. p. 495. Quin Pollux II. 223. ubi ne poterat quidem de tragoedia cogitari, scripsit: καὶ ἡ τραγῳδία τὴν ἀμίδα οὐράνην ἐκάλεσε, Aeschyli et Sophoclis
6 satyros dicens. Aeschyli vero Athenaeus Myrmidones respicit, quam fabulam non magis, quam Sophoclis Nioben, tragoediam fuisse, fragmenta eius satis aperte mihi videntur arguere, licet et Eustathius, dictum quoddam ex ea afferens, τραγῳδικῶς εἰπεῖν dicat, et τραγῳδίαν appellet Plutarchus, si cum recte emendavit Porsonus ad Med. 139. VIII. Vltima Athenaei verba non ad Nioben Sophoclis, sed omnino ad tragicos videntur referenda esse.

Sed quoniam satyricam fuisse Sophoclis Nioben dixi, non abs re erit, scholion attigisse, cuius partem Werferus ex quodam codice Darmstadiensi edidit in Actis Monac. II. fasc. 4. p. 515. in quo scholio quum Iambe Sophoclis commemoretur, cuius fabulae adhuc non alia mentio reperta est, suspicari licet, ex Niobae nomine corruptum esse illum fabulae indicem. Totum scholion, quod a Werfero per litteras mecum communicatum habeo, ita scriptum est: ἔοικε τὸ φενακίζειν καὶ ἡ φενάκη ἀπὸ τοῦ πηνηκίζειν καὶ τῆς πηνήκης γίνεσθαι: ὡς τὸ ἐξαπίνης ἀπὸ τοῦ ἐξαίφνης· καὶ δῆλον ὅτι οἱ παλαιότεροι κωμικοὶ πηνήκην καὶ πηνικίζειν ἔλεγον: Κρατῖνος· πονηροὺς ἀνθρώπους πηνηκίζων ἐξαπατᾷ· λέγεται δὲ πηνίκη (supra scriptum est, ἀπὸ τῆς πηνήκης) ἡ ἐπίθετος κύμη: ὅθεν τὸ ῥῆμα· ὡς ἐν τούτοις· ἐγὼ δὲ διαταῦτα μὴ γέλων ὄφλων λάθω, περὶ τὴν κεφαλὴν ἐξῆμμαι πηνίκην τινά: ἔστι δὲ τὸ φενακίζειν εἰ-

πεῖν, καὶ περὶ τοὺς φήληκας· Σοφοκλῆς ἐν ἰάμβῳ· καὶ φήληκας δὲ φαμὲν τοὺς πλανῶνας τὴν ὄψιν ὡς πεπείρους. Quae si ad Nioben spectant, verbum φενακίζειν non sineret dubitari, quin fabula fuisset satyrica. Sed puto ego quidem scholion mutilum esse, vocemque, quae ex Sophocle allata erat, fuisse φηλώματα, de qua similia, ut in isto scholio, scripta sunt in Etymol. M. p. 791, 32. et in Bekkeri Anecd. p. 315, 11.

Ad Sophoclis Nioben referendum videri, quod apud Photium legitur: νοβακκίζειν, τὸ ὀρχούμενον τοῖς δακτύλοις συμψοφεῖν· σεισμὸς Νιόβῃ, in indice ad eum indicavi. Satyricum enim verbum videtur. Ruhnkenius Aeschyli esse opinabatur, vereor ne non alia caussa, quam quod huius ei Niobe prima in mentem venisset. Sed hunc tamen sequi maluit Dobreus. Caeterum nescio an Sophoclem potissimum ante oculos habuerit Ovidius in VI. Metam., cui Niobe post interitum liberorum non solum *validi circumdata turbine venti in patriam rapta est*, sed etiam multa stolidius loquitur, quam pro dignitate tragoediae.

Sed ut ad Aeschyli Nioben revertamur, quae compositio fuerit illius fabulae coniiciat fortasse, ut in Euripidis Phaethonte, divinum ingenium Goethii, cui contigit, quod sibi exoptabat Horatius, integra cum mente nec turpem senectam degere nec cithara carentem. Nobis, qui critici fungimur officio, intra fines consistendum est multo angustiores. Ordiamur autem ab iis, quae supra ex Aristotele retulimus: qui nobis laudare videtur Aeschylum, quod non, ut Sophocles, omnem Niobae historiam, sed unam tantum eius partem complexus sit. Id vero factum esse ab Aeschylo, etiam aliis argumentis colligimus. In Vita eius haec leguntur: ὥστε διὰ τὸ πλεονάζειν τῷ βάρει τῶν προσώπων κωμῳδεῖται παρὰ Ἀριστοφάνους. ἐν μὲν γὰρ τῇ Νιόβῃ ἕως τρίτης ἡμέρας ἐπικαθημένη τῷ τάφῳ τῶν παίδων οὐδὲν φθέγγεται, ἐγκεκαλυμμένη· ἐν δὲ δὴ τοῖς Ἕκτορος λυτροῖς Ἀχιλλεὺς ὁμοίως ἐγκεκαλυμμένος

οὐ φθέγγεται, πλὴν ἐν ἀρχαῖς ὀλίγα πρὸς Ἑρμῆν ἀμοιβαῖα. P. Victorius corrigebat ἕως τρίτου μέρους, ut Spanhemius ad Aristoph. Ran. 942. refert, qui defensurus erat eam coniecturam. Ac videatur ei fortassis aliquid commendationis ab ipso accedere Aristophane, qui sic scribit illo loco:

πρώτιστα μὲν γὰρ δῆθ' ἕνα τίν' ἐκάθισεν ἐγκαλύψας,
Ἀχιλλέα τίν', ἢ Νιόβην, τὸ πρόσωπον οὐχὶ δεικνύς,
πρόσχημα τῆς τραγῳδίας, γρύζοντας οὐδὲ τουτί.
Δ. μὰ τὸν Δί', οὐ δῆθ'. ΕΥ. ὁ δὲ χορός γ' ἤρειδεν ὁρμαθοὺς ἂν
μελῶν ἐφεξῆς τέτταρας ξυνεχῶς ἄν· οἱ δ' ἐσίγων.
Δ. ἐγὼ δ' ἔχαιρον τῇ σιωπῇ, καί με τοῦτ' ἔτερπεν
οὐχ ἧττον ἢ νῦν οἱ λαλοῦντες. ΕΥ. ἠλίθιος γὰρ ἦσθα,
σάφ' ἴσθι. Δ. κἀμαυτῷ δοκῶ. τί δὲ ταῦτ' ἔδρασ' ὁ δεῖνα;
8 ΕΥ. ὑπ' ἀλαζονείας, ἵν' ὁ θεατὴς προσδοκῶν καθοῖτο,
ὁπόθ' ἡ Νιόβη φθέξαιτο δή. τὸ δρᾶμα δ' ἂν διῄει.

In scholiis tamen ad hos versus scriptum est: ὁ Ἀχιλλεὺς δὲ καθήμενος ἐστὶ καὶ οὐκ ἀποκρινόμενος παρ' Αἰσχύλῳ ἐν δράματι ἐπιγραφομένῳ Φρυξίν, ἢ Ἕκτορος λυτροῖς. Ἄλλως. εἰκὸς τὸν ἐν τοῖς Φρυξὶν Ἀχιλλέα, ἢ τὸν ἐν Μυρμιδόσιν, ὃς μέχρι τριῶν ἡμερῶν οὐδὲν φθέγγεται. Haec postrema aut hominis sunt indocti, qui quae de Niobe legisset, ad Myrmidones transtulit, aut corrupta aliquot verborum omissione, ut confirmare videantur id, quod in Vita traditum est. Nam in Myrmidonum initio talis ludebat Achilles, qui si tacuit, tum demum tacuit, quum oratores eum de auxilio Graecis ferendo sollicitabant. De Niobe minus diserte alii auctores referunt. Scholiastes Aeschyli ad Prom. 433. σιωπῶσι δὲ παρὰ τοῖς ποιηταῖς τὰ πρόσωπα ἢ δι' αὐθαδίαν, ὡς Ἀχιλλεὺς ἐν

τοῖς Φρυξὶ Σοφοκλέους, ἢ διὰ τὴν συμφοράν, ὡς ἡ Νιόβη παρ' Αἰσχύλῳ. Confudit hic Sophoclis et Aeschyli Phryges: neque enim recte Aeschyli nomen pro Sophoclis nomine reponi volebat Menagius, quem probabat Spanhemius ad Aristoph. Ran. 950. Eustathius p. 1940, 64. καὶ γάρ τοι παρὰ Αἰσχύλῳ κάθηνταί που πρόσωπα σιωπῶντα ἐφ' ἱκανὸν κατὰ σχῆμα ἢ πένθους ἢ θαυμασμοῦ ἤ τινος ἑτεροίου πάθους· καὶ ἔοικεν ἡ τραγῳδία ἐντεῦθεν λαβοῦσα, (Penelopen Homeri dicit) τὰ τοιαῦτα σοφίζεσθαι. Idem p. 1343, 62. de tabula, qua Timanthes Agamemnonem capite operto in immolatione Iphigeniae pinxerat: ὅπερ καὶ Αἰσχύλος μιμούμενος, τήν τε Νιόβην καὶ ἄλλα πρόσωπα ὁμοίως ἐσχημάτισε, σκωπτόμενος μὲν ὑπὸ τοῦ κωμικοῦ, ἐπαινούμενος δὲ ἄλλως, διὰ τὸ τῆς μιμήσεως ἀξιόχρεων. Iam esto, ut ad tertiam usque fabulae partem taciturna sederit in tumulo liberorum Niobe, quid aliud inde colligemus, quam in iis tantum rebus versatam esse illam tragoediam, quae post obitum Niobae liberorum evenissent? Nam ne commemorem, non potuisse Nioben dici usque ad tertiam partem fabulae tacuisse, nisi statim a principio tacens introducta esset, quis credat eam non saltem antequam interitum liberorum acciperet, aut ubi primum coepisset nuncius de ea re exponere, aliquid esse loquutam? Immo 9 et scriptorum quae attulimus testimonia, et res ipsa suadent, ut eam non nisi comperta iam caede liberorum moerentem tacentemque in scena conspectam esse existimemus. Nam ita demum silentii in tali quidem caussa aliqua vis est ad implendos admiratione aut horrore animos spectatorum, si quem non obticentem videmus, sed intelligimus adhuc tacuisse, permanereque in eo silentio. Quare tantum abest, ut correctione indigere videantur illa testimonia, quibus Niobe tertium iam diem tacens introducta perhibetur, ut ad metum spectatorum exspectationemque, quorsum evasurus esset tantus moeror, nihil ab Aeschylo inveniri efficacius potuerit.

Thebisne an in Lydia agi rem voluerit Aeschylus, non est proditum a scriptoribus. Fons fabulae in Lydia

fuit: sed quum Amphion, qui est Niobae maritus dictus, confusus esset cum fratre Zethi, traducta est Thebas, quique huius fuerunt Amphionis liberi, matrem habuisse Nioben crediti sunt: quumque fama esset, Niobae filios in monte Sipylo, ut est apud Hyginum, occisos esse, translata ea res est in montem Cithaeronem, et quod Amphionidarum sepulcrum Thebis erat, Niobidarum esse existimatum est. Neque enim Euripidem ementitum esse illud apud Thebanos Niobidarum sepulcrum, ut ait scholiastes ad Phoen. 159. gravissimus auctor Pausanias docet IX. 16, 4. *Θηβαίοις δὲ ἐνταῦθα καὶ τὰ μνήματα πεποίηται τῶν Ἀμφίονος παίδων, χωρὶς μὲν τῶν ἀρσένων, ἰδίᾳ δὲ ταῖς παρθένοις.* Et 17, 1. *ἀπέχει δὲ ἡ πυρὰ τῶν Ἀμφίονος παίδων ἥμισυ σταδίου μάλιστα ἀπὸ τῶν τάφων· μένει δὲ ἡ τέφρα καὶ ἐς τόδε ἔτι ἀπὸ τῆς πυρᾶς.* Atqui Amphionem illum Pausanias Tantali generum esse putabat, ut apparet ex lib. IX. 5, 4.

Iam Aeschyleae fabulae scena quum aut Thebis, aut in Lydia, aut utrubique esse potuerit, illud, quod postremum posui, omnium minime veri simile esse, vel ex eo colligi potest, quod id diserte Sophocli tribui videmus: ne scenae mutationem, tametsi etiam in Eumenidibus mutatur scena, chorique in Lydiam transportandi incommoditatem afferam. Omninoque, si de Aristotelis testimonio recte iudicavimus, non est credibile, scenam in Aeschyli fabula mutatam esse. Neque vero Thebis eum rem agi voluisse, ex eo videtur coniici posse, quod Tantalum introduxit. Quem si finxisset Thebas venisse vel ad consolandam, vel ad abducendam filiam, fecisset quod valde alienum est ab antiquioris tragoediae simplicitate, ut inveniret, quod nulla fabularum veterum fide niteretur. Non enim, quod sciam, Tantalum umquam Thebas venisse proditum est. Itaque hoc solum reliquum est, ut scenam fabulae in Lydia fuisse credamus. Idque non modo cum laude, quam ab Aristotele huic fabulae tributam putamus, bene congruit, sed poetae quoque ingenio egregie accommodatum est. Nam quo magis ille ad

magna et sublimia ferebatur, eo magis, quae remota, peregrina, divina viderentur, consectari solebat.

Chorus fabulae qualis fuerit, non constat. Nam etsi, quemadmodum in Supplicibus v. 287. rex Pelasgus, Danaidibus conspectis, de genere earum dubitat, et quum alios quibus similes videantur nominat, tum v. 289. hoc dicit,

καὶ Νεῖλος ἂν θρέψειε τοιοῦτον φυτόν,

ita etiam in Niobe aliquis potuit in simili caussa dicere,

Ἴστρος τοιαύτας παρθένους λοχεύεται·

tamen adeo incerta est huius versus scriptura, ut non multum ei hac in re tribuendum putem. Afferunt eum, ut diphthongum etiam in media voce ante vocalem corripi ostendant, Hephaestio p. 3. (7. ed. Gaisf.) Priscianus I. 9. p. 562. (47. ed. Krehl.) Eustathius p. 1665, 38. (Od. 407, 20.) legiturque in capite subdititio, quod edd. vett. Prisciani libro quinto adiiciunt, hoc modo scriptus, *τοιαύτας οἶστρος παρθένους λοχεύεται.* Et *οἶστρος* quidem et Hephaestio, isque etiam in cod. Palat. et multi libri Prisciani habent, sed *Ἴστρος* e quibusdam codd. Prisciani probarunt Arnaldus in Spec. An. cr. p. 98. s. Dorvillius Vann. crit. p. 504. s. Blomfieldius ad Aeschyli Prom. 513. Atque Arnaldus quidem Amazones dici putat. Verum etsi harum et sedes satis incertae sunt, et expeditiones late patuerunt, tamen non novi qui eas ad Istrum incoluisse dixerit. Nam si Pindarus Ol. VIII. 47. (63.) Apollinem dicit Xanthum, Amazones, et Istrum petiisse, cuius in loci explicatione mireris exilem interpretum diligentiam, Hyperboreos ille Istri nomine designat. Accedit quod etiam verbum *λοχεύεται* valde suspectum est, pro quo quum in Prisciani ed. Ald. *μαιεύεται*, et praeter alia apud eumdem menda, apud Eustathium *μνηστεύεται* legatur, vereor ego magnopere ne vera scriptura sit, 11

οἶστρος τοιαύτας παρθένους μνηστεύεται·

quae nemo non videt de amore dici potuisse, quo formosissimas illas Niobae filias proci expetiverint: ut nihil ad chorum hic versus pertineat. Quamquam convenientissimum videtur, mulieribus Lydiis eas partes tributas esse.

De personis fabulae, quarum in singulis actibus aliam introducere solitum esse Aeschylum docte ostendit Heerenius in bibl. vet. litt. et art. fasc. VIII. nihil compertum habemus, nisi praeter Nioben, Tantali insignes partes fuisse. Accedebat his fortasse Amphion, maritus Niobae, et dei cuiuspiam vox, de qua infra dicemus. Argumentum tragoediae, ut videtur, in eo versabatur, ut, postquam propinqui amicique consolari Niobam atque a tumulo abstrahere frustra conati essent, illa, quum rupto tandem silentio iniquitatem deorum incusasset, vocante deo in Sipylum abiret, debitum fatis solutura. Ex his quae paucae supersunt reliquiae, si id, quod et maxime simplex, et mori ingenioque Aeschyli accommodatissimum videatur, spectamus, eo ducunt, ut chorum, qui, nisi fallimur, ex indigenis mulieribus constabat, incepisse fabulam putemus: qui quum graves deorum iras diramque sortem Niobae carmine esset persequutus, infelicem feminam monebat, ut lugendi finem faceret, neque, quum tertium iam diem in sepulcro liberorum sederet, moerore sibi ipsa interitum afferret. Sed in eamdem sententiam quum etiam alias fabulae personas verba fecisse credibile sit, non possunt huiusmodi dicta certo in chori verbis haberi. Quisquis igitur ita commonuit Nioben, quum id se incassum facere intelligeret, tandem indignabundus his
12 eam verbis obiurgabat, quae servavit Hesychius v. *ἐπώζειν· ἐπικαθῆσθαι τοῖς ὠοῖς. Αἰσχύλος ἐν Νιόβῃ μεταφορικῶς·*

ἐφημένη
τάφον, τέκνοις ἔπωζε τοῖς τεθνηκόσιν.

Editum ibi *ἐφιμένη τάφῳ*, sed codex *ἐφιμένη τάφον*.

In secundo actu mirum foret ni aliquem introduxisset poeta, cui nuncius, quae fuit necessaria pars tragoedia-

rum, interitum Niobae filiorum enarraret. Ad huius narrationis exordium pertinebat fortasse gravissima illa et nobilissima sententia:

θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς,
ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ.

Quam in Niobe positam fuisse cognoscimus ex Platone de Rep. II. p. 380. ex quo eam affert Eusebius Praep. Ev. XIII. 3. p. 643. D. Habent eam etiam Plutarchus de aud. poet. p. 17. B. et in libro de communibus sententiis p. 1065. E. ac Stobaeus S. II. 7. ubi margo Gesneri pro *μὲν* praebet *γάρ*, quod non debebat tam infirma auctoritate admitti a Blomfieldio ad Sept. c. Theb. 4.

In illa nuncii narratione credibile est etiam numerum indicatum fuisse Niobae liberorum. De eo scholiastes Euripidis ad Phoen. 162. *ὁμοίως* (ita scribendum pro *ὅμως*) *καὶ Αἰσχύλος ἐν Νιόβῃ καὶ Ἀριστοφάνης δὲ ἐν δράματι Νιόβης ὁμοίως, ζ' αὐτὰς εἶναι λέγουσιν, εἶναι δὲ ἑπτὰ καὶ τοὺς ἄῤῥενας.* Pro Aristophane videatur ille fortasse Sophoclem nominasse: nam ille quoque XIV. commemoraverat, teste Lactantio ad Stat. Theb. VI. 123. Non puto tamen in auctoris nomine, sed in nomine scripti erratum esse, reponique debere *ἐν Δράμασιν ἢ Νιόβῳ.* Sic enim inscriptam fuisse illam fabulam, probabiliter docuit Schweighäuserus ad Athen. XV. 699. F. quem Athenaei locum accurate consideranti non dissimile veri videbitur, comoediam istam, quae *Δράματα ἢ Κένταυρος* nomen habuerat, etiam simpliciter *Δράματα* vocatam esse, refictae autem et iterum in scenam productae nomen fecisse poetam *Δράματα ἢ Νίοβον·* ex quo utramque ibi commemorans Athenaeus, priorem *Δράματα*, posterio-13
rem *δεύτερον Νίοβον* appellaverit. Quisquis autem fuerit ille, quem Niobum poeta facetissimus dixit, ipsum nomen indicio est, Tantali nepotum mentionem in ea fabula esse iniectam.

Eum, cui nuncius, quem credibile est domesticorum aliquem fuisse, de interemptis Niobae liberis exponebat,

aut Amphionem, peregre revertentem, aut Tantalum fuisse, reducem e deorum concilio, veri simile est. Alterius horum, licet de Amphione nihil memoriae proditum sit, in secundo actu, alterius in tertio praecipuas partes fuisse coniicias; item, quod alii frustra conati erant impetrare, ut vocem aliquam ederet Niobe, id aut patris auctoritatem effecisse, aut liberorum suorum mortem deplorantis lamenta Amphionis. Sed hunc, testibus destituti, missum facimus. Tantalum vero ignarum acceptae cladis advenire ex eo colligimus, quod se in summa felicitate diffidere rebus humanis dicit. Quem unde, nisi ab Iovis convictu, venisse censebimus? Cui coniecturae aliquid praesidii accedere videtur e tenui vestigio, quod Spanhemius apud Fed. Morellum deprehendit. Nam quum apud Philostratum de vita Apollonii lib. IV. c. 5. p. 173. ed. Morell. sive cap. 16. p. 154. ed. Olear. de Achille scriptum sit, *ἀλλὰ σὺ, ἔφη, Ἀπολλώνιε, σοφοῖς γὰρ πρὸς σοφοὺς ἐπιτήδεια, τοῦ τε τάφου ἐπιμελήθητι. καὶ τὸ ἄγαλμα τοῦ Παλαμήδους ἀνάλαβε, φαύλως ἐῤῥιμμένον*, Morellus in argumento capitis illius haec verba posuit: *Senarius Iambicus ex Aeschyli Nioba, σοφοῖς * ἐστι γὰρ πρὸς σοφοὺς ἐπιτήδεια. Prudentibus affinia inter se pleraque.* Quae unde habeat, nescio. Nam argumenta illa, praefixa versioni Alamanni Rinuccini, in ed. Ald. perhibentur ab Aldo Pio Manutio sic composita et digesta esse. Atqui in illa editione quum huius quoque capitis argumentum caetera iisdem verbis, ut apud Morellum, scriptum sit, tamen illa quae attulimus Latina verba omissa sunt, sola autem Graeca posita inveniuntur, sed plane, ut apud Philostratum scripta sunt, i. e. et asterisco et verbo *ἐστὶ* omisso. Itaque quum Aldus ignoret illam Niobae com-
14 memorationem, sic coniicio, quisquis hic senarium ex illa fabula petitum adnotavit, id scholiastae alicuius indicio fecisse. Nihil tamen huiusmodi in codd. Paris. adnotatum esse, perhumaniter mihi significavit Fr. Osannus, quem, quod eos codd. contulisset, de ea re interrogaveram. Quod si recte coniicimus Morelli adnotationem ex aliquo scholio haustam esse, verba Philostrati, quae manifesto

corrupta sunt, ita emendari oportebit, *σοφοῖς γὰρ πρὸς σοφοὺς ἐστὶ κηδεία:* quod ipsum expressit Rinuccinus his verbis: *est enim sapientibus viris orga sapientes affinitas quaedam.* Ea si Aeschyli verba sunt, non praebent senarium, sed putanda erunt ex trochaeis chori, aliusve personae advenientem conspicientis a Iovis sapientissimi concilio Tantalum, sumpta esse, ubi sic habuerint:

ὡς σοφοῖσι πρὸς σοφοὺς
ἐστὶ κηδεία·

Tantalus igitur, scenam ingressus, nesciens, ut opinor, filiam suam esse, quae obvoluto capite illic in tumulo sederet, ut sapientem virum decet, in summa felicitate sua fragilitatem rerum humanarum reputabat. De eo Strabo in fine libri XII. quum Niobae quaedam verba commemorasset, ex quo tamen non colligam, apud Aeschylum illa antecessisse orationem Tantali, sic ait: *καὶ ὁ Τάνταλος λέγει· σπείρω δ' ἄρουραν δώδεχ' ἡμερῶν ὁδόν, Βερέκυντα χῶρον, ἔνθ' Ἀδραστείας ἔδος, Ἴδης μυκηθμοῖσι καὶ βρυχήμασιν ἕρπουσι μήλων, πᾶν δ' ἐρέχθει πέδον.* Plutarchus autem in libro de exsilio p. **603. A.** nihil ad beatitatem conferre opes ostendens, *ἀκούεις,* inquit, *τοῦ Ταντάλου λέγοντος ἐν τῇ τραγῳδίᾳ· σπείρω δ' ἄρουραν δώδεχ' ἡμερῶν ὁδόν, Βερέκυνθα χῶρον.* Eademque verba idem alio in libro p. **778. B.** affert. Corrupta qui sanare studuit, Casaubonus, *Ἴδη τε* et *βρέμουσι μήλων,* tum *πᾶν δ' ὀρεχθέει πέδον* coniecit. Illud *ὀρεχθέει* aegre ignoscimus Casaubono: Tzschukkio, qui nostra aetate ista recepit, nulla est excusatio *). Valckenarius ad Hippol. **744.** cui codd. scripturae non erant notae, sic lusit: *Ἴδης ἐνὶ κνημοῖσι καὶ βρυχήμασιν ὀργῶσι μήλων πᾶν* [*δ' ὀρεχθέει*] *πέδον,* abstinens a postre-15

*) Quid vero de Welckero dicamus, qui in Appendice ad Trilogiam p. 83. etiam defendit illud ab Homero scilicet acceptum *ὀρεχθέει*? et quibus tandem argumentis?

mis verbis. Heathius, *Ἴδη τε μυκηθμοῖσι καὶ βρυχήμασι βρέμουσα μήλων, πᾶν δὲ κἀρέχθει πέδον.* Toupius ad Suidam I. p. 443. II. 478. *Ἴδη τε μυκηθμοῖσι καὶ βρυχήμασι τέρπουσι μήλων, πᾶν δὲ κὠρεχθεῖ πέδον.* Neuter cogitavit, non esse hic locum particulae *καί*. Heathium in caeteris sequens Iacobsius in Diar. litt. Halens. a. 1822. fol. 71. p. 567. ultima sic scribenda putabat: *πᾶν τ' ὀρεχθεῖ γῆς πέδον.* At non fert id trimeter tragicus. *Ἴδης τε* habent codd. Par. 1. 5. Med. 3. 4. Esc. Mosc. Verba *ἕρπουσι μήλων* et *δ'* desunt in Med. 3. qui habet *ὀρεχθεῖ*, quod in Esc. et Mosc. *ἐρέχθεον* scriptum est. Quum omittere soleat Strabo, quae nihil ad rem faciant, non dubitandum videtur, quin postrema verba ita debeant cum praecedentibus iuncta esse, ut abesse nequeant: ex quo consequitur, *Ἴδης*, in quo libri omnes consentiunt, et *πέδον* cohaerere. Nec minus *ἕρπουσι* consensu librorum firmatum est. Quare sic scripsisse Aeschylum puto:

σπείρω δ' ἄρουραν δώδεχ' ἡμερῶν ὁδόν,
Βερέκυντα χῶρον, ἔνθ' Ἀδραστείας ἔδος,
Ἴδης τε μυκηθμοῖσι καὶ βρυχήμασιν
ἕρπουσι μήλων πᾶν δι' ὀρχηθμοὶ πέδον *).

---

*) Nec valde placuit mihi haec correctio quum eam facerem, et mox displicuit, quod et iusto maior mutatio facta est et dura est oratio. Quod Welckerus cum Toupio existimat, Aristiam Pratinae filium ad hunc Aeschyli locum respexisse versu, quem Athenaeus II. p. 60. B. affert,

μύκαισι δ' ὠρέχθει τὸ λάϊνον πέδον,

speciosius quam verius dictum puto, siquidem non apparet quomodo verbum illud *ὀρεχθεῖν* Aeschyli versibus aptari possit. Videor mihi nunc in illo *ἐρέχθεον*, quod libri quidam praebent, melioris scripturae vestigia invenisse:

ἔνθ' Ἀδραστείας ἔδος,
Ἴδη τε, μυκηθμοῖσι καὶ βρυχήμασιν
πρέπουσα μήλων πᾶν ὀρόχθειον πέδον.

Sedes illa Adrasteae urbs erat et mons et campus non longe a Cyzico; v. Steph. Byz. et Strabo p. 576. Pergit Plutarchus, quum illa, quae paullo ante attulimus, dixisset, *οὐκ ἀκούεις τοῦ Ταντάλου*, ita: *εἶτα μετ' ὀλίγον λέγοντος, θυμὸς δέ ποθ' ἁμὸς οὐρανῷ κυρῶν ἄνω ἔραζε πίπτει, καί με προσφωνεῖ τάδε· γίνωσκε τἀνθρώπεια μὴ σέβειν ἄγαν.* Hos versus quum Stanleius, unde haberet, non indicasset, Bothius eos ut ex Strabonis lib. XII. petitos adnotavit, credo quod quae sequuntur apud Stanleium inde sumpta dici videret. In similem errorem Monkius ad Eurip. Hippol. 743. incidit, solo inspecto Valckenario, ex cuius adnotatione ad v. 744. etiam *κύρων*, quae Valckenarii est coniectura, ut ab Aeschylo scriptum attulit. Stanleius *ποτ' ἐμὸς* scripsit, male legi apud Plutarchum *ποτ' ἁμὸς* dicens. At neque apud Plutarchum sic, sed *ποθ' ἁμὸς* legitur, et *ποτ' ἐμὸς* scribendo metro tantum, non etiam sensui consulitur *), 16 quae perinepta est ratio emendandi. Mihi scripsisse videtur Aeschylus:

θυμὸς δὲ πιθανός, οὐρανῷ κυρῶν ἄνω,
ἔραζε πίπτει, κἀί με προσφωνεῖ τάδε.
γίγνωσκε τἀνθρώπεια μὴ σέβειν ἄγαν.

Animus, inquit, fiduciae plenus, quum alte ad caelum

Hesychius: *ὄροχθον. ὄρειον ὄχθον.* Idem: *ὄρογκοι. τῶν ὀρῶν τὰ ὀγκώδη, ἃ καὶ ὀρόχθους καλοῦσιν, ἢ* (scribe *ἤγουν*) *ὀρῶν λόφους.*

*) Reprehendit haec Welckerus in Appendice illa p. 87. defendens *ποτ' ἐμός*, coniungique volens verba hoc modo, *θυμὸς δὲ ἐμός, οὐρανῷ ποτὲ κυρῶν ἄνω.* Sensum haec quidem praebent, sed praegressis, quae praegressa esse scimus, si *τότε*, non *ποτὲ* dicendum fuisse dicam, aliis facilius quam illi persuadeam. Praeterea quum antiquam scripturam appellat *ποτ' ἁμός*, in qua non nisi unam litteram mutaverit, prae cupiditate non animadvertit se falsa referre. Quod ego conieci, *πιθανός*, non defendam: potest enim etiam simplicius quid inveniri, ut *θυμὸς δὲ πρόσθεν οὐρανῷ κυρῶν ἄνω*: sed qui *πιθανὸς* novo significatu positum queritur, videat quid faciat Agamemnonis versu 494.

elatus est, humi deiicitur, monens me, ne nimium tribuam rebus humanis.

Comperto deinde, quas poenas superbiae dedisset filia sua, exprobrasse ei temeritatem illam, graviterque monuisse videtur, ut ferret forti animo, quae infecta reddi non possent. Ex ea oratione sumpta videntur verba, quae ex Niobe Aeschyli ab Aristophane in Avibus posita dicit scholiastes ad v. 1247. Sed operae pretium est, etiam quae praecedunt apud Aristophanem considerare. Sic igitur ibi v. 1238. Iris et Pisthetaerus colloquuntur:

I. ὦ μῶρε, μῶρε, μὴ θεῶν κίνει φρένας
δεινάς, ὅπως μή σου γένος πανώλεθρον
Διὸς μακέλλῃ πᾶν ἀναστρέψῃ Λίκη,
λιγνὺς δὲ σῶμα καὶ δόμων περιπτυχὰς
καταιθαλώσῃ σου Λικυμνίαις βολαῖς.
II. ἄκουσον αὖτη· παῦε τῶν παφλασμάτων·
ἐχ' ἀτρέμα. φέρ' ἴδω, πότερα Λυδὸν ἢ Φρύγα
ταυτὶ λέγουσα μορμολύττεσθαι δοκεῖς;
ἆρ' οἶσθ' ὅτι, Ζεὺς εἴ με λυπήσει πέρα,
μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ δόμους Ἀμφίονος
καταιθαλώσω πυρφόροισιν αἰετοῖς.

Composuit haec Aristophanes partim ex certis tragicorum versibus, partim de suo. Ac Sophoclis verba, *χρυσῇ μακέλλῃ Ζηνὸς ἐξαναστραφῇ*, adnotavit scholiastes; illa autem, *πότερα Λυδὸν ἢ Φρύγα*, ex Euripidis Alcestide petita esse, recentiores interpretes viderunt. De Aeschyli Niobe vero rursum scholiastes testis exstat: *καὶ δόμους Ἀμφίονος. ἐκ Νιόβης Αἰσχύλου. ἐξέῤῥιπται δέ τι Ἀμφίονος ἐκ μονῳδίας:* quae patet corrupta esse. Editores Aeschyli in fragmenti loco posuerunt *καὶ δόμους Ἀμφίονος καταιθαλώσω πυρφόροισιν αἰετοῖς*. Ea de-
17 berent Iovis verba esse. At vereor ego magnopere, ut, quemadmodum alios deos, ita supremum regem deorum in scenam producere ausi sint tragici, non quo id impium putaverint, sed quod summi deorum hominumque regnatoris ea maiestas est, quae in conspectum adducta non pos-

sit non exspectationem fallere, eoque se ipsa ridendam praebere *). Praeterea cui tandem, aut cur ita minatus esset Iuppiter? Quod si non videntur illa Iovis verba fuisse, consequens est, non esse ab Aeschylo *καταιθαλώσω* prima persona scriptum. Permirum vero accidit, quod idem verbum paullo ante apud Aristophanem tertia persona positum est; et magis etiam mirum, quod pleraque illa verba, in quibus languidam ineptamque vocem *δεινάς*, vel, ut apud Suidam v. *μάκελλα* legitur, *δειλάς*, Porsonus egregie in *δείσας* mutabat, ita in Nioben quadrant, ut quis non inepte suspicari possit, illa quoque ex ista Aeschyli fabula sumpta esse. Neque vero *Διὸς μάκελλα* Sophocli propria fuit, sed ab ipso Aeschylo nominata est in Agam. v. 535. Accedit, quod corrupta illa scholiastae verba sic scribenda videntur: *ἐξέῤῥιπται δὲ* (nisi hoc quoque *ἐνέῤῥαπται δὲ* scripsit) *τὸ Ἀμφίονος ἐκ παῤῳδίας*. Hoc enim dicere debuit, quoniam haec parodia esset Aeschyli verborum, coniecisse Pisthetaerum illud dictum totum in Iovem, quamvis ei non Amphionis, sed Iovis esset domus nominanda. Ex his igitur licet tenuibus ac perambiguis indiciis tamen aliqua nascitur suspicio, Tantalum quaesivisse ex Nioba, an eam non propter fastum et superbiam huiuscemodi verbis admonuisset:

ὦ μῶρε, μῶρε, μὴ θεῶν κίνει φρένας,
δείσασ' ὅπως μή σου γένος πανώλεθρον
Διὸς μακέλλῃ πᾶν ἀναστρέψῃ Λίκη,
αὐτὸς δὲ μέλαθρα καὶ δόμους Ἀμφίονος
καταιθαλώσῃ πυρφόροισιν αἰετοῖς.

Horum primos tres versus non nominato auctore affert Suidas v. *μῶρά μοι δοκεῖς φρονεῖν*. Qui ex eo, quod dicit *καὶ αὖθις*, quum ante Sophoclem citasset, non est huic eos versus tribuere censendus: nam saepe illud *καὶ αὖ-*

*) Tamen factum ab ipso Aeschylo esse ait Pollux IV. 130. *ἀπὸ δὲ τοῦ Θεολογείου, ὄντος ὑπὲρ τὴν σκηνήν, ἐν ὕψει ἐπιφαίνονται θεοί, ὡς ὁ Ζεὺς καὶ οἱ περὶ αὐτὸν ἐν Ψυχοστασίᾳ.*

θις alium alius scriptoris locum notat, ut v. *ἀνέδην*, *στόλος*.

18 Eiusdem Tantali, nisi fallor, ad Nioben admonitio hoc ornata erat praeclaro de morte loco apud Stobaeum S. CXVIII. 1.

> *μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ,*
> *οὐδ' ἄν τι θύων οὐδ' ἐπισπένδων ἄνοις·*
> *οὐδ' ἔστι βωμός, οὐδὲ παιωνίζεται·*
> *μόνου δὲ πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ.*

Eorum versuum primum posuit Aristophanes in Ranis v. 1392. (1439. ed. Kust.) Eumdem afferunt schol. Eurip. ad Alcest. 56. et schol. Sophocl. ad Electr. 139. adiungens ille quasi cohaerentia haec verba, *μόνος οὐ δέχεται γλυκερᾶς μέρος ἐλπίδος*, quae si Aeschyli verba sunt, ex alio loco petita esse necesse est. Scholion illud eodem modo scriptum dedit Suidas v. *πάγκοινος*, nisi quod in illo additamento *μόνος* omittit, et antiquae eius edd. in Aeschyli trimetro *γε* pro *γὰρ* exhibent. *Δωρέων* est in scholiastae edd. Florentinis, Francofurtanisque a. 1544. 1555. Tres primos versus afferunt scholiastes Ven. ad Iliad. IX. 158. et Eustathius p. 744, 2. qui *γὰρ* omittit. Vterque in secundo versu bis *οὐδ'* habet, ubi Stobaeus non recte *οὔτ'*; ultimam autem vocem *λάβοις*, ubi Stobaeus *ναοῖς*. *Ἄνοις*, in quod ego quoque incideram, ex Dobrei coniectura ad Aristoph. p. (133) apud Stobaeum recepit Gaisfordius, quum a Grotio *ἄγοις* adnotatum esset. In scholiis ad Iliad. IX. ab Horneio editis primus et tertius versus integri servati, pro secundo autem scriptum, *οὐδ' ἐπιθυμεῖ σπονδῶν*. Versu tertio, quem temere attrectavit Wakefieldius ad Eurip. Alc. 431. scripturam posui, quae apud scholiastas illos et Eustathium est. Stobaeus, *οὐ βωμός ἐστιν*. Caeterum nemo vituperabit hanc Aeschyli sententiam, etiam si Lacedaemone aut Gadibus aut aliquo alio loco Mortis ara fuit, de qua re Eustathius Butlerusque disseruerunt.

Tum denique, nisi fallor, gravi illa patris reprehensione victa Niobe rupit longum illud silentium, et effusa est in querelas et criminationes Iovis, qui suum ipse genus sic perire sivisset. Strabo enim in fine libri XII. situs locorum ab Aeschylo confusos docens, ita scribit: *Αἰσχύλος δὲ συγχεῖ ἐν τῇ Νιόβῃ· φησὶ γὰρ ἐκείνη μνησθήσεσθαι τῶν περὶ Τάνταλον, οἷς ἐν Ἰδαίῳ* 19 *πάγῳ Διὸς πατρῴου βωμός ἐστιν.* Integriorem attulit hunc locum Plato de Rep. III. p. 391. E.

οἱ θεῶν ἀγχίσποροι,
οἱ Ζηνὸς ἐγγύς, οἷς ἐν Ἰδαίῳ πάγῳ
Διὸς πατρῴου βωμός ἐστ' ἐν αἰθέρι,
κοὔπω σφιν ἐξίτηλον αἷμα δαιμόνων *).

Primus horum versuum e Strabone his verbis videtur integrandus esse, *μνησθήσομαι δῆθ'*. Hoc, opinor, dicebat: meminero, deorum propinqui, familiares Iovis, qui in Idae aetherio vertice auctorem generis sui Iovem colunt, quorumque in nepotibus nondum exolevit sanguis deorum, quam eorum nullus sit honor apud illum ipsum Iovem, ex quo sunt prognati. Pertinet ad hunc locum Photii adnotatio: *ἀγχίσποροι, ἐγγὺς γένους.* Pergit Strabo: *καὶ πάλιν,*

Σίπυλον, Ἰδαίαν ἀνὰ
χθόνα.

Ita Iovis crudelitatem conquesta quum subire destinatam sibi fatis sortem deberet, quoniam in scena non poterat in saxum mutari, relicto sepulcro ut in Sipylum montem se conferret necesse erat. Id eximio invento sic instisuisse Aeschylum coniicio, ut eam dei cuiuspiam voce e locis subterraneis accidente vocari faceret. Eo enim ducit, quod apud Diogenem Laertium de Zenone scriptum est VII. 28. *ἐτελεύτα δὲ οὕτως· ἐκ τῆς σχολῆς*

*) Lucian. encom. Demost. 13. T. III. p. 501. *τῶν ψυχῶν, ὅσαι Ζηνὸς ἐγγὺς καὶ θεῶν ἀγχίσποροι, φησὶν ὁ τραγικός.*

ἀπιὼν προσέπταισε, καὶ τὸν δάκτυλον περιέῤῥηξε· παίσας δὲ τὴν γῆν τῇ χειρί, φησὶ τὸ ἐκ τῆς Νιόβης·

ἔρχομαι· τί μ' αὔεις;

καὶ παραχρῆμα ἐτελεύτησεν, ἀποπνίξας ἑαυτόν. Haec Brunckius ad Sophoclis Nioben retulit, Valckenarii, ut solebat, sequutus iudicium. Is in diatr. de fr. Eur. p. 13. probabilius esse putat, Sophoclis haec verba esse, quod huius dicto usus sit Zeno apud eumdem Diogenem §. 19. Mirum vero argumentum: immo non modo per se nullum, sed etiam eo, quod isto loco vix dubitari potest, quin Menagius recte nomen Antisthenis reponendum esse viderit. Vtrius poetae Niobe respiciatur, sibi non liquere ait Blomfieldius in glossar. ad Sept. c. Th. 170. Mihi, si recte conieci Sophoclis Nioben satyricam fuisse, multo videtur in hac caussa credibilius, tragoediae, eiusque nobilissimae, quam fabulae satyricae esse mentionem factam. Atque ut multa alia Aeschylus Sophocli praeivit, ita Sophoclem hoc quoque inventum ab Aeschylo sumpsisse puto, quum eodem modo, quo ille Nioben, Oedipum fecit ad inferos vocari *). Caeterum Brunckius ἀϋτεῖς eadem scripsit Valckenarii auctoritate, qui ita non illo tantum, quem dixi, loco dedit, sed iam antea ad Phoeniss. 856. non tragicum ratus αὔεις. At non meminerat nec Suidae v. αὔεις. φωνεῖς, λαλεῖς, quibus ille Diogenis verba, quae attulimus, adiecit, neque Aeschyli, verbo illo usi in Sept. ad Th. 192. De Zenone qui ea-

*) In Nioba imitatus est, ut videtur, Timotheus dithyramborum scriptor, de quo Macho apud Athenaeum VIII. p. 341. C.

ἀλλ' ἐπεὶ
ὁ Τιμοθέου Χάρων σχολάζειν οὐκ ἐᾷ
οὔτε τῆς Νιόβης, χωρεῖν δὲ πορθμὸν ἀναβοᾷ,
καλεῖ δὲ Μοῖρα νύχιος, ἧς κλύειν χρεών·

quem locum cum Eurip. Alcest. 262. comparavit Monkius. Vltimus illorum apud Machonem versuum nescio an ex aliqua sit tragoedia sumptus.

dem fere narrat, Lucianus in Macrobiis c. 19. T. III. 222. nulla Niobae mentione facta, mentem tantum Zenonis indicavit verbis, *τί με βοᾷς.*

Ne quid desit, addam his haec. Apud Hesychium legimus: *ἠμορίς, κενή, ἐστερημένη. Αἰσχύλος Νιόβῃ.* Id saltem *ἠμορὶς* scribi debet, nisi fuit *ἤμορος*, quod idem grammaticus et Photius per *ἄμοιρος* interpretantur.

Aliam, eamque permiram vocem ex hac fabula attulit idem Hesychius: *κάκαλα, τείχη. Αἰσχύλος Νιόβῃ.* Photius sine nomine auctoris: *κάκαλον, τεῖχος.*

Nec dubito quin ad Aeschyli fabulam spectet, quod Aristophanes de Oeagro scripsit in Vespis v. 577.

κἂν Οἴαγρος εἰσέλθῃ φεύγων, οὐκ ἀποφεύγει, πρὶν ἂν ἡμῖν
ἐκ τῆς Νιόβης εἴπῃ ῥῆσιν τὴν καλλίστην ἀπολέξας.

Scholiastes: *ὅτι τραγικὸς ὑποκριτὴς ὁ Οἴαγρος, εἴρηται πρότερον. ὡς θαυμάζων δὲ αὐτὸν φησὶν ὅτι κἂν ἐκεῖνος ὁ μέγας καταδικασθείη. ἐκ τῆς Νιόβης δέ. καὶ γὰρ ὑπεκρίθη τὴν Νιόβην, ἢ Σοφοκλέους ἢ Αἰσχύλου.* Nam si recte iudicamus, satyricam fuisse Sophoclis Nioben, hic, ubi aliquid insigne commemorandum erat, non ambiguum videtur, tragoediam nominari debuisse: Aeschyli autem fabulam nominavit Aristophanes, quod hunc ille poetam maxime admirabatur.

Incertum est, quo pertineat, quod Plutarchus in 21
Consol. ad Apoll. p. 116. B. C. refert: *εἰ γοῦν ἡ Νιόβη κατὰ τοὺς μύθους πρόχειρον εἶχε τὴν ὑπόληψιν ταύτην, ὅτι*

οὐκ αἰεὶ θαλέθοντι βίῳ,
βλάσταις τέκνων βριθομένα,
γλυκερὸν φάος ὁρῶσα τελευτήσει,

οὐκ ἂν οὕτως ἐδυσχέραινεν, ὡς καὶ τὸ ζῆν ἐθέλειν ἐκλιπειν διὰ τὸ μέγεθος τῆς συμφορᾶς, καὶ τοὺς θεοὺς ἐπικαλεῖσθαι, ἀνάρπαστον αὐτὴν γενέσθαι πρὸς ἀπώλειαν τὴν χαλεπωτάτην. Sed si quid in his ex Aeschyli Niobe sumptum est, id necesse est postremis Plutarchi verbis contineatur. Nam quod Wyttenbachius dicit, versus istos aut ex Aeschyli, aut ex Sophoclis Niobe, aut ex Euripidis aliquo, vel alius poetae loco esse, nemo, qui tragicos satis cognitos habeat, dubitare poterit, Aeschyli non esse versus illos.

EPISTOLA AD FERDINANDVM STEINACKERVM *).

FERDINANDO STEINACKERO

PHILOS. ET I. V. D.

S. D.

GODOFREDVS HERMANNVS.

Quum te iam ex eo tempore valde dilexerim, Steinackere, vir amicissime, quo primum adolescens eximia cum commendatione magistrorum Portensium in meam venisti notitiam, tum magis magisque crevit meus in te amor, quum videbam ad egregiam indolem tuam tantum accedere tamque bene collocatum optimarum artium studium, ut praeclari inde fructus sperari possent. Quam tu spem ita comprobasti, ut, quum Graecas Latinasque litteras quanta pauci diligentia tractavisses, postquam inde animum ad iuris prudentiam appulisti, non solum in illa quoque doctrina ea quae summa sunt consectarere, sed retine-2 res etiam et colere pergeres priora illa studia, neque in

*) Adiecta est editioni Ciceronis librorum de re publica, quam a. 1823. fecit Steinackerus, nunc Regi Saxoniae a consiliis aulae et rei iudiciariae. Disputatum est postea de centuriis a compluribus viris doctis, aliis alia, et quibusdam animosius tuentibus. Atque haud sciam, sitne lis penitus composita.

altero genere mediocriter versatus esse, sed excellere in utroque velles. Itaque magnopere gavisus sum, quum mihi significasti, te quae nuper Ang. Maius Ciceronis fragmenta librorum de re publica edidisset, tuis velle adnotationibus instructa in lucem emittere. Et quod exspectabam, utilissimam fore praeclaro illi libro operam tuam, id mox confirmatum vidi, quum emendationes nonnullas mecum communicabas, quas nemo erit qui non elegantissimas orationique Ciceronis accommodatissimas esse fateatur. Sed quum unus potissimum esset in illo libro locus, quo quid faciendum esset valde ambigebas, quoniam quaesivisti ex me quid ego de illo loco sentirem, utendum putavi hac opportunitate, ut has ad te litteras scriberem, quae si adiicerentur editioni tuae, aliquod publicum essent meae erga te voluntatis documentum.

Disserit Cicero in libri secundi cap. XXII. de sapientia Servii Tullii, qui populum Romanum ita in classes
3 quasdam distribuerit, ut, quamvis pari omnes iure suffragii uterentur, tamen suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent: eiusque in rei explicatione haec verba posuit: „*nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriae cum sex suffragiis et prima classis, addita centuria quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXVIIII. centurias habeat: quibus ex centum quattuor centuriis, tot enim reliquae sunt, octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa: reliquaque multo maior multitudo sex et nonaginta centuriarum neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset; nec valeret nimis, ne esset periculosum.*“ Cuius rei quae ratio esset quum tu, Steinackere, et acute perspexisses et distincte explicuisses, ostendissesque, quam Niebuhrius proposuit coniecturam, eam admitti nullo modo posse: nam ex equitibus centuriisque primae classis, addita una centuria fabrum, confici debere numerum centuriarum LXXXVIIII. quibus si solae accedant octo centuriae, suffragia numerari XCVII. quae
4 uno suffragio superarent numerum reliquarum XCVI. cen-

turiarum: de eo tantum dubitabas, quo pacto id quod dicere Cicero videretur cum illa posset classium centuriarumque descriptione conciliari, quae ex parte ab ipso, plenius autem et accuratius a Dionysio Halicarnassensi Titoque Livio esset exposita. Ac mihi de hac re cogitanti visa est talis quaedam ratio inveniri posse, qua, quod summum est in hoc genere, etiam emendandi necessitatem declinaremus. Tu videbis, verumne aut veri simile dicam, an errem quaerique aliud quid oporteat.

Ac primo equitum centurias factas esse duodeviginti, diserte et a Dionysio et a Cicerone proditum est: idemque dictum est etiam ab Livio I. 43. his verbis: *equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias: sex item alias centurias, tribus ab Romulo institutis, sub iisdem quibus inauguratae erant nominibus fecit.* Praeter equites autem in prima classe numeratas esse centurias octoginta, bis dixit eodem in capite Livius, quater Dionysius, libro IV. cap. 16. 18. 20. et lib. VII. cap. 59. Et hic quidem lib. IV. c. 20. alia ratione, quam Cicero, factum iudicat, ut in opulentiorum potestate esset summa civitatis. Sic enim scribit: *ἐκάλει δὲ εἰς ἀπόφασιν γνώμης πρώτους μὲν λόχους τοὺς ἀπὸ τοῦ μεγίστου τιμήματος καταγραφέντας, ἐν οἷς ἦσαν οἵ τε τῶν ἱππέων ὀκτωκαίδεκα καὶ οἱ τῶν πεζῶν ὀγδοήκοντα. οὗτοι τρισὶ πλείους τῶν ὑπολειπομένων, εἰ τὸ αὐτὸ φρονήσειαν, ἐκράτουν τῶν ἑτέρων, καὶ τέλος εἶχεν ἡ γνώμη.* Sic ergo existimabat, quum esset universarum centuriarum numerus CXCIII. primam classem cum equitibus habuisse suffragia XCVIII. eoque tribus suffragiis superavisse reliquam multitudinem, ut quae XCV. centuriis contineretur. Eadem etiam Livii sententia fuerit necesse est, cuius haec verba sunt: *equites vocabantur primi; octoginta inde primae classis centuriae.* Ab his aperte dissentit Cicero, qui, quod a te rectissime est perspectum, eosdem, quorum illi XCVIII. centurias numerant, etiam fabrum centuria addita LXXXIX. confecisse centurias scripsit. Atque ego quidem nec Ciceronem neque illos falsa prodidisse

puto. Illi enim de Ser. Tullii aevo loquuntur: Ciceronem
6 autem quae multo post in usu fuerunt referre, integro quidem quod ad summam rei attinet, sed temporibus accommodato Servii instituto, quum ex eo quod sibi propositum habebat, ut optime ordinatam esse Romanam civitatem ostenderet, tum ex ipsis quibus hic utitur verborum modis indicativis colligi posse existimo. Sed etiam si mihi id concedatur, tamen videndum est, quae sit illa centurias numerandi ratio atque unde orta, qua usus est Cicero. Ac duplex tantum, quod ego quidem videam, huius rei explicandae via patet. Nam aut equitum ille non nisi octo centurias primae classi adiunxit, aut classem illam sine equitibus non ex pluribus quam septuaginta centuriis compositam cogitavit. Non aliter enim quam altera utra ratione numerus ille quem posuit LXXXIX. centuriarum, addita fabrum centuria, efficitur. At de equitibus quidem tantum abest ut significaverit quidquam huiusmodi, ut non modo consentiat cum caeteris scriptoribus, sed consentire etiam debuerit. Etenim ipse, quum paullo ante scriptas dixisset equitum centurias duodevinginti censu maximo, sine distinctione nominat equites et sex suffragia: ut non videatur dubitari posse, quin omnes illas XIIX. centurias, quemadmodum Livius et Dionysius, intelligi voluerit. Nam etsi equites non omnes erant censu
7 maximo, quod ex Ciceronis quamvis mutilo loco colligi possit, tamen propter generis nobilitatem erant illi, etiam si minus opulenti essent, ad primam classem adiiciendi. Idque accurate exposuit Dionysius cap. 18. *τὸ δὲ τῶν ἱππέων πλῆθος ἐπέλεξεν ἐκ τῶν ἐχόντων τὸ μέγιστον τίμημα καὶ κατὰ γένος ἐπιφανῶν. συνέταξε δὲ εἰς ὀκτωκαίδεκα λόχους, καὶ προσένειμεν αὐτοὺς τοῖς πρώτοις τῶν φαλαγγιτῶν ὀγδοήκοντα λόχοις.* Neque credibile est, retrudi illos vel unam suam centuriam, nedum decem centurias, ad aliam classem umquam passos esse. Quin etiam multo post Ser. Tullium equitum centurias plures certe quam octo, ac puto omnes potius, primum in suffragiis locum tenuisse Livius indicat his verbis lib. XLIII. c. 16. *Claudius caussam dixit: et quum ex duodecim centu-*

*riis equitum octo censorem condemnassent, multaeque aliae primae classis, extemplo principes civitatis in conspectu populi, annulis aureis positis, vestem muta-*8 *runt, ut supplices plebem circumirent.* Quaesitum est a viris doctis, cur duodecim, et non duodeviginti centurias dixerit Livius: consentiuntque fere, librarii eum errorem esse, XII. pro XIIX. scribentis. Mihi quidem defendi posse librorum scriptura videtur, si intelligantur illae, quae ab eodem Livio lib. I. cap. 43. dictae sunt XII. centuriae, quae sunt ab Ser. Tullio praeter illas scriptae, quas idem ab Romulo iam institutas duplicato numero e tribus sex fecit. Distinctas enim ab sex illis esse, quum aliunde, tum ex hoc ipso de quo disputamus Ciceronis loco patet. Etenim sex illae centuriae, ut ex tribus iliis antiquissimis factae, hoc habebant praecipuum, ut seorsum a caeteris peculiari nomine sex suffragiorum vocarentur: id quod et Festi testimonium, quod apte allatum est ab Ang. Maio, et ipse Ciceronis locus, pariterque Livii in primo libro verba ostendunt: dixitque de ea re diligenter Io. Fr. Gronovius in Observationum lib. I. c. 25. ut nihil im-
pedire videatur, quin Livium, ubi ex XII. equitum cen-9 turiis VIII. condemnasse censorem scribit, sex illas antiquas, fortasse quod consentire inter se solerent, hic non commemorandas putasse statuamus. Videor mihi his illud effecisse, ut non dubitandum sit, quin Cicero quoque omnes duodeviginti equitum centurias cum prima classe in suffragia missas intelligi voluerit. Qui quas simpliciter dicit equitum centurias, duodecim illae sunt, quae erant propter census magnitudinem scriptae, quibus adiungit sex illas genere et natalibus equestres, distinguens eas usitata sex suffragiorum appellatione.

Haec si tibi probabiliter disputata videbuntur, Steinackere, solum illud nobis relictum fatearis necesse est, quod supra dicebam, ut, si in equitum centuriis non sit variatum, prima classis Ciceroni, demptis equitibus et fabrum centuria, non fuerit octoginta, sed septuaginta centuriarum. Id quamquam difficile est ad

demonstrandum, tamen, dum ne quis doceat mansisse illam primae classis in octoginta centurias descriptionem
10 usque ad a. V. C. DCXXV. quo anno illa inter se loquentes fecit Cicero primarios civitatis viros, habeo quo illa coniectura ad aliquam similitudinem veri adduci videatur. Nam T. Livius lib. I. cap. 43. quum dixisset primos in suffragiis ferendis vocatos esse equites, inde octoginta primae classis centurias; ibi autem si variaret, quod raro incidisse, ut secunda classis vocaretur, nunquam fere infra esse descensum, ut ad infimos pervenirent, ita pergit: *nec mirari oportet, hunc ordinem qui nunc est post expletas quinque et triginta tribus, duplicato earum numero, centuriis iuniorum seniorumque ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire: quadrifariam enim urbe divisa regionibus collibusque, quae habitabantur partes, tribus eas appellavit, ut ego arbitror ab tributo: nam eius quoque aequaliter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est: neque hae tribus ad centuriarum distributionem numerumque quidquam pertinuere.* Haec verba quum visa sint obscurissima esse, ita sunt, nisi egregie fallor, comparata, ut quum Ciceronis loco lucem afferant, vicissim ipsa per illum locum illustrentur. Aper-
11 tum est, Livium eam descriptionem, quae sua aetate obtineret, non convenire ad illam centuriarum summam dicere, quae fuerit ab Servio constituta. Quid vero attinebat, si nihil aliud vellet, illud adiici quod de tribubus narrat, et ita quidem, ut id tamquam rationem afferret, quare numeri isti non congruerent? Quid attinebat, etiam illa addi, quattuor illas tribus Servii nihil ad centuriarum descriptionem numerumque pertinuisse, nisi ut nunc aliter esse indicaret? Quid denique sibi vult illud, quod de duplicato XXXV. tribuum numero dicit, quas, postquam ad illum XXXV. numerum auctae erant, ad extrema usque tempora XXXV. mansisse constat? Vide vero, Steinackere, an hae dubitationes omnes facili negotio solvi, atque illa rei istius obscuritas, in qua tollenda mirum quantum laborarunt viri docti, non solum ab hoc Livii loco, sed etiam a Ciceronis verbis removeri possit, si hoc

dicere Livium censeamus, expletis XXXV. tribubus, quod est factum a. V. C. DXIII. mutatam esse, sive statim, sive aliquanto post, etiam centuriarum descriptionem, numerumque earum alium in classibus factum esse, quam fuerit antea. Aucto enim tribuum numero ad XXXV. accommodatas his esse centurias, numero duplicato, ut, qui in quaque tribu censu essent maximo, in duas centurias, alteram seniorum, iuniorum alteram coniungerentur. Vnde quod initio non fuisset, ut tribus ad centuriarum descriptionem numerumque pertinerent, id nunc esse institutum, binis centuriis e singulis tribubus ad primam classem conficiendam delectis, ut ea classis iam centurias haberet LXX. De qua re si sic est Livius loquutus, ut ad primam tantum classem respiceret, neque adiiceret, quomodo quae praeter has LXX. equitumque XVIII. centurias reliquae sunt CV. centuriae in singulas classes distributae sint, non debet id mirum videri. Nam quum res illa nota esset omnibus, neque inferiores classes, sed prima maximum haberet in suffragatione momentum, haec indicandum erat cur iam e septuaginta, non, ut ante, ex octoginta constaret centuriis. Vidit horum partem Ant. Augustinus, duce Pantagatho, sed sic est ille Livium interpretatus, neque enim alium videtur auctorem habuisse, ut 13
putaret in singulis tribubus denas fuisse centurias, quibus accessisse equitum centurias tot, quot essent tribus, ita ut universarum esset centuriarum numerus CCCLXXXV. At nihil ea de re Livius: nec sequitur, tribuum numero ad XXXV. aucto, etiam centuriarum alium esse numerum factum, quam quem Ser. Tullius descripsisset. Illud vero apte commemoravit Augustinus, centuriam partem tribus vocari a Cicerone in orat. pro Cn. Plancio cap. 20. Aptissime autem haec verba attulit, quae sunt in secunda oratione in M. Antonium cap. 33. *ecce Dolabellae comitiorum dies. sortitio praerogativae: quiescit. renunciatur: tacet. prima classis vocatur: renunciatur. deinde, ut assolet, suffragatum secunda classis vocatur. quae omnia citius sunt facta, quam dixi. confecto negotio bonus augur, Laelium diceres, alio die, inquit.* Re-

cteque dicit, ad secundam classem venire non necesse fuisse, non variantibus primae classis suffragiis. Nam si prima classis ita, ut erat ab Ser. Tullio institutum, equitibus additis complexa esset XCVIII. centurias, etiam si
14 una centuria dissensisset, non opus erat secundam classem vocari. Ex quo apertum est, illo tempore equitum primaeque classis centurias pauciores fuisse quam XCVII. quem numerum ex Ser. Tullii descriptione superare debebant. Id quum ex ipsa illa descriptione planum sit, tum luculento confirmatur Dionysii testimonio lib. VII. cap. 59. cuius verba propterea afferre volo, quod verissimam esse ostendunt tuam, Steinackere, Ciceronis verborum interpretationem. Sic igitur ille, quum paullo ante Ser. Tullii institutum eodem modo, quo libro IV. iisdemque centuriarum numeris explicuisset: *εἰ μὲν οὖν ἐπὶ τῶν πρώτων λόχων, οὓς οἵ τε ἱππεῖς ἐξεπλήρουν καὶ τῶν πεζῶν οἱ τὴν πρώτην τάξιν ἐν τοῖς πολέμοις λαμβάνοντες, τὸ αὐτὸ φρονήσαιεν ἑπτὰ καὶ ἐνενήκοντα λόχοι, τέλος εἶχεν ἡ ψηφηφορία, καὶ οὐκέτι τοῖς λοιποῖς ἐξ καὶ ἐνενήκοντα λόχοις ἀνεδίδοτο ἡ ψῆφος· εἰ δὲ μὴ τοῦτο γένοιτο, ἡ δευτέρα συμμορία τῶν δύο καὶ εἴκοσι λόχων ἐκαλεῖτο, καὶ ἡ τρίτη· καὶ τοῦτο συνέβαινεν ἕως οὗ τὸ αὐτὸ φρονήσωσιν ἑπτὰ καὶ ἐνενήκοντα λόχοι.* Caeterum quod ad illum locum orationis in Antonium attinet, quem posui sic ut est ab Augustino e vulgata lectione scriptus, non puto controversiam ex eo moveri posse, quod ille nunc
15 sic editus circumfertur: *sortitio praerogativae: quiescit. renunciatur: tacet. prima classis vocatur: renunciatur: deinde, ut assolet, suffragia. tum secunda classis.* Nam ut non sit vera ea scriptura, quam posuit Augustinus et ad Livium et in libro de legg. cap. 8. de sensu tamen verborum nulla potest dubitatio esse. Sed ut hodie ista leguntur, aut haec verba, *deinde, ut assolet, suffragia*, aliena sunt atque inepta, aut quod proxime praecedit verbum *renunciatur*. Quod verbum Frid. Volg. Reizius post illa verba collocandum putabat. Mihi, ut ab interprete adscriptum, delendum videtur. Nam quod dicit Cicero, *deinde, ut assolet, suffragia*, ipsum est illud,

renunciatum esse: quia quod praerogativa centuria censuisset, etiam a caeteris, ut constat, probari solebat.

Vides, Steinackere, quae mihi videatur huius rei ratio esse: cui nisi obstat aliquid, quod me fugerit, illud certe non officiet, quod mirum videatur, primam classem se decem centuriis minui passam esse. Tot enim ac tantae 16
fuerunt Romanorum rei publicae vicissitudines, crescente potestate tribunicia et auctoritate plebis, ut minime abhorreat a veri similitudine, quum praesertim singuli ea re non laederentur, aequissimam iudicatam esse conditionem illam, ut duae ex singulis tribubus centuriae primam classem constituerent. Sed non quaeram cur factum sit, si esse id factum tibi probare potuerim. Quod quidem si assequuutus sim, valde gaudebo, qui te harum rerum scientissimum arbitrum esse videam. Tu me, quem tui scis amantissimum esse, vicissim amare perge. Vale.

EPISTOLA AD G. SEYFFARTHVM *).

GVSTAVO SEYFFARTHO

VIRO CLARISSIMO

S. D.

GODOFREDVS HERMANNVS.

Magnum es et difficile opus aggressus, vir clarissime, quum voces, quae ante multa iam saecula obmutuerunt, in vitam et ora hominum revocare conatus es. Sed est tamen hoc genus disputandi ita comparatum, ut, si ab oris humani vocisque natura, quod a te factum est, repetatur, neque vanum putari debeat, neque multiplici utilitate carituruin. Atque ego quidem, quum mihi inspiciendum dares librum tuum, ut, si quid ab hoc argumento non alienum in promptu haberem, id tecum communicarem, vellem in aliud tempus emissio libri incidisset, quam in illud, quo plurimis eram iisque molestissimis distractus negotiis. Quo magis enim optabam, quae tanta cum di-
4 ligentia congessisses, tantaque cum subtilitate pervestigasses, accuratius cognoscere, eo magis dolebam, quod ea

*) Addita est Seyffarthi libro de sonis litterarum Graecarum tum genuinis tum adoptivis.

mihi vix attingere, nedum attente perlegere atque expendere liceret. Ita factum est, ut, quum aliquo tamen modo satis facere tibi cuperem, non nisi levia quaedam, quae raptim librum percurrenti occurrebant, adnotaverim, eaque fere talia, in quibus te ab iis, quae ego probarem, dissentire animadverterem. Quae etsi scio vix digna commemoratione esse, tamen proferam, ut aliquod saltem meae erga te voluntatis documentum exstet.

Ac versantur illa in sola Graecorum littera iota, de qua quae disseruisti, non videntur mihi satis ex omni parte certa ac firma esse. Veluti quum p. 405. scripsisti, eam litteram apud poetas multis in locis consonae modo pronunciari potuisse, id ego quidem non nisi in perpaucis locis factum puto. Est autem duplex huius rei ratio. Nam aut inter duas vocales, quarum prior longa est, medium invenitur iota, ut *δηΐοιο*, *Λάϊος*: cuiusmodi in vocabulis non dixerim tamen consonantis vice eam litteram fungi, sed potestatem habere talem, ut media inter consonantem et vocalem, propior autem vocali sit. Non potest tamen illuc *Πηληϊάδεω* referri, cuius vocabuli extremae duae syllabae contrahuntur. Aut inter consonantem est et vocalem positum, ut *Αἰθιόπιον*, quod ex Dionysio Periegeta attulisti p. 408. Eiusmodi sunt *Φειδίας*, *Ἀπολλωνίας*, in epigrammatis apud Pausaniam V. 10, 2. et 22, 2. *Πηλιάδα* Sotadis apud Hephaestionem p. 8. et quaedam alia. In initiis verborum autem ab eiusmodi synecphonesi, sic enim appellanda est ista ratio, abstinuerunt Graeci, nisi apud Pausan. V. 18, 1. Nam quod hodie multos pronunciare duabus syllabis audimus, *iambus*, *Iones*, Graecis inauditum fuit. Nec profecto ad istum modum *Ἰάονες* tribus syllabis in versu, quem p. 405. ex Homerico hymno Apollinis attulisti, pronunciari posse, vel caesura, quae ista pronunciatione tolleretur, evincit.

Neque vero illud concedi posse puto, quod p. 406. scribis, in interiectione *εἶα* primas litteras nec diphthon-

gum neque *i* sonare, sed *ej*. Nam etsi nemo dubitabit, quin ea vox non fuerit *ia* pronunciata, tamen, si eum habuisset sonum, quo nos hodie Latinum *eia* proferre consuevimus, id Graece ἦα scriberetur. Aliter enim prima syllaba brevis esset, scribique deberet ἔια. Itaque sic potius statuendum existimo, esse illud ει *ei* vere diphthongum, sono tamen eo, quo etiam in Germaniae nonnullis regionibus diphthongus *ei* pronunciatur, qui propius ad *e* accedit, ut, si scribendo exprimendus sit, magis ἔϊ, quam novus quidam sonus, in quo aures neque *e* neque *i* percipiant, esse videatur. Valde autem inter se discrepant, quae p. 410. attulisti, *Calliopeia* et *Elegeia*. Nam *Calliopeia* terminationem illam habet disyllabam, Graeceque scribitur *Καλλιόπεια*, Latine *Calliopea; Elegeia* autem trisyllabam, ut, si Graece scribenda sit vox illa, ubi, ut apud Ovidium, in quinque syllabas distracta est, scribi oporteat *Ἐλεγήϊα*.

Quae p. 464. seqq. disputasti, non minus dubia esse puto. Littera iota quidem, ut α et *v*, omni tempore aliis in verbis longa, in aliis brevis fuit. Nec verum esse, quod ais p. 466. debuisse Graecos ι breve ab longo distinguere, ne ι inter vocales positum *j* pronunciaretur, multa exempla docent, in quibus ι inter vocales nunc brevis vocalis est, ut ἠϊόνες, nunc longa, ut *Ταλαϊονίδης*. Omninoque si Graeci, quum de vocali ε loquuntur, ει scribunt, factum id est eo, quod ei vocali hoc nomen erat εἶ, ut οὖ vocali *o*. Obiter hac opportunitate moneo, quod p. 521. ab Athenaeo traditum ais, veteres diphthongum *vι* solo *v* scripsisse, fraudem tibi factam esse a Wetstenio. Nam Athenaeus XI. 5. p. 466. F. non, ut Wetstenius refert, de diphthongo *vι* loquitur, sed de *ov*: quumque narrat, Achaeum tragicum, singulas nominis *Διωνύσου* litteras enumerantem, extremam posuisse *o*, quam ille οὖ appellaverat, omissam ab eo indicat *v*, qua vox illa finiretur, quia veteres pro *ov* scribere *o* consueverint.

Sed quae de illa diphthongo *vι* disputas p. 515. seqq. in his primo non videris animadvertisse, si quando

corripiatur ea diphthongus, id non posse ullo modo fieri nisi ante vocalem, quae communis est omnium longarum vocalium et diphthongorum conditio. Deinde quod Maittario auctore p. 518. memorasti, Atticos *υ* vertere in *ω*, in ea re ille quantum a vero aberraverit, manifestum est. Non magis aut Terentius, aut quisquam alius genitivum quartae declinationis, qui in *uis* terminabatur, pro longa *u* posuit, sed sunt istae duae breves syllabae. Id apertum est metri indicio:

cius ánuis caussa, opinor, quae erat mórtua.

Illud vero in diphthongo *υι* vellem a te quaesitum esset, quid sit, quod grammatici consensu tradiderunt, non usurpari eam nisi ante vocalem. Quam sententiam valde probat Buttmannus in Lexilogo I. p. 56. et in vol. I. grammaticae p. 539. Et profecto ita quum alia, tum saepe *ἰχθύδιον*, quod analogia *ἰχθυίδιον* esse postulabat, scripta inveniuntur. De hac quidem voce videndus Dawesius Misc. crit. p. 386. ed. Kidd. Sic *μύδιον, βοτρύδιον* scribi narratur in Etymol. M. p. 239, 52. ubi disceptatur, utrum *γρᾴδιον* an *γράδιον* scribendum sit. Ita *κρεᾴδιον*, de quo v. Dobreum ad Aristoph. Plut. 227. Sed in Aristophanis Vespis tamen v. 1347. scriptum videmus *ὕδιον* vel *υἷδιον*, credo quod grammatici id quattuor syllabas habere opinabantur. At habuit tres tantum, sed eo ab *ὕδιον*, quod ex *ὗς* formatum est, differt, quod quum illud brevi iota sit, eam litteram, ut ex duplici iota factam, longam habet. Num igitur hoc quoque *ὗδιον* scriptum probaturi erant? Si negabunt, vereor ne suam ipsi doctrinam labefactent. Quam ut quovis modo conservarent, etiam optativos, quales *ζευγνύην, ὀμνύην, πηγνύην*, sine iota scribebant: de qua re permira fuit Apollonii sententia, quam attulit Choeroboscus in Bekkeri Anecdotis p. 1292. At quid fiet dativis, quos litteris *υι* in diphthongum contractis consonans sequitur, ut in illo Homeri, *ἐνὶ πληθυῖ μένεν ἀνδρῶν*? Apertum est enim, illud inepte scribi *πληθύϊ*. Viderit ergo Buttmannus, qui in vol. I. grammaticae p. 189. probavit *πληθυῖ*, ne secum

ipse pugnet, qui alibi se addicat negantibus eam diphthongum ante consonantem poni. Enimvero πληθυῖ, inquiat, diphthongum quidem illam habet, sed non ante consonantem: nulla enim sequitur consonans in illis formis. Profecto: et sic censebant, opinor, veteres grammatici. 9 At, nisi ego prorsus fallor, aut ne πληθυῖ quidem, sed πληθῦ scribendum est, aut etiam non modo ζευγνυίην, sed etiam ζευγνυίμην, ἐκδυῖμεν, ἰχθυίδιον, et quidquid est huius generis, sunt vera existimanda. Nam quid tandem sibi vult illud, quod dictitant, υι non poni nisi ante vocalem? Nihil profecto aliud, si aliquid sanae mentis in illo praecepto inveniri censendum est, quam diphthongum illam non posse pronunciari nisi ita, ut iota prope consonantis officio fungatur, quemadmodum in illo Pindari Λᾱΐον, quod est *Laĭon*, non autem ut vere diphthongus sit. Nam si diphthongus est, solam necesse est pronunciari posse, neque indigere vocali, cui partem aliquam sui tradat. Atqui si πληθυῖ nullam habet in pronunciando difficultatem, quomodo aliquam habebit ζευγνυίμην, quod est ζευ-γνυί-μην? Itaque qui hoc pronunciari posse negat, is necesse est neget etiam πληθυῖ. Non enim eo insaniae quisquam progredietur, ut id πληθύι, id est *plethuĭ*, sonuisse credat, inaudita consonante in fine verbi posita. Quae quum ita sint, magnopere vereor, ne illud sit unum de multis illis grammaticorum commentis, de quibus antiqui nihil neque cognitum neque auditum habuere. Quin si ipsam spectamus pronunciationem, est illa diphthongus ad pronunciandum facillima, 10 ubi, ut in istis dativis, ex duabus est brevibus vocalibus composita. Difficilior vero, quum υ longa est, sed nihilo tamen magis quam omnes illae diphthongi quae impurae vocantur, ᾱ, ῃ, ῳ, αυ, ex longa α et υ facta, ηυ, ωυ. In hoc quoque genere miror, quod Buttmannus tanta religione sequutus est veteres grammaticos, ut, quum aperte et υι et αυ nunc brevem, nunc longam habeant primam vocalem, tamen eas diphthongos non discreverit. Quasi vero, si quid illi neglexerunt aut erraverunt, id nobis non supplere atque corrigere liceat. Sed

amamus nonnumquam, consuetudinis auctoritate freti, etiam peccare. Vt quum γήρᾳ dativum scribimus, qui non minus analogiae repugnat, quam si quis τείχῃ scriberet, quum, si τείχει scribimus, etiam γήραι scribendum esse pateat. Et haec quidem eo turpior est socordia, quod ista scribendi ratio ne grammaticis quidem, sed librariorum inscitiae debetur, qui quum iota, quod olim in caeterarum ordine litterarum scribebatur, subscribi coeptum esset, etiam ibi eam litteram subscripserunt, ubi locum suum tueri quam maxime debebat.

Sed satis. Nam ipsa illa de litterarum Graecarum pronunciatione quaestio, quam tu, vir praestantissime, tanto cum doctrinae apparatu maximam partem ex iis fontibus derivasti, ad quos mihi non licet accedere, tam late patet, tamque impedita est, ut, hoc praesertim tempore, quo ni-11 hil mihi otii relictum est, ab ea me plane abstinere debeam. Itaque rogo te, ut haec pauca sic accipias, quemadmodum ab amicis etiam levia non solent ingrata esse. Tu vero, quod nunc agis, ut, quae egregie de veterum Aegyptiorum lingua inchoavit Spohnius noster, quo nuper sumus candidissimo amico orbati, ad exitum perducas, id age feliciter, curaque, ut tua opera atque industria illius virtus meritam consequatur gloriam, cuius non exigua pars ad te ipsum redundabit. Me autem, qui tui sum studiosissimus, ut hactenus fecisti, amare perge. Vale. Dabam d. VIII. April. a. ciɔiɔccccxxiv.

PRAEFATIO AD HOMERI ILIADEM*).

Car. Tauchnitius quum artis suae eximium aliquod atque ex omni parte perpolitum specimen edere constituisset, prae caeteris scriptoribus talis monimenti honorem Homero deberi iudicavit. Itaque utrumque poema ex recensione ea, quae et novissima et optima esset, tanta cura impressit, ut praemio proposito provocare ausus sit, si quis aliquid naevi a correctoribus relictum deprehendisset. Quod ea caussa fecit, ut emendatis, si qui inventi essent, erroribus tabulae ex metallo fusae ab omni prorsus mendo liberae fierent. Quod consilium quum omnino est magnopere laudandum, tum maxime in Homero, cuius scriptoris lectionem etsi hodie omnes fatentur ita necessariam esse, ut ea iam puerilem aetatem imbuendam esse concedant, tamen nescio an haud ita multi aut quanta sit eius utilitas, aut quomodo ille, maximam ut utilitatem afferat, legendus sit, satis compertum habeant. Id igitur si paucis explanaverim, fortasse operae pretium fecero, praesertim quum quod ipse ait,

τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται,

id etiam in litteris accidere videamus, ut alio tempore alia magis probentur ac praecipue placeant: veluti nunc, ex quo maiore quodam studio tragoedia tractari coepta est, minorem Homero curam impendi animadvertimus:

*) Scriptae sunt haec praefationes editioni Tauchnitianae a. 1825.

non recte, et, si quid video, ut ne tragicorum quidem cognitio tantum, quantum aliter habitura esset, lucri ea re capiat.

Est Homerus Graecorum scriptorum multo et facillimus et difficillimus: facillimus delectari cupientibus; difficillimus inquirentibus vel in dictionem eius, vel in res quas commemorat, vel in carminum ipsorum originem et compositionem. Illa, quibus difficilis est, nunc mittam, dicamque tantum de iis quae facilia sunt. Haec enim ante sunt cognoscenda, quam ad illa quis possit accedere: falleturque, qui putaret initium fieri posse pervestigandis illis difficilibus. Nam sunt illa maximam partem ita comparata, ut ne animadverti quidem difficultas possit, nisi summa familiaritate cum his carminibus contracta. Quae familiaritas paratur recte legendo. Est autem recte legere scriptorem, ita legere, ut eum sic intelligamus, uti ipse intelligi voluit. Atqui poeta epicus delectare vult narrando. Idque Homerus ita facit, ut nec quae narrat obscura sint, nec dictione utatur impedita. Refert enim vel sibi ipsi visa, vel ab aliis accepta, vel vulgo credita, eaque sic, ut ipsum iis fidem habere pateat. Dicendi genus autem quo utitur, ita planum et simplex est, ut neque in constructione verborum, neque in sententiis quidquam sit, quod morari lectorem possit, nisi forte vel significationes verborum quorumdam, vel temporum modorumque ratio, vel vis particularum. Verum ne haec quidem magni momenti sunt. Nam verba illa plerumque 7
talia sunt, ut etiamsi penitus explicari nequeant, tamen quid sibi velint aut quid ad ornatum orationis conferant, facile percipi possit; temporum autem modorumque usus, in quo genere adhuc laborant grammatici, certe non impedit quin sensus dictorum intelligi possit; denique particulae, quarum ut copia admirabilis, ita eximia ad venustatem orationis vis est, ipsae potestatem suam saepe et multum legenti aperiunt.

Ex his consequitur, quos recte Homeri lectione imbuere volumus, eo perducendos esse, ut postquam ex tri-

bus quattuorve rhapsodiis formas verborum constructionumque regulas a magistro acceperint, deinde reliqua ipsi oblectationis caussa legere possint. Eoque fine totus iis perlegendus est Homerus: in qua re haec tria sunt observanda: primo, ut id hoc ipso fine, qui est in percipienda carminum illorum pulcritudine positus, faciant; deinde, ut quantum fieri possit perpetua sit lectio, neque ad alios scriptores divertat: denique ut saepius legant Homerum, totumque imbibant: quod eo facilius fit, quia quo saepius illa carmina legimus, eo magis animum retinent, magis magisque patescentibus innumerabilibus illis virtutibus, quae ubique disseminatae non nisi paullatim animis sese insinuant.

Horum singula quid prosint, paucis declarabo. Ac quod primum posui, non alio fine quam oblectationis caussa legendum esse Homerum, id eiusmodi est, ut non solum iucundam reddat eam lectionem, legentemque retineat atque ad repetitionem legendi invitet, sed etiam ut eum doceat illud ipsum cogitare ac sentire, quod cogitari
8 sentirique voluit poeta. In qua re egregium adiumentum est recitatio versuum, quae fit alta voce et ad leges numerorum: quos non volo pedes intelligi, per quos pueri versus scandere discunt, sed membra, incisa, ordinesque numerorum, in quibus simul et metrum versus heroici, et caesurae, quas verborum interpunctiones fieri iubent, rite notantur: quod sic demum divina vis et virtus quum numerorum, tum quibus illi ornandis inserviunt sententiarum apparet. Quod autem dicebam, illud ipsum quod voluisset poeta, neque aliud quidquam cogitandum sentiendumque esse, quod hac ratione optime facillimeque consequimur, id non leve quid, sed summum maximique momenti esse putandum est. Nam in ea re denique omnis iusta scientia continetur, neque aut interpretatio aut intelligentia scriptoris appellari potest, quae aliud quam illi in mente erat amplectitur. Id igitur quo tandem in scriptore melius faciliusque discatur, quam qui est maxime omnium planus et simplex, neque aut res continet obscuras atque

ambiguas, aut dictione utitur alia, quam quae maxime est humanae naturae conveniens? Quod secus est in iis scriptoribus, qui vel propter rerum quas tractant subtilitatem aut implicationem, vel propter orationis genus exquisitum variisque figuris distinctum, largam praebent et dubitandi materiam et occasionem errandi.

Secundum est, ut lectio sit perpetua, neque interpelletur aliorum lectione scriptorum. Apertum est enim, quo quis plura simul tractet, eo magis distrahi attentionem animi rerum varietate, impedirique quo minus ea percipiat, quae propria singulorum sunt? quo fit ut con- 9
fundantur omnia ac permisceantur, nec distingui quae diversa sunt possint. Quod a plerisque non satis animo reputari videmus. Vnde et in puerorum institutione multum in hoc genere peccatur, et qui maturiore aetate ipsi sua studia regunt, saepe quo plura cognoscere laboraverunt, eo pauciora cognita habere reperiuntur.

Tertio denique etiam curandum est, ut repetatur lectio. Nam prima cuiusvis scriptoris lectio vix aliam habet utilitatem, quam ut imaginem aliquam scriptoris animo concipiamus, non ut eius ingenium penitus cognoscatur: neque omnia quae ei propria sunt quibusque differt ab aliis scriptoribus percipi, sed notari tantum ad quae potissimum attendere debeamus possunt. Quarum rerum copia augetur repetenda lectione, quoque saepius repetitur, eo magis in animum lectoris penetrat scriptoris ingenium. Id autem ut in Homero consequantur qui antiquitati studia sua dedunt, non solum propterea necessarium est, quia quum caeteri scriptores omnes plus minus ex Homero tamquam ex communi fonte hauserunt, tum linguae Graecae omnis ratio quasi radices suas in hoc poeta habet, sed etiam, quod summum est, quia per huius lectionem simplicitati illi adsuescimus, quae fundamentum est verae accurataeque scientiae. Nulla enim in re saepius et gravius periclitari veterum scriptorum interpretationem videmus, quam quod simplicibus impedita,

planis contorta, apertis obscura, ultro se offerentibus quaesita, propriis aliena praeferuntur: quod quid denique aliud est, quam vera posthaberi falsis? Idque commune est vitium omnium, qui discendi initium iis scriptoribus legendis fecerunt, qui longius ab naturali Homeri simplicitate absunt: ita ut in interprete vel critico, quemcumque ille scriptorem tractet, facile cognoscas, utrum ab Homero ad alios scriptores progressus sit, an ab his ad Homerum pervenerit. Atque haud scio an perpauci hodie inveniantur, qui in hoc genere rectam sint viam ingressi, in iisque etiam eorum nonnulli, qui in ipsius Homeri interpretatione elaborarunt. Quo magis id velim omnibus, qui antiquitatis studia amplectuntur, curae cordique esse, ut sic demum se recte his litteris atque utiliter operam daturos putent, si summi illius poetae carminibus ingenium suum ad simplicitatem, quae praestantissima illorum studiorum adiutrix est, conformaverint.

PRAEFATIO AD ODYSSEAM.

Dixi in praefatione ad Iliadem, quomodo legendus esset Homerus, si quis idoneam cum eo familiaritatem vellet contrahere. Nunc paucis indicabo, qua ratione procedere debeant, qui eum accuratius pervestigare et quam perfectissimam sibi eius cognitionem parare cupiunt. In quo genere dux et signifer exstitit F. A. Wolfius, vir ingenio doctrinaque eximius, quem nuper Massiliae, quo se reficiendae valetudinis caussa contulerat, supremum diem obiisse non sine magno dolore accepimus. Qui si non satis habuisset monstrare viam, et quasi aditum patefacere ad interiora et magis recondita, sed aut perfecisset quod inchoaverat, aut saltem longius persequutus esset, non exstitissent vani quidam atque inepti homines, qui vel in dubitationem vocarent ea, quorum caussas rationesque non erant assequuti, vel male intellecta viri summi sententia ad perversa abuterentur. Nunc non minima pars laboris reliqua est. Ac versatur ea his in rebus: in explicatione atque emendatione grammatica; in solutione quaestionum geographicarum; in diiudicatione quum rhapsodiarum, tum interpolationum. Horum omnium nihil est, quod non sit plurimis et maximis dubitationibus obnoxium, quia quae antiqua et genuina carminum illorum forma fuerit nescimus. Et tamen aut non potest omnino de his rebus iudicari, aut iudicandum est secundum quam-

dam eius quod genuinum sit imaginem. Eam igitur ut quis animo concipiat atque ita paullatim informet, ut pro regula et norma esse possit, non satis est ea, quae a veteribus grammaticis et criticis tradita sunt, collegisse atque in numerato habere: nam his fere etiam incertiores reddimur: sed propter singulas quasque etiam minutissimas res denuo totus perlegendus est Homerus, attentione animi omni in id unum, de quo quaeritur, defixa. Quo id consequimur, ut, quoniam in singulis locis, quippe qui possint interpolati esse, parum praesidii inest, tamen summa quaedam ex multitudine exemplorum conficiatur, quae deinde est accuratius consideranda et cum iis locis qui repugnare videntur conferenda: quod quum facimus, tum vero adhibendae et scripturae diversitates et adnotationes grammaticorum, ut appareat, quid vel criticorum veterum placitis, vel inscitiae librariorum debeatur. Et hoc quidem praecipue ad res grammaticas spectat: quod genus quamvis diligenter a Wolfio tractatum, tamen nequaquam ab illo aut perfectum est, aut potuit perfici, quoniam et natura inquietior erat, nec severiorem illam philosophiae rationem amabat, qua carere nequit accurata explicatio grammaticae.

Alio modo difficilis est rerum geographicarum, historicarum, et mythologicarum expositio: in qua re maximus error is est, si quis quae diversis in locis dicta sunt, concordare debere, nec discrepare posse existimat.
7 Cuiusmodi constantiam, vel si unus esset idemque carminum illorum scriptor, requirere ineptum esset, quia etiam si essent ab uno facta, tamen non eo sunt fine composita, ut unum atque perpetuum opus efficerent, sed et temporibus facta diversis, nec loco omnia in eodem aut coram iisdem auditoribus cantata. Multo magis autem absurdum est, postulare, ut diversorum poetarum narrationes nihil inter se differant. Atqui non esse totam Iliadem aut Odysseam unius poetae opus, ita extra dubitationem positum puto, ut, qui secus sentiat, eum non satis lectitasse illa carmina contendam. Praeterea illud

neglectum video, quod multa, quae Homerus narrat, ex aliis antiquioribus carminibus accepta sunt, in primis quod attinet ad res mythologicas: ita ut operae pretium facturus sit, qui sibi proponat illa omnia colligere et quantum fieri possit explanare, atque ita imaginem quamdam adumbrare illius poeseos, quae ante Homerum fuit: quam patet non solum eam intelligendam esse, quae exiguo spatio antecessit, sed etiam vetustissimam illam, quae rerum divinarum atque humanarum scientiam quadam quasi rerum gestarum narratione, fictis pro rei cuiusque natura nominibus, est complexa.

Denique aliud non minus difficile negotium est, quod in poetis eorumque carminibus, ex quibus Ilias et Odyssea compositae sunt, distinguendis, tum vero etiam in explicanda arte diasceuastarum eruendisque interpolationibus versatur. Quod ipsum ita est comparatum, ut non possit nisi saepius repetita lectione, qua semper aliud atque aliud praecipue spectetur, perfici. Sed haec quoque lectio continua sit necesse est, neque interpelletur aliis negotiis, ne elabatur animo rursus quod comprehenderit, diffluatque atque evanescat illa quam concipere studeamus imago. Eiusmodi lectio quem fructum praeberet, ego ipse expertus sum, quum aliquando Iliadem quater aut quinquies intra paucos dies perlegi, ut nunc rerum, nunc orationis, nunc numerorum, nunc poetarum ingenii totiusque carminum coloris diversitates adnotarem: quae quum deinde inter ipsa comparabam, miram omnium in idem conspirationem deprehendi, ut quibus in locis initia dissimilitudinis uno in genere essent adnotata, iisdem locis inveniretur etiam in caeteris generibus observata esse mutatio. Horum quaedam exprompsi in epistola ad Ilgenium, quae praemissa est editioni meae hymnorum Homericorum. Sed quid haec memoro, quum in omnium manibus sit Spohnii liber de extrema parte Odysseae, cuius viri morte et litterae magnam iacturam fecerunt, nec minorem amici eius, quorum nemo est, quin aegerrime desideret illam candidissimam animam.

Ista igitur quam dixi continuae lectionis repetitione etiam ea, quae difficiliora sunt et laboriosae indagationis plena, erui explanarique possunt: atque ut nonnulla, quod in tot tantisque horum carminum mutationibus non est mirum, semper obscura maneant, at multa tamen ac nescio an pleraque satis clara in luce collocabuntur. Simulque illa legendi ratio hanc vim habet, ut divina illorum poematum suavitas illas inanes subtilitates et vana somnia arceat, in quae solent illi incidere, qui verius locos Homeri, quam Homerum cognitum habent. Nullum enim potentius adversus argutias et deliramenta remedium est, quam verae et fuco non indigentis pulcritudinis assidua contemplatio.

DE EPITRITIS DORIIS DISSERTATIO *).

Egregia illa dissertatio, quam de critica tractatione Pin- 3
dari nuper edidit A. Boeckhius, in mentem mihi revocavit epitritos Dorios, quaeque de iis contra me idem Boeckhius in praefatione ad scholiasten Pindari disputavit. Ad ea tum respondere nolebam: sperabam enim virum praestantissimum, quae animo nonnihil commoto neque a cupiditate vacuo scripsisset, postmodo sponte retractaturum: nunc tamen, quoniam permanere eum in sententia sua video, utar hac scribendi opportunitate ad illam rem iterum disceptandam. Adixi ego in dissertatione, quam scripsi de metrorum quorumdam mensura rhythmica, genus illud numeri non aliter cum caeteris quibus consociatur numeris congruere, nisi si secundi pedis ictus fortior esset quam primi, eoque numerus ille eximeretur ex genere trochaico. Idem se etiam Boeckhius sensisse in praefatione illa p. 39. fassus est: sed dissidemus eo, quod ille sensum cedere debere rationi ait, ego autem ratione defendendum esse sensum arbitror. Vtra verior via sit, mihi quidem per se planum videtur. Non solum enim quid

*) Edita est a. 1824. Scripsit contra eam Boeckhius in praefatione Indicis lectionum aestivarum Berolini a. 1825.

aptum pulcrumque sit, sensu, non ratione iudicamus, sed solet etiam sensus, qui naturali quodam instinctu regitur neque ex arbitrio nostro pendet, minus plerumque fallere, quam ratio, quae vel propter argumentorum fallaciam, vel propter opinionum pervicaciam multis obnoxia est erroribus: ut, sicubi discrepat sensus ab rationis decretis, caussas eius potius et fontes investigare, quam clamantem non audire praestet. Quid enim lucrere, si argumentis demonstres pulcra esse, quae tamen sensus ille usque ut non pulcra repudiet?

4 Ac de epitritis Doriis quae in dissertatione illa, quam dixi, adversus eam rationem quae est a Boeckhio inventa disputavi, tantum abest ut mutem ob ea, quae ille in praefatione ad Pindari scholiasten attulit, ut nihil eorum, quae ei a me obiecta erant, remotum refutatumque putem. Nititur enim omnis eius disputatio argumentis, quorum veritatem non video demonstratam esse. Proportionem sesquitertiam mature dicit apud Graecos oblitteratam esse, ita ut ipse Plato non nisi tria numerorum genera cognita habuerit; et sic etiam praecipere Aristoxenum. De Aristoxeno quidem ego ipse monueram: sed unde sciat Boeckhius expulsam illo tempore potius, quam quod est veri similius, nondum inventam fuisse rationem illam, non docuit. Deinde constare dicit, choreum irrationalem hanc rationem tenuisse, 4: 3, sive 2: $1\frac{1}{2}$: quod se ait demonstrasse lib. I. de metris Pindari c. 7. Atqui non demonstravit: collegit enim ex eo, quod Aristoxenus tempus irrationale medium esse docet inter 2 et 1. At multi inter hos numeri medii sunt praeter unum et semis, tantumque abest ut hunc dicat Aristoxenus, ut ex eo, quod *δωδεκατημόριον τοῦ τόνου* cum illo tempore comparat, non hanc, sed alias videatur rationes in mente habuisse *).

*) Tenuit suam explicationem Boeckhius, ad quam tuendam rectius attulisset Nicomachum in Institutione arithmetica II. 23. p. 139. Sed maluit vir eruditissimus dicere p. 10. „putidum „quidem et prorsus supervacaneum dixeris, huius generis afferre

Quamquam hoc non urgebo. Esto enim ut choreus irrationalis rationem habeat sesquitertiam: quid inde? „In di„podia trochaica gravi," inquit, „rationali trochaeo irra„tionalem choreum additum dico, quorum iam haec ratio „videbitur: 2: 1, 2: $1\frac{1}{2}$: in qua ratione iam tanta est „pedum inaequalitas, ut ea neque cani neque saltari recte „queat, quia rhythmi prima lex aequalis pedum est pro„gressio." In his vero primum ille magnus est error, quod aequalem progressionem pedum huc admovet. Est ea quidem prima lex numeri, ubi uno ordine numeroque plures pedes coniunguntur: at vero ad illud non attendit, ultimum ordinis numerique pedem, quia in extremo eius tempore finis est numeri, nec sequitur quidquam quo iustam mensuram observare cogamur, exemptum illa comparatione esse: quae caussa est in metris syllabae ancipitis, in rhythmis temporis irrationalis, non omnis quidem, sed eius, quod non est in ictu. Itaque tantum abest ut irrationali tempore violetur illa quam dicit prima lex numeri, ut locus, in quem incidit, observatae potius indicium sit. Vero violaretur, si in medio numero admitteretur, veluti in primo pede dipodiae, vel in tripodiae, qualem in versu ithyphallico videmus, pede primo secundove. Itaque etiam alterum non est verum, quod ait, neque cani neque saltari istos pedes illa mensura recte posse. Possunt enim facillime, quia servatur aequalis mensura, ad eamque in fine pausa accedit seu dimidiati temporis, seu quarumlibet aliarum temporis partium: ut, qui canat saltetve, planis-

---

„exempla: ut tamen unum conferamus, vide quid Thucydides I. „10. τὸ μέσον vocet inter duos numeros." Nimis profecto supervacaneum est hoc exemplum, rideretque Thucydides, si audiret, quum dixisset Homerum naves Graecorum maximas 120 remigum, minimas 50 memorasse videri, mediaque magnitudine sumpta non permagnum confici militum numerum, eum se numerum 85, et non 84 aut 86 esse contendisse. Neque illud quale sit obscurum est, quod Aristoxenum, si plures medios numeros in mente habuisset, non ἡ μέση ληφθεῖσα, sed μέση τις dicturum fuisse ait. Non scripsisset ita Aristoxenus, neque articuli ea vis est, quam putat esse vir doctissimus.

simas numerorum rationes observet, 2: 1, 2: 1, in fine autem moram adiiciat seu $\frac{1}{2}$ seu $\frac{n}{x}$: quod contra quis non videt, quae Boeckhio placent rationes, 2: 1, $1\frac{5}{7}$: $1\frac{2}{7}$ ad observandum seu voce seu motu corporis esse difficillimas? Verum quidem est, pedes ita sibi accurate exaequari: sed quo tandem iure, quove auctore id umquam factum docebit? Immo aperte repugnant verba Aristoxeni, qui p. 292. ut ostendat quid sit tempus irrationale, primo sumi iubet duos pedes, alterum aequali proportione temporum, 2: 2, alterum dupli 2: 1. tum tertium, qui priorem partem aequalem habeat illorum initiis, posteriorem autem mediam inter 2 et 1. In iis vero rationibus, quas Boeckhius posuit, secundus dipodiae pes utrumque habet irrationale tempus, quod repugnare iis, quae Aristoxenus p. 298. et Bacchius p. 23. docuerunt, in illa dissertatione mea monui. Ad eam obiectionem non sic respondit Boeckhius, ut confirmare veteres id quod ipse posuit ostenderet: non potuit enim: sed quod illi nec dixerunt nec potuerunt dicere, statuisse eos colligit ex eo, quod in dipodia alter pes pro arsi, alter pro thesi sit, et proinde utriusque eadem debeat mensura esse; explicatque per ductum, quo ille alter pes mutatis temporibus aequetur priori. Videamus de his accuratius. Verum sane est, quod ex Aristoxeno docuit lib. I. de metr. Pind. c. 5. p. 27. numerum senum temporum ad genus dactylicum referri, si in duas aequales partes dividatur; ad iambicum, si ratione dupli. At primo ubinam quidquam Aristoxenus dicit de dipodia trochaica? Nempe sumit hoc Boeckhius, quia sibi persuasit nullum usurpatum esse sonum tria
6 habentem tempora: de qua re dixit p. 19. seq. Confudit enim metricorum et rhythmicorum doctrinam. Nam metrici de quibus et Aristides Quintilianus illo quem affert loco, et Dionysius Halicarnassensis, et scholiastes Hephaestionis loquuntur, quia solam versuum faciendorum rationem spectabant, non poterant non duplicem tantum mensuram ponere. Rhythmici vero quattuor agnoscebant temporum diversitates, ut non debuerit scholiastes Hephaestionis tamquam homo parum peritus contemni. Quid

enim? Nonne idem ille Aristides Quintilianus p. 33. ubi non de metrica, sed de rhythmica doctrina explicat, diserte scribit: *σύνθετος δέ ἐστι χρόνος ὁ διαιρεῖσθαι δυνάμενος· τούτων δὲ ὃ μὲν διπλασίων ἐστὶ τοῦ πρώτου· ὃ δέ, τριπλασίων· ὃ δέ, τετραπλασίων· μέχρι γὰρ τετράδος προῆλθεν ὁ ῥυθμικὸς χρόνος· καὶ γὰρ ἀναλογεῖ τῷ πλήθει τῶν τοῦ τόνου διέσεων, καὶ πρὸς τὴν διαστηματικὴν φωνὴν εὐφυῶς ἔχει* *). Rhythmici enim plane non curant syllabas, sed tempora sumunt certa ad definiendum aliquod spatium, in quo quae canuntur syllabae moveantur, sive illae totidem, quot sumpta sint tempora, sive plures, sive pauciores: de qua re dixi in diss. de mensura rhythmica p. 14. seq. Itaque quem Aristoxenus numerum senum temporum in genus dactylicum incidere dicit, is est, quem hodie duobus sonis, e. c. duobus quadrantibus, puncto utrique addito, designamus: qui etsi aequat temporibus dipodiam trochaicam, non est tamen eiusmodi dipodia. Quin etiam si quis concedere Boecklio vellet, loqui Aristoxenum de dipodia trochaica, non sequetur ullo pacto, secundum pedem esse $1\frac{5}{7}$: $1\frac{2}{7}$. Nam id sic demum credi posset, si ille diserte de isto genere, quod spondeo terminatur, dixisset. Aliter enim leves trochaeos in mente habuisse putandus est, nec magis de dipodia, quam de tetrapodia aut quovis longiore ex puris trochaeis numero loqui.

---

*) Boeckhius etsi iam concessit et trium temporum sonos usurpatos esse, et iniuria se reprehendisse scholiastam Hephaestionis, tamen hunc Aristidis locum p. 5. sic est interpretatus, ut inde aliquid praesidii petere posset ad demonstrandum, quod sibi persuasit, dipodiam trochaicam ab Aristoxeno ad genus dactylicum esse relatam. Argumento autem usus est hoc, quod Aristides aliter debuisset usque ad octasemam magnitudinem procedere, quae cerneretur in trochaeo semanto. Non videtur reputasse, quod dicit idem Aristides p. 38. *σημαντὸς δέ, ὅτι βραδὺς ὢν τοῖς χρόνοις ἐπιτεχνηταῖς χρῆται σημασίαις, παρακολουθήσεως ἕνεκεν διπλασιάζων τὰς θέσεις.* Comparandum cum his, quod Plutarchus tradidit in libro de musica p. 1140. F.

Sed illud quum sumpsisset Boeckhius, rationesque invenisset nulli rhythmicorum aut commemoratas aut probatas, 2: 1, $1\frac{5}{7}$: $1\frac{2}{7}$, eas ut defenderet, a ductu petiit auxilium, ita ut p. 104. illuc etiam *μῖξιν*, quam in partibus rhythmopoeiae numerat Aristides, referendam putaret. 7 Atque Aristoxeni quidem verba, quae ibi affert, iam in dissertatione illa, cuius mentionem feci, quomodo ad ductum spectare putet, negavi me intelligere. Nam Aristoxenus, ubi dixit pedem per se non plura habere quam quattuor tempora, quas videtur partes pedis intelligere hoc modo, in genere iambico 2: 1, in dactylico 2: 1+1, in paeonico 2: 1+1+1, „fallerentur vero," inquit, „qui putarent, non in plures quam quattuor partes „dividi pedem: sunt enim pedes, in quibus hic partium „numerus duplicatur et multiplicatur: at non per se in tam „multas partes dividitur pes, sed per rhythmopoeiam: „alia enim tempora sunt quae naturam pedis servant, alia „illa, in quae pes per rhythmopoeiam dividitur: addendumque, cuiusvis pedis propria tempora et numero et „magnitudine eadem manere; quae autem per rhythmopoeiam divisiones fiunt, magnae esse varietatis capaces." Quid hic de ductu? Immo tantum abest ut, quemadmodum Boeckhio videtur, tempora pedum mutata dicat, ea ut conservare magnitudinem suam testetur. Nihil enim dicit aliud, quam quod de hodiernis rhythmis aliquis musicus dicat, usitatos esse rhythmos ternum trientium, senum trientium, duum, ternum, quaternum quadrantium; eosque rhythmos manere eosdem, quantamvis varietatem numerorum in sonis, qui secundum hos rhythmos canantur, inveniamus: manet e. c. rhythmus quattuor quadrantium, etiam si in singulis quadrantibus bini, terni, quaterni, seni, octoni canantur soni. Nec *μῖξιν* recte explicuit Boeckhius. Nam quod scribit Aristides p. 42. constare rhythmopoeiam *λήψει, δι' ἧς ἐπιστάμεθα ποίῳ τινὶ ῥυθμῷ χρηστέον· χρήσει, δι' ἧς τὰς ἄρσεις ταῖς θέσεσι πρεπόντως ἀποδίδομεν· μίξει, καθ' ἣν τοὺς ῥυθμοὺς ἀλλήλοις συμπλέκομεν, εἴ που δέοι·* id falsum esse ait, quia, si mistio sit variorum rhythmorum electio eorumque per arses et

theses adornatio et coniunctio, non recte differat a caeteris partibus, sed partim electione partim usu contineatur: unde eam, ut videtur, perobscure enim de ea re scribit, ad ductum refert. At nec falsa est divisio ista, nec mistio id est, quod Boeckhio placet, sed hoc dicit Aristides: rhythmopoeiam contineri primo electione, cuius sit videre quo genere numeri utendum sit, veluti utrum iambico an8 dactylico; deinde usu, cuius officium versetur in iusta arsium ad theses comparatione, ut, si dactylicum genus electum est, utrum in eo spondeis uti oporteat, an dactylis, an proceleusmaticis; denique mistione, quae posita sit in coniunctione numerorum, sicubi ea opus sit, ut, si non est uno genere utendum, quae genera apte coniungantur, et quam membrorum proportionem esse oporteat, et quomodo fieri iunctura debeat, fortasse etiam, si plures simul voces canant, qui singularum vocum numeri recte conspirent. Iam ubi tandem est ullum vestigium, ex quo ductus ope secundum pedem dipodiae illius trochaicae, quam gravem vocat Boeckhius, rationem istam, $1\frac{5}{7}$: $1\frac{2}{7}$, accipere colligas? Ductus ille, quem *ἀγωγὴν* Graeci dicunt, certa rhythmi celeritas vel tarditas est, ut definiit Aristides p. 42. quae natura sua non ad partem aliquam unius ordinis, ut dipodiae, sed ad integrum aliquem rhythmum, ut ad stropham, ad versum, ad membrum versus pertinet. Ita in Sophoclis Oed. R. quivis facile sentiat, carminis illius, quod est a. v. 1186. primam stropham atque antistropham alacriore, tardiore autem numero ea quae deinde sequuntur, proferri. Et in altero Oedipo in concitatissimo systemate dactylico v. 241. seqq. hi duo molli ac flebili voce inserti versiculi,

ὦ ξένοι, οἰκτείραθ', ἅ,
τὰν ἀδόκητον χάριν,

quis dubitet quin remissius tardiusque fuerint cantati? Membri autem exempla habemus in trochaeo semanto, de quo fortasse etiam Boeckhius aliquando sibi persuadebit. Quodsi, ut Boeckhio placet, vel in una dipodia mutari ductus consuevisset, quid obsecro aliud quam et ductus

ipse et iusta temporum observatio, postremo omnis numerus conturbatus esset planeque sublatus? *)

Videor mihi ostendisse, nihil usquam praesidii esse defendendae illi rationi, qua Boeckhius epitritos ad trochaicae dipodiae, duos aequales pedes habentis, mensuram revocare ausus est. At epitritos tamen ferendos negat, mihique pene irascitur, qui modo genus illud impro-
9 batum veteribus rhythmicis tuear, modo ipse reiiciam ac damnem. Feci vero, facioque etiamnum. Quid enim? Vulgo isti numeri habebantur trochaici. Id falsum esse, neque convenire Doricae illi compositioni trochaeos, et me sensus quidam admonebat, et idem sibi accidisse Boeckhius fatetur, nec dissentiet opinor, quicumque quid aptum in hoc genere sit, iudicare potest. Ergo non erant trochaei appellandi, sed epitriti, quod nomen proprium est illius mensurae. De metro enim illa erat quaestio: quare utendum erat appellatione metricis usitata. At sequebatur alia quaestio, quae erat de rhythmo musico. Rhythmicos vero repudiare dicebam numerum epitritum: ergo, qui metricis essent epitriti, rhythmicis dubitabam an alio essent numero cantati, et hunc quaerebam qui esset. Quid obsecro in his est, quod pugnet? Nimirum non in his, quae a me dicta sunt, sed in Boeckhii ratiocinatione errorem esse, apertum est ex iis, quae in dissertatione de critica tractatione Pindari p. 25. scribit, Platoni ignotum fuisse numerum epitritum, quamvis valde admiratus sit Dorium genus musicae: et tamen hos Dorios vocari epitritos. Quidni? Sunt enim manentque, si de metro loquimur, epitriti: sunt etiam Dorii, quia proprii compositionis metrorum Doricae: sed musicum rhythmum habere possunt alium,

*) Haec dum refutare studuit Boeckhius p. 7. confirmavit. Omninoque quae ad defendendas illas quas invenit dipodiae trochaicae rationes attulit, non opus est ut attingam. Facile enim cuivis illam disputationem attente consideranti nihil ea effectum esse apparebit, nisi ut se ne videretur non defendisse.

ut, si de hoc sermo sit, non magis a me appellari epitriti potuerint, qui diserte dixerim non videri hoc numero cantatos, quam noti esse illa appellatione Platoni. Quid enim? num quae apud nos in templis numero spondiaco cantiones chorales canuntur, negabimus spondiaco numero cani, quia verba cantionum non sunt eo numero, sed iambico vel trochaico composita?

Sed veniendum iam est eo, quo tendit haec disputatio, ut iterum quaeram de rhythmo musico illorum epitritorum. Ac puto haec duo ut non dubia sumi posse: primum non esse veram pedum exaequationem, quam Boeckhius invenit, quia nihil usquam reperitur, quod eam aut confirmet, aut commendet, aut ferendam arguat; deinde non esse omnino istum numerum trochaicum, ut quem statim sensus alienum ab illa Dorica compositione carminum esse clamitet. Idem vero sensus commendat numerum eum, quem ipsa mensura syllabarum offert, i. e. epitritum: quod magnum est argumentum, non esse eum numerum temere et sine gravi caussa damnandum. At, inquit Boeckhius, et quis non? obstat quod non solum Plato de Rep. III. p. 400. A. atque Aristoteles Rhet. III. 8. tria tantum commemorant rhythmorum genera, quae sunt iambicum, dactylicum, paeonicum, sed ipse etiam Aristoxenus, quum eadem ponat genera, diserte excludit numerum epitritum, in iisque dicit rationibus esse, quae non faciant rhythmum. Mirum vero, quum non modo alii rhythmici admiserint eum numerum, licet rarius, sed ipse eum Aristoxenus novisse videatur, ut e Pselli excerptis, quae tota ex Aristoxeni libro sumpta esse veri simile est, colligimus: sic enim ille p. 300. *γίνεται δέ ποτε ποὺς καὶ ἐν τριπλασίῳ λόγῳ· γίνεται καὶ ἐν ἐπιτρίτῳ.* Nec profecto impedita aut non numerosa est ista proportio. Quid igitur? Num forte neque Aristoxenum caeterosque musicos, nec Platonem et Aristotelem recte sumus interpretati? Nisi egregie fallor, ipse nos admonere debebat ea de re Aristoxenus. Sic enim scribit, p. 300. *τῶν δὲ ποδῶν τῶν*

καὶ συνεχῆ ῥυθμοποιΐαν δεχομένων τρία γένη ἐστί· τό τε δακτυλικόν, καὶ τὸ ἰαμβικόν, καὶ τὸ παιωνικόν. Manifesto enim post ποδῶν addi debebat τῶν, omissum librarii culpa. Patet ex his, non omnium pedum tria esse genera perhiberi, sed eorum tantum, qui continuato numero usurpentur: quod dictum est verissime: nam et iambicum et dactylicum et paeonicum genus eiusdem pedis iteratione decurrit. Qui quum sint primi omnium et maxime simplices numeri, ex quibus caeteri omnes nascuntur, pro fundamento sunt positi omnis doctrinae rhythmicae. Itaque hos tantum et Aristoteles, et magis etiam Plato, qui dissimulet accuratiorem harum rerum scientiam, commemorarunt. In his autem numeris non est epitritus, ut qui non iteratione eiusdem pedis, sed coniunctione diversorum nascatur. At, inquiat aliquis, tamen etiam epitriti plures, ut choriambi antispasti, dochmii, aliique pedes continui usurpantur. Cur ergo, si hos admittit Aristoxenus, non etiam admittit epitritos? Dolendum profecto, quod frag-
11 mentum illud eo obscurum est, quia non plenam continet pedum explicationem. Sed aliquid tamen vel sic coniectando assequi poterimus. Ac primum quid est, quod ubi genere differre pedem dicit, ita loquitur, p. 298. γένει δέ, ὅταν οἱ λόγοι διαφέρωσιν ἀλλήλων οἱ τῶν ποδῶν· οἷον ὅταν ὁ μὲν τὸν τοῦ ἴσου λόγον ἔχῃ, ὁ δὲ τὸν τοῦ διπλασίου, ὁ δ' ἄλλον τινὰ τῶν εὐρύθμων χρόνων? Apertum est enim ex his, non tres tantum ab eo agnosci pedum proportiones, aequalem, duplam, sesculplam, sed plures. Deinde vero postrema fragmenti pars, in cuius explicatione haec omnis caussa versatur, vereor ne male intellecta fuerit, quum visus est Aristoxenus metricorum more partes pedum posuisse eas, quae non nisi simplum vel duplum continerent. De senum quidem temporum pede iam supra dixi, non videri Aristoxenum dipodiam trochaicam, addo etiam iambicam, ad genus dactylicum retulisse, sed eum pedem posuisse bis trinum temporum: 3: 3. Apertius id etiam in septenum temporum magnitudine apparere puto: τὸ δὲ ἑπτάσημον μέγεθος, inquit, οὐκ ἔχει διαίρεσιν ποδικήν· τριῶν γὰρ λαμβανο-

μένων λόγων ἐν τοῖς ἑπτά, οὐδείς ἐστιν ἔῤῥυθμος· ὧν εἷς μέν ἐστιν ὁ τοῦ ἐπιτρίτου· δεύτερος δὲ ὁ τῶν πέντε πρὸς τὰ δύο· τρίτος δέ, ὁ τοῦ ἑξαπλασίου. Quid est enim, quam dicit, *διαίρεσις ποδική*? Non, opinor, divisio in pedes: nam magnitudo illa recte dividitur in pedes duos, quorum uterque per se iustam proportionem habet, alter 2: 1, alter 2: 2. Itaque hoc eum dicere necesse est, magnitudinem illam non admittere eiusmodi divisionem, quae pedem faciat: nam nec 3: 4, nec 5: 2, nec 6: 1 rhythmicas proportiones esse. Damnat ergo aperte illum Boeckhii pedem $1\frac{1}{7}$: $1\frac{2}{7} = 4$: 3. Videntur haec etiam iis confirmari quae postremis fragmenti verbis dicit: *ὥστε πέμπτοι ἂν εἴησαν οἱ ἐν ὀκτασήμῳ μεγέθει· ἔσονται δ' οὗτοι δακτυλικοὶ τῷ γένει· ἐπειδήπερ...* Convenit enim hoc in hanc proportionem, 4: 4, non convenit in usitatissimum genus, dochmiacos, quem numerum tamen ab ipsa illa magnitudine *ῥυθμὸν ὀκτάσημον* appellari constat. Itaque recte, opinor, colligemus, in iis, quae desunt, hanc rationem redditam fuisse, quod neque 1: 7, nec 2: 6, nec 3: 5 proportiones sint rhythmicae. Et tamen dochmii proportio est 3: 5, nempe 12 non in duobus sonis, altero trium, altero quinque temporum, quae proportio non est rhythmica, sed in pedibus duobus, iambo, qui dupli, et Cretico, qui sescupli proportionem habet.

Quod si ex his, quae disputavimus, iam planum videbitur, non nisi de simplicibus pedibus rhythmicis loqui Aristoxenum, a quibus exclusa sit proportio illa partium 3: 4, quid hoc iam ad syzygiam illam duorum pedum attinebit, quae vocatur epitritus? Omnino nihil: ut credibile sit, eam pariter ut genus dochmiacum ad eos relatam esse rhythmos, qui ex numeris simplicibus, sed diversas rationes habentibus, componantur. Ita salva manebit et integra illa epitritorum ratio, et illud solum erit reliquum, ut videatur, quid sit, quod eam sensu quodam admoniti requiramus in Dorica carminum compositione, trochaicas autem dipodias adspernemur. Nam debet huius rei ali-

qua caussa esse, quam mirum esset nisi accuratius considerandā numerorum compositione in lucem liceret protrahere.

Atque apertum est, discordare numeros, inter quos nihil similitudinis intercedat; concordare autem, qui pares vel similes sint. Similes autem dicimus, qui quum aliqua re differant, alia tamen habeant communia. Ea vel similitudo vel dissimilitudo posita est in his rebus: in genere numeri; in conformatione membrorum, cuius duae partes sunt, complexus ordinum et terminatio; in vi denique numeri et ingenio. Ita pentameter elegiacus apte compositus est ex eiusdem numeri membrique geminatione, varietatem habens hanc tantum, quod a posteriore membro exclusi sunt spondei. Maiore cum varietate ex iisdem membris compositus est versus heroicus, cuius secundum membrum ab initio anacrusi, in fine thesi auctum, et commissuram partium suavem reddit, et lenem praebet catalexin: sed quae primaria res est, tres ictus, utrique membro communes sunt. Insigni arte composita est stropha Alcaica, cuius elementa sunt dipodia trochaica et dipodia dactylica: de quarum rationibus dictum in Elem. d. m. p. 687. et p. 658. quo loco ostendi quam inconcinna fiat compositio, si in his elementis aliquid mutetur. Alia ratio est carminis Sapphici, cuius partes sunt dipodia tro-
13 chaica, et ordo logaoedicus triplex, huiusque catalexis uno trochaeo minor. Hic quoque, etiam si quid mutetur, dum ne qui ictus aut accedat aut detrahatur, manet numeri concinnitas, ut in illo,

ἰόπλοκ' ἀγνὰ μειλιχόμειδε Σαπφοῖ.

Nunc videat mihi aliquis Doricam illam, de qua quaerimus, compositionem. Eius elementorum unum est ordo dactylicus triplex catalecticus, alterum illa quae putabatur dipodia trochaica. Quid inter hos numeros commune intercedit? Diversi sunt genere, alter dactylicus, alter trochaicus; diversi complexu ordinum, alter tres ictus triplicemque ordinem, alter duos ictus ordinemque dupli-

cem habens; diversi terminatione, alter catalecticus, alter acatalectus; diversi denique vi atque ingenio, alter gravis et fortis. alter levis et debilis Luculentissime hoc apparet ubi membrum illud dactylicum inter duas istiusmodi dipodias medium est, ut in epodo Pyth. III.

ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώρια παπταίνει τὰ πόρσω.

aut ubi una dipodia trochaica vel sequitur vel antecedit dactylos, ut in eodem carmine:

πρόσθεν ἀκερσεκόμᾳ μιχθεῖσα Φοίβῳ,
καὶ φέροισα σπέρμα θεοῦ καθαρόν.

Nam si dipodia illa ut trochaica, i. e. fortiore priore ictu pronunciatur, intolerabilis oritur numeri inconcinnitas: cuius iam patet quae caussa sit.

Haec si vera sunt, apertum est, alium eligendum fuisse numerum, qui membro illi dactylico consociatus ad eam, quae exprimenda erat, gravitatem ac dignitatem concordaret. Debebat ille autem tranquillior esse dactylico. Atqui is aut trochaicus est aut spondiacus: sed dipodia vel tripodia spondiaca nimis est gravis, tristioremque habet incessum, quam ut apte potuerit adhiberi: trochaei autem, si aequaretur membrum dactylico, fieretque e triplici ordine catalectico, convenirent quidem hi numeri: iam enim et ordinum complexu et terminatione similes essent, ut,

πρόσθεν ἀκερσεκόμᾳ μιχθεῖσα Πυθίῳ, 14
καὶ φέροισα μὲν σπέρμα θεοῦ καθαρόν·

sed tamen et levitas trochaeorum dactylorum obesset gravitati, et dissonum quid ex eo nasceretur, quod qui in dactylico genere catalecticus est numerus, in trochaico, quod dipodiis metiri solemus, hypercatalectus habetur. Itaque quum neque illo triplici ordine trochaico, nec spondeis uti liceret, quid aliud reliquum erat, quam ut ex utroque medium quoddam componeretur genus, trochaei suavitatem cum gravitate spondei coniungens?

Ea vero est syzygia e trochaeo et spondeo, ictum fortiorem, ut par est, in secundo pede habens. Quod ita esse, vel illi tres versus, quos attuli, comprobare poterunt, in quibus si dipodia illa trochaica est, ictus potiores in iis syllabis sunt, in quibus essent imperite collocati, obscurarentur autem syllabae eae, in quibus vis est verborum. Quod contra si illi sunt epitriti, eos quos debent ictus habent verba. Simul vero etiam apparet, cur, quum dactylicum membrum tres ictus habeat, nihil offensionis sit in epitrito, cuius duo tantum ictus sunt. Nam dactylicum membrum ex uno, epitritus ex duobus numeris constat; dactylicum in catalexin emollitur, epitritus e trochaeo augetur in spondeum: ita ut compositione plane diversi dissimilesque sint illi numeri, ideoque non possint ictuum numero inter se comparari, sed similitudo omnis in affinitate eorum et ingenio sit posita. Quod quale sit, facile est ad intelligendum: cognatus enim ac potius idem est spondeus dactylo, sed gravior, ut in epitrito dactylicum genus trochaico emollitum conspiciatur. Itaque si in dipodia trochaica ad iustam membrorum comparationem deest tertius ictus, is in epitrito compensatur pede, qui est generis dactylici, sed ipso dactylo gravior. Eumque pedem interdum solum pro integro membro admixtum in illo genere carminum videmus: qui si in cantu unius spondei, i. e. quattuor temporum caeteris temporibus parium mensuram habuisset, nemo non videt, perineptam illam fuisse membrorum proportionem, nec magis tolerabilem, quam si unus a caeteris numeris disiunctus dactylus poneretur. Propterea eum pedem alio ductu cantatum esse necesse est, quae est mensura trochaei semanti, duodenum temporum, qua ad iusti membri longitudinem hic pes porrigitur. Caetera compositionis illius membra catalexes sunt dactylorum et epitriti, choriambus et Creticus. Plane enim inconcinna foret eiusmodi catalexis, qualem quum alii, tum quod valde miror, etiam Boeckhius in dissertatione de critica tractatione Pindari p. 23. Aeschylo tribuit,

ὄντα χερνήταν ἐραστεῦσαι.

Verissima enim et certissima est librorum scriptura, *γάμων* in fine addentium, cuiusmodi vox addenda esset, etiam si nullus eam liber praeberet. Tragicorum propria est clausula stropharum numero ithyphallico. Dipodia vero iambica, quam Boeckhius ibidem p. **20.** a severiore compositione alienam putat, non magis ab illo genere abiudicanda est, quam Ionicus a minore in initio versus, ut in Pindari Ol. VII. Sed haec persequi nunc nihil attinet.

DE EMENDATIONIBVS PER TRANSPOSITIONEM VERBORVM DISSERTATIO.

3 Artis criticae primarium officium quum in iudicando sit positum, permirum est, multos qui eam exercent, in ea re, in qua maxime oportebat, non uti iudicio. Nam in omni arte illud primum est maximeque necessarium, ut, qui eam factitet, et quae eius instrumenta sint, et ea quibus usibus inserviant, rite cognoverit. Quod si ne rusticum quidem reperias, qui ubi aratro, ubi ligone utendum sit nesciat, quid turpius esse potest homini litterato, quam ignorare qua ratione in singulis artis suae partibus id quod sibi proposuerit debeat perficere? Sed nimirum in litteris multa ita sunt comparata, ut, quoniam manibus contrectari nequeunt, ambiguos habeant fines recti pravique: quo fit ut multi satis ducant ab eo sibi cavere, quod iis in quoque genere nimium esse videatur. Ea vero magna socordia est. Nam quid est illud quod nimium dicimus, nisi id quod iustos fines excedit? quos nisi cognitos habeas, nec quid nimium, nec quid parum sit, poteris discernere. Eiusmodi est in arte critica illud, quod quum saepe ab aliis, tum ante aliquot annos ab R. Porsono dictum est, facillimam ac tutissimam rationem emendandi eam esse, quae fieret transpositione verborum. Quo ego praecepto quum et Porsonum ipsum et magis etiam illos, qui ex auctoritate

Porsoni pendent, male abuti animadvertissem, iterum iterumque monui, non esse huic regulae temere atque incogitanter obsequendum, siquidem illa saepe omnium difficillima sit et violentissima emendandi via. Sed fuerunt tamen qui id a me dici propemodum aegre ferrent, alii admiratione Porsoni iniqui, alii fortasse propter iniquitatem admiratores Porsoni. Quamobrem, ut ad Sophoclis Aiacem v. 885 et ad Electram v. 808 promisi, explicatius, quid de omni ratione transpositionis sentiam, declarabo.

Ac multum ab eo absum, ut errare contendam, si qui verborum transpositionem ut facilem ac lenem medelam commendant: sed hoc dico, neque omne genus transpositionis, neque ullum genus eius ubique aut adhibendum, aut aliis emendandi modis praeferendum esse. Id quum vel per se ita sit comparatum, ut nemini non debeat verum videri, tum multo magis elucescet, ubi distinctius explicabitur. Nam quid aliud agimus, quum quid transponendis verbis emendamus, quam ut turbatum in libris genuinum ordinem verborum studeamus restituere? Ex quo consequitur, eodem modo in hoc genere procedendum esse, quo in aliis generibus emendandi. Nam quemadmodum ubi scripturae vitia corrigenda sunt, non temere licet aliud vocabulum pro alio ponere, sed videndum est quae litterae vel quae verba, et quas ob caussas quibusve conditionibus ab librariis commutentur: ita etiam quum est de ordine verborum dubitatio exorta, quaeri oportet qui factum sit ut turbata fuerit verborum collocatio, et qui sint huius turbationis modi ac termini. Non enim casu verba per chartas a scribentibus disperguntur, sed collocantur ordine quodam: qui sicubi pervertitur, esse aliquid necesse est, cur qui scribit a praescripto ordine discedat. Idemque vel in loquendo fieri videmus, ut, qui celerius aliquid profert, litterarum ordinem permutet, sed certis tamen legibus, neque ut, quod Ier. Marklando in Horatio in mentem venit, *perfidus hic caupo* fiat *caussidicus vafer hic*.

Sunt igitur mutati verborum ordinis quattuor potissimum caussae: una, non imputanda librariis, libri unde quid describitur vitium; reliquae tres in eo qui scribit sitae, consilium, negligentia, error.

Ac primum illud genus, quod vacat culpa librarii, uti rarius est, ita etiam rarius in emendando locum habet. Continetur autem vel foliorum ordine in exemplo, quod ante oculos habebat librarius, perturbato; vel continuatis, quae in disiectis chartis scripta fuerant; vel loco integro aut versu, qui omissus fuerat, alibi ac debebat posito, signis quae ei sedem suam assignarent neglectis deletisve, ut in Aeschyli Agamemnone v. **1299**. et in Choephoris v. **163**. vel verbo aliqua simili caussa in alium locum translato, ut verbum *ἐῤῥάνται* in eiusdem poetae Persis e v. **570**. in v. **582**. venisse mihi assensi sunt novissimi editores; vel quum textui immiscetur interpretatio litterarum formis non satis discreta, ut in Aiace v. **1054**. pro *ἐξεύρομεν ζητοῦντες ἐχθίω Φρυγῶν* in codice quodam legitur: *ἐξεύρομεν αὐτὸν ἐχθίω Φρυγῶν ζητοῦντες·* vel denique quum quid ex laciniis situ solutis descriptum est. Et hae quidem transpositiones, si media oratio interrupta est, plerumque facilius deprehenduntur, quoniam fere et error manifestus est, et quem in locum quae avulsa sunt reponi debeant diligenter attendenti patet. Difficilior autem et periculosior est restitutio, ubi singulae scripti partes integrae sunt, de ordine autem, quo sese excipere debeant, dubitatur. In quo genere nemo ignorat, quam crudeliter viri docti in Tibullum, Propertium, Tyrtaeum, aliosque scriptores saevierint. Quod fecit etiam sive E. Epkema, sive quem ille praesidem disputationis habuit Wassenberghius in dissertatione de transpositione, saluberrimo in sanandis veterum scriptis remedio, quam Friedemannus et Seebodius in utilissimo Miscellaneorum libro, vol. I. P. I. repetendam curarunt. Et ille quidem tam parum cogitate de transpositione scripsit, ut eo referret etiam fragmentorum, qualia Theognidis habemus, in perpetuitatem quamdam coniungendorum conatum.

Sequitur illud genus, quod consilio mutatum ordinem verborum continet. Nam grammatici, vel qui grammaticorum partibus se fungi posse putarunt librarii, interdum ut perspicuitati consulerent, nonnumquam ut elegantiorem redderent orationem, saepissime autem in poetis, ut metra labare visa sustinerent, verba alio ordine disposuerunt: id quod in melicis tragicorum Graecorum carminibus, maximeque in Plauto Terentioque factum videmus. Nam illi grammatici quum plerumque vel metrorum veram rationem, vel prosodiae antiquioris leges ignorarent, mirum quantum sibi indulserunt, ut ordine verborum mutando numeros pro suo captu refingerent. Quod si scriptoribus, quos hunc in modum interpolatos accepimus, adhibenda est opera critica, quis adeo ineptus sit, ut non ante omnia genuinum verborum ordinem restituere studeat? Nam si tollere peccata officium est critici, ea praecipue removenda esse patet, in quibus maxime est peccatum. Itaque in istiusmodi locis scriptisve omnino transpositio facillimum est et certissimum remedium.

Tertia mutati verborum ordinis caussa negligentia est librariorum. In quo genere magna est critico cautio adhibenda. Nam quid est quod, quum codicum discrepantiam consideramus, in aliis scriptoribus perraro, in aliis ubique; in aliis uno tantum alterove modo, in aliis multo liberius ordinem verborum turbatum animadvertimus? Non est id profecto casu quodam accidisse putandum, quo aliis scriptoribus diligentes, aliis negligentes librarii contigerint: nam si qui liber a socordi est aut festinante librario scriptus, facile is eo cognoscitur, quod etiam aliis peccatis, quam quae sunt in ordine verborum, plenus est. Nimirum quum de negligentia librariorum loquimur, non eam singularem quamdam atque enormem intelligimus, sed communem illam, cui quivis, praesertim si celerius scribit, obnoxius est. Etenim in ipsis quae describuntur scriptis aliquid inest, quod vel observari magis ordinem verborum cogat, vel negligi permittat. Idque nemo non in se ipso, quum quid describit, experitur. Quo magis

mirum est, criticos, qui sic temere transpositionem verborum commendant, ne id quidem, quod ab se ipsis discere potuerant, reputare. Nam in poetarum carminibus, quae notis sunt atque usitatis metris scripta, non facile quis ab iusta verborum collocatione aberrabit: obversatur enim
7 animo dum scribimus numerus, suum cuique verbo locum praefiniens, ita ut ordinis observatio, quia primarium quid est, etiam necessaria sit. Id secus est in soluta oratione, quae quoniam non habet eiusmodi legibus adstrictam collocationem verborum, verba quidem ipsa, quae in exemplo legimus, sensumque eorum mente tenemus, sed dum chartae mandamus, ordinem eorum facillime confundimus, ad illud unice intenti, ut quem verbis illis expressum sensum animo concepimus, scripto exhibeamus. Ita fit, ut verborum traiectiones in prosae orationis scriptoribus creberrimae, in poetis contra rarissimae sint, nisi iis in carminibus, quae propter metrorum ignorantiam ut soluta oratio sunt ab librariis descripta. Multo autem maxima in ordine verborum fluctuatio, ut consentaneum est, in iis invenitur scriptis, quae ab iis conscripta sunt, qui quod nihil nisi rerum notitiam litteris consignare vellent, de verbis plane non fuerunt solliciti *). Id fere in scholiis, quibus veteres scriptores instructi sunt, factum videmus. Sed hoc totum genus transpositionis, quod in hac quam diximus negligentia positum est, certos quosdam fines habet, quorum ratio ex eo, qui fons est huius negligentiae, petenda est. Nam illa quum in eo cernatur, quod qui scribit ad sensum potius quam ad ordinem verborum attentus est: consequitur, vix aliter ab eo ordinem verborum perturbari, quam ut vel permisceat quae non multum intersit sic an aliter positis verbis dicantur, vel pro exquisitiore aut insolentiore positura verborum notiorem

*) Vix puto illustrius huius generis exemplum inveniri, quam iambos medicorum apud Galenum, in quibus emendandis transpositio debet primarium esse, quia librarii de versibus parum solliciti id tantum egerunt, ut elementa ac temperamenta perscriberent medicamentorum.

atque usitatiorem sibi excidere patiatur. Itaque criticus, quum genuinam collocationem restituere studet, eadem via, qua peccatum est, corrigere peccata debet. Qui si transponit quae non istis quos dixi modis de loco suo mota esse veri simile sit, temere atque inconsiderate agit, quaeque aliter lenis atque utilis medela foret, ea facit ut violenta sit et noxia.

Venio nunc ad quartum genus mutati verborum ordinis, quod est in errore positum. Differt ille autem ab negligentia. Nam etsi evitari error diligentia potest, tamen errare non est negligentem esse, sed cadit etiam in diligentissimum. Nam negligentia permanens est iustae ad8 opus attentionis omissio, error autem fortuita interpellatio diligentiae, quum librarius, quantumvis sedulo rem suam agens, parumper alio mentem avertit. Hoc vero est illud genus, in quo graviter vituperandam arbitror incogitantiam illorum, qui transpositionem optimam emendandi rationem esse dictitant. Qui mihi sic videntur existimare, errorem, quia discessione ab lege contineatur, expertem esse legis, nec quidquam esse, quod non possit per errorem fieri. At vero ut aliquando oscitanti alicui aut somnianti accidat, ut in scribendo aliquid incredibile admittat, tamen plerumque ac tantum non semper, quemadmodum in litterarum vocabulorumque permutationibus, sic etiam in ordine verborum certi quidam modi sunt errandi, ut his modis erratum esse veri simile sit, aliis autem in modis ne umbra quidem veri similitudinis reperiatur. Atque hoc quoque quum suo quisque exemplo discere possit, tum e scripturae diversitate, quam ex codicibus collectam habemus, cognoscitur. Nam qui aliquid de exemplo describunt, quum id sic faciunt ut iis non possit levitas aut negligentia exprobrari, his tamen quod ad ordinem verborum attinet erroribus obnoxii sunt, ut nunc aliquid omittant, nunc bis scribant, nunc similia vel opposita permutent, nunc vicina invertant. Atque omissa quidem quum postea in margine adiiciuntur, facile accidit ut, quum iterum describuntur, inserantur alieno loco: quod genus

attigimus supra, ubi de librorum vitiis dicebamus. Pertinet huc etiam illud, quum librarius, properans, id quod omiserat addit sequentibus: ut factum est in verbis Dionysii Halicarnassensis, quae egregie restituit Schaeferus in Indice ad novissimam editionem Hecubae Porsonianae p. 131. quo loco transpositionis defensionem suscepit. Alio modo ea quae bis scripta sunt conturbare ordinem verborum possunt, si, qui librum describit, perperam de positura verborum iudicans, omittit servanda, servat omittenda. Sed haec rariora sunt; illa frequentissima, ut commuten-
9tur similia. Eiusmodi est, quod Schaeferus eodem loco ex Stobaei Serm. XCIX. 26. affert, ubi quum fuisset qui quod vulgo legebatur,

τοῖς γὰρ λυπουμένοις τι καὶ μεριμνῶσιν
ἅπασα νὺξ ἔοικε φαίνεσθαι μακρά,

corrigendo verbo *μεριμνῶσιν* emendare conaretur, non aliquanto lenior, ut ait Schaeferus, sed propter metrum necessaria erat transpositio verborum *λυπουμένοις* et *μεριμνῶσιν*. Eadem ratio est oppositorum: nam haec quoque inter se aliqua ex parte similia sunt: unde commutantur: ut in Oedipo Rege v. 376. *οὐ γάρ με μοῖρα πρός γε σοῦ πεσεῖν* legebatur pro *οὐ γάρ σε μοῖρα πρός γ' ἐμοῦ πεσεῖν*. Longe creberrima autem est inversio vicinorum. Quod si quis transpositiones e codicibus enotatas considerare volet, praesertim in poetis noto genere metri usis, in quibus fere errore magis quam negligentia peccatum est, propemodum omnes traiectiones in commutata sede verborum proxime coniunctorum factas esse inveniet. Ex quo colligitur, hanc vicinorum verborum transpositionem a critico, ubi opus sit, recte adhiberi; temere autem et parum probabiliter vocabula longe ab eo in quo scripta sunt loco removeri. Vt quum apud Aeschylum hi versus scripti sint,

στρατός, περᾷ κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον·
ἦ κάρτ' ἄρ' ἂν παρεσκόπεις χρησμῶν ἐμῶν·
καὶ τἄλλα πόλλ' ἐπεικάσαι δίκαιον ἦν·

quis sibi persuadeat, nisi qui totus Porsoni auctoritate constrictus teneatur, sic eos corrigendos esse, ut ille iussit in praefatione ad Hecubam p. 28.

κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον στρατὸς περᾷ·
ἦ κάρτα χρησμῶν ἆρ' ἐμῶν παρεσκόπεις·
καὶ πολλά γ' ἦν δίκαιον ἄλλ' ἐπεικάσαι.

Nam hoc non est emendare, sed ipsum versus facere. Illustre exemplum perversitatis, in quam Porsoni auctoritas quosdam ex eius admiratoribus coniecit, in eiusdem poetae Agamemnone exstat v. 520.

ἅλις παρὰ Σκάμανδρον ἦλθες ἀνάρσιος·

quem aperto vitio affectum Butlerus aut sic scribendum dicit,

παρὰ Σκάμανδρον ἦλθες ἅλις ἀνάρσιος,

aut hoc modo,

ἦλθες παρὰ Σκάμανδρον ἅλις ἀνάρσιος.

Et hoc posterius quidem etiam alii cuidam in mentem venit, cuius operae pretium est nimis ingenuam confessionem ipsis eius verbis cognoscere. Sic igitur ille in Diario classico fasc. XVI. p. 347. *To restore it to its pristine purity, we have only to transpose* ἅλις *and* ἦλθες. *The verse indeed would run more smoothly, if we were to read* "Αλις παρὰ Σκάμανδρον ἦς ἀνάρσιος, *but, as Porson has declared that transposition is the most safe and certain mode of emendation, I must adhere to my first correction.* Scilicet boni viri non viderunt, nec veri simile esse verba tantopere esse ab librariis traiecta, nec potuisse Aeschylum ut ipsi coniecerunt scribere, quia, si ita scripsisset, inepte ad sententiam verba essent collocata. Sed quid hos commemoro, quum ille ipse, qui iis dux in hoc genere fuit, licet caetera eximius vir, ad eumdem scopulum impegerit? Ne alia promam, in Supplicibus Aeschyli quum legatur v. 799.

πόθεν δέ μοι γένοιτ' ἂν αἰθέρος θρόνος,
πρὸς ὃν νέφη δ' ὑδρηλὰ γίγνεται χιών,

defendit ille quidem in fine praefationis ad Hecubam particulam *δέ*, sed, sentiens opinor id se nemini persuasurum esse, addit, si sit delenda, ita debere versum illum corrigi:

πρὸς ὃν χιὼν ὑδρηλὰ γίγνεται νέφη.

Quam correctionem probat Schaeferus, ingeniose coniiciens *δ'* ad *νέφη* adiectum nihil esse nisi numerum quarti verbi. Attamen vel propterea parum veri simile est ita scripsisse Aeschylum, quod sic posita verba oppositionem adsignificant non bene huic loco convenientem. Nam simplicem rei imaginem dari altitudinis caussa hic decebat,
11 non narrari, ningere tali in loco potius quam pluere. Praeterea si transpositione corrigendus est hic locus, cur sic potius verba sunt collocanda, quam hoc modo, qui simplicior est et venustior:

πρὸς ὅνθ' ὑδρηλὰ γίγνεται νέφη χιών?

Quid ergo? Num veri similius est, verbis hoc illove modo transponendis novum versum esse procudendum, quam vocabulum *ὑδρηλὰ* alius esse exquisitioris verbi interpretationem, aut, si hoc non arrideat, scribi debere,

πρὸς συννεφῆ θ' ὑδρήλ', ἃ γίγνεται χιών,

siquidem, ut Aristoteles ait Rhet. II. 19. *εἰ συννεφεῖ, εἰκὸς ὗσαι.* Quid autem si vel unius litterae mutatione res confici potest? Id quidem mea sententia in carmine, quod ex uno tantum eoque pessime habito codice editum est, omnium maxime debet probabile videri. Certe omnia optime procedunt, si ille locus ita scribitur;

πόθεν δέ μοι γένοιτ' ἂν αἰθέρος θρόνος,
πρὸς ὃν νέφη θ' ὑδρήλ', ἃ γίγνεται χιών,
ἢ λισσὰς αἰγίλιψ ἀπρός-
δεικτος οἰόφρων κρεμὰς
γυπιὰς πέτρα, βαθὺ
πτῶμα μαρτυροῦσά μοι,
πρὶν δαϊκτῆρος βίᾳ
καρδίας γάμου κυρῆσαι.

Quem enim Danai filiae dicunt *αἰθέρος θρόνον*, eo quin etiam excelsam rupem comprehendere videantur, vix dubitare sinit admirabilis illa ac prorsus divina huius saxi descriptio: quod quum praeruptum, capris inaccessum, incommonstrabile, solitudine vastum, propendens, vulturibus habitatum appellant, ipsis his verbis, quae vel in cogitando animum vertigine implent, declarare videntur, qualem intelligant, quam sibi expetunt sedem aetheriam. Itaque hoc videntur optare, ut sibi aetheria sedes vel inter aquosas nubes, quae propter altitudinem in nives vertantur vel in excelsa rupe, unde se possint praecipites dare, concedatur. Illud enim vel tironibus notum est, non raro particulas *τὲ* et *ἤ* sibi respondere. Quod 12
hic cur factum sit, caussa aperta est. Nam duo chorus de illa aetheria sede praedicaturus, et altam esse, et aptam ad praecipitem saltum, ita ut par est incipit, *πρὸς ὃν νέφη θ' ὑδρηλά·* sed alteram partem additurus, quae esse debebat, *et ubi praecipitia sunt*, quoniam pro his certum quid, saxum in rupibus prominens, nominare in mentem venit, mutare debuit constructionem, atque *ἤ* pro altero *τὲ* inferre, *vel ubi praeruptum saxum est.*

Dixi supra, saepe in scribendo accidere, ut verba proxime coniuncta sedem suam commutent. Ex quo intelligitur, talium verborum transpositionem multo plus habere probabilitatis, quam eorum quae longius ab se invicem remota sunt. Itaque haec merito ut facilis laudatur. Vt quum in Oreste v. 505. libri praeberent, *αὐτὸς κακίων ἐγένετο μητέρα κτανών*, quis dubitabit quin recte Porsonus dederit,

αὐτὸς κακίων μητέρ' ἐγένετο κτανών?

Quamquam in hoc quoque genere cautione opus est, ne quis facilitate transpositionis deceptus, ut unum vitium tollat, inferat aliud. Vt quum in Persis v. 313. scriptum sit,

οἵδε ναὸς ἐκ μιᾶς πέσον,

facilis quidem est quam Porsonus adhibuit medela,

οἵδε ναὸς ἔπεσον ἐκ μιᾶς·

sed quam parum tamen credibile sit ita scripsisse Aeschylum, indicavi in praefatione ad Bacchas. Itaque quid prodest facillimam esse eiusmodi correctionem, si ei illud deest, ut, quod de transpositione praedicat Porsonus, etiam sit tutissima? Immo ob facilitatem saepe fallax est, tantoque magis, quanto est speciosior. Nescio an eo referenda sint verba Xenophontis in Agesilao II. 12. et Historia Graeca IV. 3, 19. quae Longinus c. 19. affert: καὶ συμβαλόντες τὰς ἀσπίδας ἐωθοῦντο, ἐμάχοντο, ἀπέκτεινον, ἀπέθνησκον. Quae Schaeferus illo quem supra dixi loco, quum contra emendationem, quam olim proposuerat, bene essent ab L. Dindorfio defensa, iam sic scribenda iudicavit: καὶ συμβαλόντες τὰς ἀσπί-
13 δας ἐμάχοντο, ἐώθουν, ἐωθοῦντο, ἀπέκτεινον, ἀπέθνησκον· quo congruerent cum his in Cyropaedia VII. 1, 38. εὐθὺς γὰρ ἀνεβόησάν τε πάντες καὶ προσπεσόντες ἐμάχοντο· ἐώθουν, ἐωθοῦντο· ἔπαιον, ἐπαίοντο. Non nego potuisse Xenophontem ita scribere, ut placet Schaefero: sed scripsisse tamen ita, vehementer dubito. Et primo quidem propter ipsam locorum illorum diversitatem. Nam in Cyropaedia narratur, quid in medio proelio circa vulneratum Cyrum factum sit: qua in re duo semper opposita scriptor coniunxit, quo magis quanto animorum ardore pugnatum esset ostenderet: in Agesilao autem et Historia Graeca initium pugnae describitur, quum Agesilaus interceptos Thebanos, ne ad suos perrumperent, impedire conaretur. In cuius rei expositione ut pariter potuerint iungi contraria, praemisso quidem verbo generali ἐμάχοντο, si cum Schaefero ἐώθουν inseras, tamen fatendum est, in librorum scriptura ἐωθοῦντο solum, primoque loco positum, aptissimum esse, quia neutro exercitui tam pugnare, quam alteri ut perrumperet, alteri ut perrumpentibus resisteret curae erat: in quo primum erat ut se invicem urgerent, secundum ut in urgendo manus consererent: unde et caedes et strages. Deinde quod praecedit, συμβαλόντες τὰς ἀσπίδας, vel maxime postulat statim adiungi ἐωθοῦντο. Id ipse docet

Xenophon Hist. Gr. VII. 1, 33. *αἵ τε ἀσπίδες πολὺ μᾶλλον τῶν θωράκων καὶ τῶν γέρρων καὶ στεγάζουσι τὰ σώματα, καὶ πρὸς τὸ ὠθεῖσθαι συνεργάζονται, πρὸς τοῖς ὤμοις οὖσαι.* Neque illud praetereundum videtur, quum in Agesilao haec subiiciantur: *καὶ κραυγὴ μὲν οὐδεμία παρῆν, οὐ μὴν οὐδὲ σιγή· φωνὴ δέ τις ἦν τοιαύτη, οἵαν ὀργή τε καὶ μάχη παράσχοιτ' ἄν·* multo aptiorem esse tam acris atque atrocis dimicationis descriptionem, si non incipiat verbo *ἐμάχοντο*, quod isto loco positum languidius est. Denique vero, cui argumento plurimum tribuere videtur Schaeferus, quod Longinus, ut copulae omissae virtutem declararet, non fuisset locum ex minus lectitato libro, eumque inepte scriptum, aptissime scripto in Cyropaedia praelaturus, ei argumento mea sententia tantum abest ut vis ulla insit, ut Cyropaediae locum consulto non esse ab Longino allatum, in 14 Agesilao autem vel Historia Graeca scripturam ei eam, quae in libris est, ante oculos fuisse, demonstrari posse existimem. Nam quum de virtute narrationis non connexae dissereret, quid aliud quam iis eum exemplis uti conveniebat, in quibus haec virtus non aliis virtutibus obscuraretur, sed sola esset conspicua? Atqui ille in Cyropaedia locus non solum copulae omissione, sed magis etiam oppositione contrariorum splendet. Nec videtur in orationem oppositionibus concisam expetere, quod praedicat Longinus: *ἅπλοκα ἐκπίπτει, καὶ οἱονεὶ προχεῖται τὰ λεγόμενα, ὀλίγου δεῖν φθάνοντα καὶ αὐτὸν τὸν λέγοντα.* Ea vero verba ne in Agesilai quidem locum quadrarent, si hic quoque oppositionibus in membra quaedam concideretur. Quadrant autem optime, si abest, ut in vulgata lectione, oppositio, atque omnia ordine, uti deinceps acta sunt, sed sine copulis profunduntur. Non ergo ne proxime quidem coniunctorum transpositio adeo tuta videtur, ut praedicant.

Quid vero dicemus, si non tantum ordo verborum, sed verba etiam ipsa mutantur: ut quum Porsonus in Andromacha v. 1114. pro *τυγχάνει δ' ἐν ἐμπύροις* legi vo-

luit ἔτυχε δ' ὢν ἐν ἐμπύροις, aut quum idem, ut quidem Kiddius refert, in Bacchis v. 1082. pro σίγησε δ' αἰθήρ scribi iussit αἰθὴρ δ' ἐσίγα, v. 766. autem pro νίψαντο δ' αἷμα, σταγόνα δ' ἐκ παρηΐδων reponendum censuit αἵματος ἔνιψαν σταγόνα, καὶ παρηΐδων? Nam ne pertinacissimum quidem transpositionis defensorem adeo obstinatum esse puto, ut si ista sic, ut Porsonus voluit, olim in libris scripta exstitissent, errore librariorum illam quae in nostris codicibus est, scripturam inde enasci potuisse contendat.

Sed haec hactenus. Nam si singula explicatius persequi vellem, magnus de transpositione liber posset conscribi. Mihi quidem hoc tantum propositum erat, ut paucis ostenderem, quemadmodum caussae et modi transpositionis multum inter se differrent, ita etiam usum debere diversum esse. Ex quo apertum est, inconsiderate statuere, qui illam emendandi viam facillimam esse ac tutis-
15 simam credunt. Non magis enim aut facilis aut tuta est, quam quodvis aliud genus emendandi. Nam ut in medicorum arte illud tantum, quod cuique morbo accommodatum est remedium, optimum habetur atque tutissimum, ita in arte critica qui transpositione pro panacea utetur, quid aliud quam medico similis erit, qui cuivis aegroto artus luxatos esse suspicans, dum reponere laboret, evellat potius ac distendat, morboque veteri superaddat novum?

Haec scripseram, quum mihi significatum est ab amico quodam, Schaeferum etiam in adnotationibus ad Demosthenem impugnasse meam de transpositione sententiam. Itaque pervolvens librum, p. 259. haec scripta inveni: *quae Hermannus de finibus critices palaeographicae regendis in praefat. ad Draconem disputavit, non veriora esse puto, quam quae nuper scripsit de terminatione transpositionis vocabulorum, rei tam late diffusae, ut omnes terminos evagetur.* Sed quum statim addat: *quanquam hic quoque, ut ubivis, valet illud vafri Siculi: Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν·* non videtur mihi

aliud, quam quod ego ipse, dixisse. Concedit enim modum tenendum esse: ego autem, qui esset ille modus, explicare studui: mirum enim foret, si, quae non ubique neque omni modo adhibenda esse consentimus, ea ubi potissimum et quibus modis adhibenda essent, dici non posset. Itaque pene suspicor, scripsisse illa Schaeferum magis quod nollet quae a me dicta essent probare, quam quod re vera a me dissentiret. Nam quum eximiam voluptatem perceperim ex illis eius ad Demosthenem adnotationibus, quibus mihi omnia quae umquam scripsit multum superasse videtur, tamen illud ingratum accidit, quod, sicubi mei mentionem fecit, invidiosius loquentem inveni. Cuius simultatis nescirem quae caussa esset, nisi et ab aliis accepissem, et tandem etiam ipse in libro illo p. **561.** aperuisset. Non putaveram profecto, me umquam malignitatis insimulatum iri, et tantae quidem, ut p. **809.** ne aliquod innoxium *immo* quidem sine superbiae suspicione proferre potuisse crederer. A quo autem? Ab eo, quem et propter doctrinam et propter animi integritatem semper 16
maximi feci. Et cur? Ob unum verbum in praefatione ad Vigerum, quo non laedere volui, sed narrare quantum laboris exantlassem. Fero ego haec patienter, ut in viro, qui si sciret quam in me iniquus esset, ipse, sat scio, magis quam ego esset doliturus. Et profecto tacuissem de ea re, nisi ille publice esset hominum de illo dicto iudicia antestatus. Iudicent ergo: quod facile erit novi Thesauri Stephaniani vel uno alterove in loco expertis, quod ego per totum Vigeri librum sustinui *).

Sed veniendum est ad eam rem, quae mihi hoc scribendi officium imposuit. Nam quum appropinquet illud tempus, quo Doctores philosophiae bonarumque

---

*) I. H. Bremius in Iahnii Annalibus philologicis et paedagogicis I. 2. p. 261. hoc, quod de adnotatis illis ad Stephani Thesaurum dixi, non scriptum esse optabat: in quo agnosco viri eximii humanitatem. Ego scripsi illud, ut scirent lectores, eiusdem generis illas ad librum Vigerianum adnotationes fuisse.

artium Magistros solemni ritu creari mos est, Vobis, Candidati humanissimi, qui illum honorem ambitis, indicendus est dies petitionis. Est is autem dies XV. mensis Ianuarii. Itaque rogo Vos, ut me ante eum diem nominis dandi caussa conveniatis. Scitis, illos honores ut praemia diligentiae iis esse propositos, qui Ordini nostro in colloquiis, quibus explorabuntur, ita satis fecerint, ut eos quum in doctrinis, quibus liberalis eruditio continetur, bene versatos, tum omnino tales esse cognoverit, quales decet esse, qui illa dignitate ornari mereantur. Quare quo plures ad nos convenerint, qui sibi operae cum fructu litteris impensae conscii sint, eo magis non modo gaudebimus, sed etiam, si qua ratione poterimus, faciemus ut iis nos bene velle intelligant.

P. P. Dom. I. Adv. Chr. clɔIɔccccxxiv.

DE AESCHYLI PHILOCTETA DISSERTATIO *).

Philoctetae ex Lemno insula ad Troiam reductionem primus Aeschylus in scenam videtur produxisse. Eum sequuti sunt Euripides ac Sophocles. Quorum poetarum quae in illo argumento versatae sunt fabulas Dio Chrysostomus oratione LII. inter ipsas comparavit, leviter quidem neque eo modo quo hodie talia disceptari solent, sed tamen ut, quum solus Sophoclis Philoctetes supersit, acceptissima nobis esse illa disputatio debeat. Idem Dio oratione LIX. paraphrasin exhibuit prologi, qui in Euripidis Philocteta fuit. Is igitur de Aeschylo haec scribit, quae emendatiora posui. Emendare volens, magis corruperat Hasselbachius in libello, quem Germanice de Philocteta Sophoclis scripsit, p. 169. seqq. *Ἦ τε γὰρ τοῦ Αἰσχύλου μεγαλοφροσύνη καὶ τὸ ἀρχαῖον, ἔτι δὲ καὶ τὸ αὔθαδες τῆς διανοίας καὶ φράσεως πρέποντα ἐφαίνετο τραγῳδίᾳ καὶ τοῖς παλαιοῖς ἤθεσι τῶν ἡρώων, οὐδὲν ἔχοντα ἐπιβεβουλευμένον οὐδὲ στωμύλον οὐδὲ ταπεινόν· ἐπεί τοι καὶ τὸν Ὀδυσσέα εἰσῆγε δριμὺν καὶ δόλιον, ὡς ἐν τοῖς τότε, πολὺ δὲ ἀπέχοντα τῆς νῦν κακοηθείας, ὥστε τῷ ὄντι ἀρχαῖον ἂν δόξαι παρὰ τοὺς νῦν ἁπλοῦς εἶναι βουλομένους καὶ μεγαλόφρονας, καὶ*

*) Edita est a. 1825.

οὐδέν γε ἀλλαττούσης τῆς Ἀθηνᾶς προεδεήθη πρὸς τὸ μὴ γνωσθῆναι ὅστις ἐστὶν ὑπὸ τοῦ Φιλοκτήτου, καθάπερ Ὅμηρος κἀκείνῳ δὲ ἑπόμενος Εὐριπίδης ἐποίησεν· ὥστε τυχὸν ἄν τις ἐγκαλέσαι τῶν οὐ φιλούντων τὸν ἄνδρα, ὅτι οὐδὲν αὐτῷ ἐμέλησεν ὅπως πιθανὸς ἔσται ὁ Ὀδυσσεὺς οὐ συγγινωσκόμενος ὑπὸ τοῦ Φιλοκτήτου· ἔχοι δ' ἂν ἀπολογίαν, ὡς ἡγοῦμαι, πρὸς τὸν τοιοῦτον· ὁ μὲν γὰρ χρόνος τυχὸν οὐκ ἦν τοιοῦτος ὥστε μὴ ἂν ἐνεγκεῖν τὸν χαρακτῆρα δέκα ἐτῶν διαγεγονότων· ἡ δὲ νό-
4 σος ἡ τοῦ Φιλοκτήτου καὶ κάκωσις καὶ τὸ ἐν ἐρημίᾳ βεβιωκέναι τὸν μεταξὺ χρόνον οὐκ ἀδύνατον τοῦτο ἐποίει. πολλοὶ γὰρ ἤδη, οἳ μὲν ὑπὸ ἀσθενείας, οἳ δὲ ὑπὸ δυστυχίας, ἔπαθον αὐτό. καὶ μὴν ὁ χορὸς αὐτῷ παραιτήσεως, ὥσπερ ὁ τοῦ Εὐριπίδου, οὐδὲν ἐδεήθη. ἄμφω γὰρ ἐκ τῶν Λημνίων ἐποίησαν τὸν χορόν· ἀλλ' ὁ μὲν Εὐριπίδης εὐθὺς ἀπολογουμένους πεποίηκε περὶ τῆς πρότερον ἀμελείας, ὅτι δὴ τοσούτων ἐτῶν οὔτε προσέλθοι πρὸς τὸν Φιλοκτήτην οὔτε βοηθήσειεν οὐδὲν αὐτῷ· ὁ δ' Αἰσχύλος ἁπλῶς εἰσήγαγε τὸν χορὸν αὐτῶν πάνυ τραγικώτερον καὶ ἁπλούστερον· τὸ δὲ ἕτερον πολιτικώτερον καὶ ἀκριβέστερον. καὶ γὰρ εἰ μὲν ἐδύναντο πάσας διαφεύγειν τὰς ἀλογίας ἐν ταῖς τραγῳδίαις, ἴσως ἂν εἶχε λόγον μηδὲ τοῦτο παραπέμψαι· νῦν δὲ πολλάκις ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ παραγινομένους ποιοῦσι τοὺς κήρυκας πλειόνων ἡμερῶν ὁδόν. ἔπειτα οὐδὲ ἐξ ἅπαντος ἦν μηδὲ προσελθεῖν αὐτῷ μηδένα Λημνίων, μηδὲ ἐπιμεληθῆναι μηδέν. δοκεῖ γάρ μοι, οὐδ' ἂν διεγένετο τὰ δέκα ἔτη, μηδεμιᾶς τυγχάνων βοηθείας· ἀλλ' εἰκὸς μέν, τυγχάνειν αὐτόν, σπανίως δέ, καὶ οὐδενὸς μεγάλου, καὶ μηδένα αἱρεῖσθαι οἰκίᾳ ὑποδέξασθαι καὶ νοσηλεύειν, διὰ τὴν δυσχέρειαν τῆς νόσου. αὐτὸς γοῦν ὁ Εὐριπίδης τὸν Ἕκτορα εἰσάγει, ἕνα Λημνίων, ὡς γνώριμον τῷ Φιλοκτήτῃ προσιόντα καὶ πολλάκις συμβεβληκότα. οὐ τοίνυν οὐδὲ ἐκεῖνο δοκεῖ μοι δικαίως ἄν τις αἰτιάσασθαι, τὸ διηγεῖσθαι πρὸς τὸν χορὸν ὡς ἀγνοοῦντα τὰ περὶ τὴν ἀπόλειψιν τὴν τῶν Ἀχαιῶν καὶ τὰ καθόλου συμβαίνοντα αὐτῷ. οἱ γὰρ δυστυχοῦντες ἄνθρωποι πολλάκις εἰώθασι μεμνῆσθαι τῶν συμφορῶν, καὶ τοῖς

*εἰδόσιν ἀκριβῶς καὶ μηδὲν δεομένοις ἀκούειν ἐνοχλοῦσιν ἀεὶ διηγούμενοι. καὶ μὴν ἡ ἀπάτη ἡ τοῦ Ὀδυσσέως πρὸς τὸν Φιλοκτήτην καὶ οἱ λόγοι δι' ὧν προσηγάγετο αὐτόν, οὐ μόνον εὐσχημονέστεροι, ἥρωϊ πρέποντες, ἀλλ' οὐκ Εὐρυβάτῃ ἢ Παταικίωνι, ἀλλ', ὡς ἐμοὶ δοκοῦσι, καὶ πιθανώτεροι. τί γὰρ δεῖ ποικίλης τέχνης καὶ ἐπιβουλῆς πρὸς ἄνδρα νοσοῦντα, καὶ ταῦτα τοξότην, ᾧ εἴ τις μόνον ἐγγὺς παρέστη, ἀχρεῖος ἡ ἀλκὴ αὐτοῦ ἐγεγόνει; καὶ τὸ ἀπαγγέλλειν δὲ τὰς τῶν Ἀχαιῶν συμφοράς, καὶ τὸν Ἀγαμέμνονα τεθνηκότα καὶ τὸν Ὀδυσσέα ἐπ' αἰτίᾳ ὡς οἷόν τε αἰσχίστῃ, καὶ καθόλου τὸ σράτευμα διεφθαρμένον, οὐ μόνον χρήσιμον ὥστε εὐφρᾶναι τὸν Φιλοκτήτην, καὶ προσδέξα-*5 *σθαι μᾶλλον τὴν τοῦ Ὀδυσσέως ὁμιλίαν, ἀλλ' οὐδ' ἀπίθανον τρόπον τινά, διὰ τὸ μῆκος τῆς στρατείας καὶ διὰ τὰ συμβεβηκότα οὐ πάλαι κατὰ τὴν ὀργὴν τὴν τοῦ Ἀχιλλέως, ὅθ' Ἕκτωρ παρὰ σμικρὸν ἦλθεν ἐμπρῆσαι τὸν ναύσταθμον.* Haec ille de Aeschylo: quibus addendum, quod paullo post de Euripide dicit: *οὐ μόνον δὲ πεποίηκε τὸν Ὀδυσσέα παραγενόμενον, ἀλλὰ μετὰ τοῦ Διομήδους, Ὁμηρικῶς καὶ τοῦτο.*

Ex his quae colligi possunt, haec sunt. Primo apud Aeschylum solus ad abducendum Philoctetam Vlysses erat missus. In quo discessit Aeschylus ab Lesche, qui Diomedi id negotii datum narraverat. Euripidem sequutus est Quintus Smyrnaeus. Sophocles autem Vlyssi Neoptolemum adiunxit. Deinde apud Aeschylum Vlysses, nullo Minervae adiutus artificio, non agnoscitur a Philocteta. Hunc dolo quidem, sed eo valde simplici capit, referens afflictas res Graecorum, mortem Agamemnonis, suum denique ipsius turpissimum quemdam exitum. Chorus fuit ex Lemniis compositus, quibus Philoctetes aerumnas suas enarrabat. Vixerat autem ille Lemni novem annos, omnis hominum consuetudinis expers. Euripides quomodo haec melius instituere conatus sit, ex Dione potest cognosci. Editus est autem eius Philoctetes Olymp. LXXXVIII. 1. Sophocleus vero, cui et Aeschyli et Euripidis fabula su-

peranda erat, Ol. XCII. 3. Sed in iis quae de Aeschylo retulit Dio, omnium aegerrime illud desideramus, quod reliquarum quae in illa fabula fuerunt personarum nullam fecit mentionem. Non est enim credibile, solos Vlyssem, Philoctetam, et chorum eam fabulam egisse, praesertim quum Aeschylus in singulis actibus novam introducere personam consuevisset. Neque ex Attii fabula multum lucis accedit, quam neque ex Euripidea, ut Scaliger in Coniectaneis p. 101. putabat, neque ex Sophoclea, sed ex Aeschylea translatam videri, in praefatione ad Sophoclis dixi Philoctetam. Sed est tamen aliquid, quod vel ex re ipsa, vel ex Attio coniici possit. Nam neque Vlyssem veri simile est solum venisse abducendi
6 Philoctetae caussa, sed aliqui ei haud dubie additi erant, quorum adiumento uteretur, in iisque opinor praeco eius Eurybates. Attii autem fragmentum illud, quod ex ipso est fabulae initio servatum, suadet ut aliquem deorum, et quem potius quam Minervam? anapaestis prologum egisse suspicemur, quo Vlyssem et de loci natura certiorem redderet, et ad id quod agendum esset adhortaretur. Sic enim Appuleius in libro de deo Socratis sub finem: *sed ut, qui te volet nobilitare, aeque laudet, ut Attius Vlyssem laudavit in Philocteta suo in eius tragoediae principio:*

> *Inclute, parva prodite patria,*
> *nomine celebri, claroque potens*
> *pectore, Achivis classibus auctor,*
> *gravis Dardaniis gentibus ultor,*
> *Laertiade.*

Novissime patrem memorat. Afferunt eosdem versus etiam Marius Victorinus p. 2522. et Io. Salisburiensis Polycrat. VI. 28. Marius quidem omisso ultimo verbo. Cum eo verbo statim coniuncta fuisse puto, quae Varro de L. L. VI. p. 67. affert. Qui ubi scripsit, loca quaedam agrestia, quod alicuius dei sint, dici tesca, sic pergit: ponam autem verba, ut in optimo et vetustissimo codice Florentino scripta legi mihi significavit Leon. Spengelius, Monacensis: „*Nam apud Accium ut philocteo aetatem*

Lemnio quis tu es mortalis qui in deserta et tesca appōes? loca enim loca quae sint designat cum dicit Lemnia prestolitor ararat" et celsa cabyrum delubra tenes misteriaque pristina castris concepta sacris Deinde Volgania templa sub ipsis collibus in quos delatus locos dicitur. alto ab lumine caeli et nemus expirante vapore vides unde ignes clavet mortalibus divis. quare haec quo tesca dixit non erravit neque ideo quod sancta sed quod ubi mysteria fiunt aut tuentur tuesca dicat. Alter codex, mirum ille in modum manum emendatricem expertus, ex quo ducta est vulgata scriptura, ita discrepat: *Nam apud Actium in Philoctete Lemnia — te apponis loca? loca enim quae sint — praestolitora rara et celsa Cabirum delubra tenes misteriaque pristina castis concepta sacris. Deinde Vulcania — ab limine coeli et Naevius expirante vapore unde vides ignis clavet mortalibus divus. quare hic qui tesca —.* Primus Aldus dedit *praestolare et celsa*, ac deinde *cluet*. Praetereo coniecturas virorum doctorum ad Festum v. *tesca*, et quae in sua editione Varronis mutavit Scioppius. Iam G. Faernus viderat, cohaerere verba illa poetae cum iis, quae apud Ciceronem Q. Tusc. II. 10. sic scripta exstant: *veniat Aeschylus, non pocta solum, sed etiam Pythagoreus: quomodo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit ob furtum Lemnium* *), *unde ignis lucet mortalibus clam divisus. eum doctus Prometheus clepsisse dolo poenasque Iovi fato expendisse supremo.* Emendare hos versus quum alii conati sunt, tum summi viri, Ios. Scaliger in Coniect. p 103. seq. et 187. et R. Bentleius in epistola ad Millium p. 475. sed neutri res ex omni parte cessit. Illud eleganter Bentleius, quod *furti* pro *fato* reponi voluit: nec tamen opus, quum fatum supremum sit extremum malum. Si-

*) Quae de his verbis protulit Welckerus in Appendice Trilogiae p. 37. de iis dixi in censura eius libri in diariis litt. Lips. a. 1827. n. 14. p. 105. 106.

militer Virgilius Aen. IX. 203. *nec tecum talia gessi magnanimum Aenean et fata extrema sequutus.* Scaligeri coniecturas paucis mutatis adscivit Ianus Laurenbergius in Antiquario v. *clepere.* Sed ut ordine de singulis dicam, illa mihi primo magna offensio est, quod Vlysses non solum delubra Cabirorum, sed etiam mysteria tenere dicitur. Delubra quidem recte, quod id nihil aliud est, quam constitisse in solo Cabiris sacro: at non item mysteria, quae sunt occulta, nec tenentur nisi ab initiatis. Accedit productio voculae *que* ante *pr*, quae non bene convenit illis poetis, qui negligere potius positionem, quam insolentius observare consueverant. Non curavit hoc Scaliger, qui p. 103. quod apud Festum legatur: . . . *ca aspera saxa tesca tuor* . . . . . *cteta* . *quis tu es mortalis* . . . . . *a et tesqua te adportas loca?* initium Attii verborum ita constituit: *qui Lemni aspera tesca tuere et celsa Cabirum delubra tenes, mysteriaque pristina castis concepta sacris.* At non modo Varronis locus, sed etiam ipsa Festi verba docent, non ex Philocteta Attii de-
8prompta esse illa verba . . *ca aspera saxa tesca tuor.* Id quod vidit etiam G. I. Vossius. Mihi quidem longe alia suspicio nata est. Nam quum Cicero de Nat. Deor. I. 42. scribat: *omitto Eleusina sanctam illam, ubi initiantur gentes orarum ultimae: praetereo Samothraciam, eaque quae Lemni nocturno aditu occulta coluntur silvestribus sepibus*, sive, ut in libro parum bono est *veptribus, densa*, quo loco viri docti verba *quae Lemni* non Ciceronis, sed poetae esse putarunt: tam apti sunt hi versus atque accommodati ad illa superiora Attii, ut, si iis inserantur, omnem illam quam dixi offensionem removeant. In eaque sententia non mediocriter eo sum confirmatus, quod mihi C. Beierus, vir ingenio doctrinaque praestantissimus, sibi idem in mentem venisse significavit. Is *que* in *ubi* mutabat. Caeterum cur casta dicta sint illa sacra, Welckerus, qui multa nuper de Cabiris congessit in libro quem scripsit de Aeschyli Prometheis, vereor ne argutius explicuerit p. 256. Mox,

licet durius dictum, tamen verum videtur, quod vetus codex Varronis praebet, *et nemus exspirante vapore.* Apte comparavit Scaliger p. 104. haec Valerii Flacci II. 332. *ventum erat ad rupem, cuius pendentia nigris fumant saxa iugis, coquiturque vaporibus aer. Unde ignis eluet* veram scripturam esse, arguunt etiam Ciceronis codd. quidam, *elucet* praebentes. Pro *clepsisse*, quod apud Ciceronem legitur, *clepisse* scribi iubebat Reizius. Alteram formam defendit G. I. Vossius in Etymologico et de Anal. p. 311, verum praeter Lucilium apud Varronem de L. L. p. 80. cuius loci dubia fides est, et Manilium I. 27. ubi *clepsisset* legitur, a Bentleio in *cepisset* mutatum, Ciceronemque de Fin. V. 25. ubi Muretus ait in MSS. *clepserunt* esse pro *cleperunt*, et de Legg. II. 9. ubi olim *qui clepserit rapseritque*, nunc autem ex codd. *qui cleperit rapsitque*, non satis recte pro *qui clepsit rapsitque* repositum est, vix idoneam auctoritatem inveneris; quod contra perfecto *clepit* usus est Pacuvius in Hermiona apud Nonium. Caeterum apud Attium ne verbum desit unde isti infinitivi pendeant, pro *doctus* scribendum conieci *dictus:* quod confirmari cognovi auctoritate H. Stephani, qui in fragmentis poetarum Latinorum p. 429. Ciceronis locum afferens, nescio unde sic habet: *Eum Prometheus dictus clepsisse dolo.* Itaque illi quam supra ex Appuleio attulimus allocutioni haec, si recte coniecimus *), adhaerebant:

*) Placuit haec coniectura Süvernio in libello cui titulum fecit *über den historischen charakter des drama* p. 48. Displicuit Welckero in Appendice ad Trilogiam p. 36. seqq. 340. seqq. Nemus commemorari in loco, in quo non crescant arbores, quemque Galenus IX. 2. *περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων κράσεως καὶ δυνάμεως* (vol. XII. p. 170) diserte dicit *λόφον* esse *ὅλον κιρρὸν τῇ χρόᾳ, καθ' ὃν οὔτε δένδρον ἐστὶν οὔτε πέτρα οὔτε φυτόν*, (vide eum etiam p. 173.) non adeo mirum videbitur reputanti et poetam fuisse Attium, nec temere credi posse eum loca illa ipsum vidisse, cogitantique quemadmodum etiam Galenus se falsa opinione captum fuisse narret, quum primum Lemnum inviseret: qui quae p. 172.

Lemnia praesto
littora rava et celsa Cabirum
delubra tenes, mysteria queis
pristina castis concepta sacris
nocturno aditu occulta coluntur,
silvestribus sepibus densa.
dein Volcania templa sub ipsis
collibus, in quos delatus locos
dicitur alto ab limine caeli, et
nemus exspirante vapore vides,
unde ignis cluet mortalibus clam
divisus: eum dictus Promotheus
clepisse dolo, poenasque Iovi
fato expendisse supremo.

Consentaneum est, Vlyssem deinde iambis verba cum Minerva conseruisse, singula quae scire opus esset sciscitantem. Hinc est illud apud Nonium v. *habere* p. 318.

. . *ubi habet? urbe, agrone?*

Ex eo colloquio, nisi fallor, etiam hoc est, quod servavit Macrobius Sat. VI. 1.

quem neque tueri contra neque affari queas.

Legitur ibi *nec affari*. Et quod memorat Cicero V. de Fin. 55. *et ea perferant, quae Philoctetam videmus in fabulis: qui quum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio sagittarum, configebat tardus celeres, stans volantes, ut apud Attium est, pinnarumque contextu corpori tegumenta faciebat.* Horum postrema ipsis Attii verbis, qui tamen non est nominatus, servata sunt in fragmento quod Censorino adscribitur c. 14. p. 149. Vnde Scaliger in Coniect. p. 102. duos trimetros, re non satis pensitata, concinnavit.

---

173. refert, ostendunt et qua parte insulae expositus crederetur Philoctetes, et longe remotum eum locum esse a colle isto, sed vicinum habuisse fanum Vulcani.

Qui consuetudinem tragicorum meminerunt, alternis singulos versus inter colloquentes distribuentium, facile Minervae ad singulas Vlyssis quaestiones respondentis hosce tres trimetros, quorum tertius recte in illo Censorini fragmento scriptus est, deprehendent:

Vitam sagittarum aucupio propaginat.
Configit tardus celeres, stans volatiles.
Pro veste pinnis membra textis contegit.

Hoc genus vestimenti commemoratum esse etiam a Quinto Smyrnaeo IX. 358. iam Scaliger observavit. Ipsius Aeschyli fortasse ex h. l. verbum servavit Athenaeus IX. p. 394. A. *καὶ Φιλοκτήτῃ δὲ κατὰ γενικὴν κλίσιν φαβῶν εἴρηκεν.* Antri, in quo iaceret Philoctetes, indicium arcus ex arbore suspensus memorabatur. Eustathius ad Od. ξ. 12. p. 1748, 57. (528, 6.) *φέρεται δὲ καὶ Αἰσχύλου χρῆσις ἐν Φιλοκτήτῃ, κρεμάσας τόξον πίτυος ἐκ μελανδρύου.* In scholiis Ambrosianis ita scriptum: *ὡς καὶ Αἰσχύλος φησὶ Φιλοκτήτῃ, κρεμάσασα τόξον πίτυος ἐκ μελανδρύου.* Vix dubitari posse puto, quin poeta dederit,

κρεμαστὰ τόξα πίτυος ἐκ μελανδρύου.

Cognitis quae scire voluit, ad ipsum Philoctetam accedere parabat Vlysses. Inde est illud apud Nonium v. *caulim* p. 512.

Contra est eundum caulim et captandum mihi.

Affirmat Minerva caute eundum esse his verbis apud eundem grammaticum v. *cupienter* p. 91.

cui potestas si detur, tua
cupienter malis membra discerpat suis.

Iam vero, opinor, interiecta parodo chori, ipse Philoctetes, vacua scena, dum Vlysses se parat ad dolum, progreditur, malaque sua lamentaturus ita infit:

Σπερχειὸ ποταμέ, βούνομοί τ' ἐπιστροφαί·

quem versum posuit Aristophanes in Ranis 1430. Scholiastes: *βούνομοι, ὑπὸ βοῶν κατανεμόμεναι. ἔστι δὲ ἐκ Φιλοκτήτου Αἰσχύλου.* Nam quum Aristophanes illo loco Euripidis et Aeschyli versus lancibus imponi faciat, consentaneum videtur, quemadmodum Euripides primum versum Medeae attulerat, sic Aeschylum quoque, si non
11 totius fabulae, certe actus exordium, quod recte comparari posset, cum illo versu contendere. Sequutum est colloquium cum choro, cui Philoctetes, ut Dio refert, mala sua enarrabat. Quo id ordine fecerit, incertum est. Ac pedis quidem tabem dixit

φαγέδαιναν, ἥ μου σάρκας ἐσθίει ποδός.

Testis Aristoteles de arte poetica c. 22, 13. *τὸ αὐτὸ ποιήσαντος ἰαμβεῖον Αἰσχύλου καὶ Εὐριπίδου, ἓν δὲ μόνον ὄνομα μεταθέντος ἀντὶ κυρίου εἰωθότος γλῶτταν, τὸ μὲν φαίνεται καλόν, τὸ δὲ εὐτελές. Αἰσχύλος μὲν γὰρ ἐν τῷ Φιλοκτήτῃ ἐποίησε, φαγέδαινα, ἥ μου σάρκας ἐσθίει ποδός, ὁ δὲ ἀντὶ τοῦ ἐσθίει τὸ θοινᾶται μετέθηκε.* Parum elegans inventum est, quo metro consultum ivit Th. Burgessius in Append. ad Dawes. p. 524. (440. ed. Lips.) Alii illuc spectantes versus exstant apud Plutarchum in libro quo non iucunde vivi secundum Epicurum docet, p. 1087. F. *ἐκ δὲ τοῦ πόνου μάρτυς ὁ Αἰσχύλου Φιλοκτήτης ἱκανός. οὐ γὰρ ὁ δράκων, φησίν, ἀνῆκεν, ἀλλ' ἐνῴκισε δεινὴν στομάτων ἔκφυσιν, ποδὸς λαβεῖν.* Valckenarius in Diatr. de Fr. Eur. p. 128. recte *ἐνῆκεν* et *λαβών*, caetera autem imperite coniecit. Alias aliorum non feliciores coniecturas commemoravit Erfurdtius ad Soph. Philoct. 694. Scribendum:

οὐ γὰρ δράκων ἐνῆκεν, ἀλλ' ἐνῴκισεν
δεινὴν στομωτὸν ἔκφυσιν, ποδὸς λαβών·

Etiam Attius *draconem* posuit, teste Charisio I. p. 101. Vbi se Lemni expositum querebatur Philoctetes, his videtur verbis usus esse,

ἔνθ' οὔτε μίμνειν ἄνεμος, οὔτ' ἐκπλεῖν ἐᾷ,

quae in proverbium versa Suidas afferunt et Apostolius VIII. 30. p. 94. Pertinebant fortasse ad illam insulae descriptionem etiam haec Attii apud Macrobium Sat. VI. 5.

caprigenum trita ungulis.

De illa Graecorum crudelitate verba erant apud Attium, quae Nonii edd. v. *immane* p. 323. sic exhibent, *Phrygiam minorem esse immanem Graeciam.* Edd. vett. *anima in Graeciam.* Quomodo corrigenda essent vidit Mercerus, sed debebat etiam ordinem verborum mutare:

Phrygiam esse mitiorem immani Graecia.

Victum suum vitaeque molestias describentis haec esse vi- 12
dentur apud Varronem de L. L. VI. p. 78. et Servium ad Aen. IX. 622. qui primam vocem omittit:

reciproca tendens nervo equino concita
tela.

Quae in anapaestos redigenda putabat Scaliger p. 144. Paullo post, nisi fallor, sequebantur, quae Cicero commemorat Ep. ad fam. VII. 33. *ut etiam si quando aliquid dignum nostro nomine emisimus, ingemiscamus quod haec pinnigero, non armigero in corpore tela exerceantur, ut ait Philoctetes apud Attium, abiecta gloria.* Parum probabiliter versus Attii restituere conatus est Scaliger p. 102. Veri similius est, hoc modo scriptos fuisse:

pinnigero, non armigero in corpore
tela exercentur haec, abiecta gloria.

Nominavit etiam, ut opinor, ὀκόρνους Philoctetes, genus locustarum, sive quod his quoque vesceretur, sive quod molestiam ei facerent. Photius: ὀκόρνους, τοὺς πάρνοπας. Αἰσχύλος Φιλοκτήτῃ. οἱ δὲ Ἴωνες, ἀττελέβους. Non nominato auctore Hesychius: ὀκόρνους, τοὺς ἀττελέβους. καὶ τὰ ἀκριώδη οὕτω λέγουσιν. Alia ex eadem narratione haec sunt:

iacco in tecto humido,
quod eiulatu, questu, gemitu, fletibus
resonando mutum flebiles voces refert,
quum e viperino morsu venae viscerum
veneno imbutae tetros cruciatus cient.

Primos dimidiatum et duos versus affert Cicero Q. Tusc. II. 14. qui suae orationi verba accommodans posuit, *iacet in tecto humido, qui.* Dubitanter *tecto* probabat Bentleius, cuius egregia est ad eum locum adnotatio, *qui* mutans in *quod*, adstipulantibus aliquot MSS. et *mutum* ex codd. pro *multum* scribens, quod iam fecerat Scaliger p. 102. Reizius merito Buhrii emendationem probabat, *tecto.* Similiter Virgilius Aen. VII. 501. *questuque cruentus atque ululanti similis tectum omne replebat.* Duos reliquos versus Cicero cap. 7. et Nonius habent v. *imbuere* p. 324. Coniunxit Cicero de Fin. II. 29. his verbis: *quamobrem turpe putandum est, non dico dolere, nam id quidem est interdum necesse, sed saxum illud Lemnium clamore Philocteteo funestare, quod eiulatu — refert. Huic Epicurus comparet se, si potest, cui viperino — cient* *).

Venit deinde in conspectum Philoctetae Vlysses, quem ille alloquitur verbis quae supra ex Varrone et Festo attulimus:

Quis tu es mortalis, qui in deserta et tesca te
apportas loca?

Varronis quae sequuntur verba sic corrigenda puto: *quare haec quod tesca dixit, non erravit: neque ideo quod*

*) Significavit mihi Iulius Silligius, vir litteratissimus, ex Attii Philocteta depromptum sibi videri versum Bacchiacum, quo Cicero usus est ad Atticum scribens Ep. I. 18. initio:

littus atque aer et solitudo mera.

Quod valde est veri simile. Patet autem ex aliquo cantico eum versum esse.

sancta, *sed quod*, *ubi mysteria fiunt*, *initiati tuentur*, *tuesca dicta*. Id ipse videtur confirmare, qui statim addat: *tueri duo significat*, *unum ab adspectu*, *ut dixi*. Attio trimetros, inserto *Lemnia*, restitui volebat Scaliger p. 101. Sed videtur huius scenae initium iambicis octonariis scriptum fuisse: quare etiam quod mox dicebat Philoctetes apud Nonium v. *tetritudo* p. 179. quae verba Vossius ex MSS. correxit, *quod te obsecro ne haec adspernabilem tetritudo mea me inculta faxit*, ita videtur metro aptandum esse:

quod te obsecro, *adspernabilem*
ne haec tetritudo mea me inculta faxit.

Namque eodem metro etiam tertium ex illa scena fragmentum est apud eumdem Nonium v. *contempla* p. 469.

contempla hanc sedem, *in qua ego novem hiemes*
saxo stratus pertuli.

Sedato primo animi motu ut sermonem ad trochaeos deflexisse credam, duobus adducor fragmentis, quae ut trimetris aptari possint, tamen, quia exclamationes continent, quibus Vlyssis relationem interpellabat Philoctetes, integros versus videntur implevisse. Narranti enim quae fallendi Philoctetae caussa commentus erat, Agamemnonis suamque ipsius mortem et cladem exercitus, quum, ut apud Sophoclem Neoptolemus, etiam arma Achillis Vlyssi adiudicata commemoraret, ita respondet Philoctetes apud 14
Macrobium Sat. VI. 5.

Eheu, *Mulciber*, *arma ignavo invicta es fabricatus manu.*

Legitur *heu*, quod servans Bothius, *es invicta* scripsit, ut e trimetris haec essent. Item Paridis mentione iniecta, dicit illud, quod vituperat Quintilianus V. 10, 84. caussas monens non utique ab ultimo esse repetendas. Cuius vitii quum unum exemplum ex initio Medeae, quam ex Euripide Latinam fecit Ennius, attulisset, alterum addit

his verbis: *et Philocteta Paridi, si imperasses tibi, ego nunc non essem miser.* Ita vulgo. Sed cod. Turic. *paridis impar esses*, alii codd. *pari dispar esses.* Ex his vestigiis, quum praesertim ineptum sit *Paridi* Quintiliano tributum, ita coniicias emendandum esse: *et Philocteta,*

. . *Pari, dispar si esses tibi, ego nunc non essem miser.*

Talis vero exclamatio indiget interiectione aliqua: quare primam huius versus vocem *eheu* vel *hei hei* fuisse credibile est.

Versus finem fabulae, ut apud Sophoclem, ulceris doloribus corripiebatur Philoctetes. Ex ea scena duo fragmenta inveniuntur in Maximi Tyrii diss. XIII. p. 241. ed. Reisk.: *ἡ δὲ δειλὴ ψυχὴ κατορωρυγμένη ἐν σώματι, ὡς ἑρπετὸν νωθὲς εἰς φωλεόν, φιλεῖ τὸν φωλεὸν καὶ οὐδεπώποτε θέλει ἀπαλλαγῆναι αὐτοῦ, οὐδὲ ἐξερπύσαι, ἀλλὰ καιομένῳ συγκαίεται, καὶ σπαραττομένῳ συσπαράττεται, καὶ ἀλγοῦντι συναλγεῖ, καὶ βοῶντι συμβοᾷ.*

ὦ ποῦς, ἀφήσω σε;

ὁ Φιλοκτήτης λέγει· ἄνθρωπε, ἄφες, καὶ μὴ βόα, μηδὲ λοιδοροῦ τοῖς φιλτάτοις, μηδὲ ἐνόχλει τὴν Λημνίων γῆν· ὦ Θάνατε Παιάν. εἰ μὲν ταῦτα λέγεις ἀλλαττόμενος κακὸν κακοῦ, οὐκ ἀποδέχομαι τῆς εὐχῆς· εἰ δὲ ἡγῇ τῷ ὄντι τὸν θάνατον Παιᾶνα εἶναι καὶ ἀπαλλακτὴν κακοῦ καὶ ἀπλήστου καὶ νοσεροῦ θρέμματος, ἡγῇ καλῶς· εὔχου καὶ κάλει τὸν Παιᾶνα. Aeschyli verba esse, Stobaeo auctore constat Serm. CXX. 12. apud quem integri leguntur versus:

ὦ Θάνατε Παιάν, μή μ' ἀτιμάσῃς μολεῖν.
μόνος γὰρ εἶ σὺ τῶν ἀνηκέστων κακῶν
ἰατρός, ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ.

15 Vulgo ibi *νεκροῖς*. Grotius *νεκρῶν:* et sic Brunckius

ad Soph. Philoct. 1471. qui se hos versus ad fidem cod. Paris. exhibere ait. Eodem modo etiam Wakefieldius ad Soph. Phil. 1348. Gaisfordius *νεκροῦ* e duobus codd. Idque confirmat Plutarchus in Consol. ad Apoll. p. 109. F. qui quod scribit, *ἄλγος γὰρ ὄντως οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ*, iam Gatakerus in Adv. misc. p. 508. vidit duas ipsius Plutarchi voces continere: ut non debuerit coniectando tentari a Wüstemanno ad Eurip. Alc. 958. Vide Wyttenbachium ad Plutarch. T. I. p. 720. Ingravescente dolore concitatioribus numeris accelerabatur oratio. *Itaque exclamat*, inquit Cicero, Q. Tusc. II. 7. *auxilium expetens*, *mori cupiens*:

> *hei quis salsis fluctibus mandet*
> *me ex sublimi vertice saxi?*
> *iamiam absumor: conficit animam*
> *vis volneris, ulceris aestus.*

Quo pacto ad exitum perducta sit fabula nescimus. Sed illud tamen necesse est, ut et agnoverit Vlyssem Philoctetes, et dolo se circumventum intellexerit, quumque odio Graecorum recusaret ad Troiam reverti, non vi, sed vel precibus pollicitationibusque Vlyssis, vel intervenientis cuiuspiam dei admonitione victus, quo fata vocarent, abduci se passus sit. Aliter enim quae praecesserunt, inutilia, totaque fabulae compositio inepta esset. Ad hanc extremam tragoediae partem retulerim, quae Cicero Q. Tusc. I. 28. scribit: *tum globum terrae eminentem e mari*, *fixum in medio mundi universi loco*, *duabus oris distantibus habitabilem et cultum: quarum altera*, *quam nos incolimus*, *sub axe posita ad stellas septem*, *unde horrifer Aquilonis stridor gelidas molitur nives: altera australis*, *quam vocant Graeci ἀντίχθονα: caeteras partes incultas*, *quod aut frigore rigeant*, *aut urantur calore: hic autem*, *ubi habitamus*, *non intermittit suo tempore caelum nitescere*, *arbores frondescere*, et quae sequuntur. Illa, *Aquilonis stridor gelidas molitur nives*, in

fragmento Censorini c. 14. p. 149. sine scriptoris nomine ut exemplum trimetri tragici afferuntur. Sed ex
16 Attii Philocteta esse testatur Nonius v. *moliri* p. 346. qui ea inde a verbis *ubi horrifer* affert. Duos integros Attii trimetros a Cicerone servatos esse, primus animadvertit Bentleius, servans ille *unde*, quod ego nescio an Cicero ipse posuerit, vera autem sit Nonii scriptura *ubi*. Nam Philoctetes, nisi fallor, quidvis potius perpeti, quam ad Troiam redire certum habens, malle se degere dicebat *ora* exsulem.

sub axe posita ad stellas septem ubi horrifer,
Aquilonis stridor gelidas molitur nives.

Quos deinde Cicero adiecit quinque trimetros, quorum initium est caelum *nitescere*, Beierus ex eodem Attii loco depromptos esse coniiciebat. Mihi videntur nec fabulae eiusdem, nec scriptoris, sed Ennii esse ex Eumenidibus, adumbrati ex illis, quae Aeschylus scripsit v. 307. seqq. Victus tandem Philoctetes, dum abducebatur, eos quibus innixus incedebat, his verbis monebat, quae prostant apud Nonium v. *succussare*, p. 16.

agite, ac volnus ne succusset gressus, caute
ingredimini.

In ipso fine fabulae de cursu, qui navi tenendus esset, seu chorus, seu forsitan deus quispiam videtur explicasse Cui rei convenit, quod apud Varronem de L. L. VI. p. 69. in cod. Flor. ita scriptum est: *Accius Mystica ad dextram praetervecti.* Sic etiam edd. quaedam veteres. Alter codex autem et editio princeps, item alia pervetusta, sic scripta poetae verba habent: *mystica ad dextram per vada vecti.* Aldina vero et quae hanc sequuntur, *mystica da dextra vada praetervecti.* Ex Philocteta esse, videtur colligi posse ex eo, quod explicandi caussa addit Varro: *mystica a mysteriis, quae*

ibi in propinquis locis nobilia sunt. Itaque finem systematis anapaestici sic restituere licebit,

mystica
dextra praeter vada vecti.

Nisi *per* placet, ut unum habeamus versum acatalectum. Haec habui, quae vel certo vel probabiliter ad Aeschyli Attiique Philoctetam crederem referenda esse *).

---

*) Aeschyli, an Euripidis sit versus, quem Cicero de Or. III. 35. Quintilianus III. 1, 15. Diogenes Laertius V. 3. commemorant,

αἰσχρὸν σιωπᾶν, βαρβάρους δ' ἐᾶν λέγειν,

non liquet. Veri similius puto, esse eum Euripidis Philoctetae. De alio fragmento vide dissertationem de Heliadibus p. 13. sive huius voluminis p. 139.

DE AESCHYLI HELIADIBVS DISSERTATIO.

Heliades fabula fuit Aeschyli, cuius quae compositio fuerit neque a veteribus traditum est, nec quae perpauca eius fragmenta habemus sobrie iudicanti aperiunt. Solis filias obitum fratris Phaethontis lugentes ad amnem Eridanum, in quem ille praeceps ruisse ferebatur, in arbores succinum stillantes ab Iove sive miserto, seu quod equos iniussu patris iunxissent, mutatas esse, communis veterum fuit opinio. Ex his facile coniici potest, Phaethontis temeritatem luctumque sororum argumentum fuisse illius tragoediae. Eamdem rem in fabula, cui a Phaethonte nomen fecit, tractavit Euripides. Quae caussa fuerit Aeschylo, ut hoc sibi argumentum explicandum sumeret, ego non quaeram. Quaesivit nuper F. G. Welckerus, qui quum aliarum Aeschyli fabularum, tum huius quoque compositionem exponere studuit in libro quem scripsit de Prometheis Aeschyli p. 574. Is forsitan tempora aliquam opportunitatem praebuisse coniicit; forsitan mercatores Massilienses, dum Syracusis versabatur Aeschylus, electrum illuc advexisse; forsitan Hieronem cum Massiliensibus, ut hostibus Carthaginiensium, aliquid habuisse necessitudinis, ut poeta commendare istius commercii commoda potuerit. Placent sibi hodie viri docti in eiusmodi

coniecturis, idque vitam veterum intueri appellant. Qui vereor ne nimis in longinquum intendenda oculorum acie non cernant quod ante pedes est, poetam poetam fuisse, qui

id sibi negoti crederet solum dari, 4
populo ut placerent quas fecisset fabulas.

Satius erit credo, fragmenta fabulae considerare.

Ac nescio an ipsum tragoediae initium servatum sit ab scholiasta Sophoclis ad Oed. Col. 1248. *τὰ ἀπὸ τῶν ὀρῶν φησὶ τῶν προσαγορευομένων Ῥιπῶν. τινὲς δὲ οὕτω καλοῦσι, Ῥιπαῖα ὄρη. λέγει δὲ αὐτὰ ἐννύχια διὰ τὸ πρὸς τῇ δύσει κεῖσθαι. μέμνηται δὲ Ἀλκμάν, λέγων οὕτω· Ῥίπας ὄρος ἔνθεον ὕλαι νυκτὸς μελαίνας στέρνων· καὶ ἐν Ἡλιάσιν Αἰσχύλος·*

Ῥῖπαι μέν δὴ πατρός.

Alcmanis testimonium, quod in Welckeri collectione fragmentorum legitur p. 80. corruptum esse, et numeri, qui nulli sunt, et duae ineptae voces *ἔνθεον ὕλαι* docent. Sensus tale quid requirere videtur: *Ῥίπας ὄρος, ἔνθ' ἀντολαὶ Νυκτὸς μελαίνας στέρνων.* Compara Sophoclis Orithyiae fragmentum apud Strabonem VII. p. 295. (452.) quod Brunckio est incertorum XCIII. Sed hoc obiter. Aeschyli verba ita sunt comparata, ut chori esse videantur, in exordio fabulae locum in quem advenerit describentis. Sed is chorus num ex Heliadibus constabat, an ex aliis? Vtcumque de hac re statuas, haud facile invenias, quo pacto qui hic pater vocatur, Sol possit intelligi. Itaque aut Oceanum dici putabimus, ut si huiusmodi quid scriptum fuit, *Ῥῖπαι μέν δὴ πατρὸς Ὠκεανοῦ γείτονες αὗται*, aut lovem, ut, *Ῥῖπαι μέν δὴ πατρὸς αἵδε Διὸς χειμωνοτόκοι.*

Quibus in oris sitos esse montes illos putaverit Aeschylus, ex his cognoscimus, quae Plinius H. N. XXXVII. 11. scribit: *Phaethontis fulmine icti sorores, fletu mu-*

latas in arbores populos, lacrimis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus, et electrum appellatum, quoniam sol vocita-
5*tus sit ἠλέκτωρ, plurimi poetae dixere, primique, ut arbitror, Aeschylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus. Quod esse falsum, Italiae testimonio patet. Diligentiores eorum Electridas insulas in mari Adriatico esse dixerunt, ad quas dilaberetur Padus. Qua appellatione nullas umquam ibi fuisse certum est, nec vero ullas ibi appositas esse, in quas quidquam cursu Padi devehi possit. Nam quod Aeschylus in Iberia, hoc est in Hispania, Eridanum esse dixit, eumdemque appellari Rhodanum; Euripides rursus et Apollonius in Adriatico littore confluere Rhodanum et Padum, faciliorem veniam facit ignorati succini in tanta orbis ignorantia.* Idem fere testatur Appuleius de orthographia ab Ang. Maio editus p. 135. *Eridanus citra diphthongum, fluvius Atticae, nec non Thessaliae. Est item Italiae, qui et Padus: item Hiberiae, auctoribus Aeschylo, Pausania, Euphorione minore.* Patet ex his, Eridanum ab Aeschylo Iberiae fluvium, qui alio nomine Rhodanus vocaretur, esse dictum. Longissimum enim tractum terrarum Iberiae appellatio complectebatur: de qua re, ne Cluverium commemorem in Germania antiqua l. 2. disseruit Vkertus in descriptione orbis antiqui T. II. P. I. p. 248. Certius quid inveniri posse ratus est Welckerus, qui p. 569. s. quoniam ad Pirenaeos montes sita fuerit Rhoda, quam conditam ab Rhodiis postea Massilienses tenuerunt, hoc Rhodae nomine effici contendit, Heliades Aeschyli ad Rhodanum lugere fingi: nam scholiastam Homeri ad Odyss. ϱ. 208. qui se fabulam istam e tragicis referre dicat, matrem Phaethontis triumque Heliadum, Lampetiae, Aeglae, et Phaethusae, Rhodam vocare: cui quum apud Euripidem aliud nomen sit, ex Aeschylo scholiastam quae narrat retulisse. Haec mihi quidem ad eum modum videntur disputata esse, quo hodie multi in hoc genere litterarum multa et sibi et aliis
6persuadent. Sumunt enim pro veris, quae non apertum

est falsa esse, eaque sic inter ipsa coniungunt, ut, si vera sint quae sunt intermedia, probabiliter cohaerere videantur: illa ipsa vero intermedia, quae, quod fundamenta sunt totius disputationis, vel maxime demonstrari oportebat, omittunt vel etiam callide declinant. Id facile intelligi potest, si ordine singula consideramus. Ac Welckerus ita videtur ratiocinatus esse: scholiastes iste, quoniam auctoribus tragicis fabulam refert, discedit autem in matris Heliadum nomine ab Euripide, Aeschylum est sequutus; quumque mulierem istam Rhodam appellet, quod nomen est oppidi ad Pirenaeos montes, ad Rhodanum collocavit Aechylus Heliades, non ad Padum. At primo non adeo certum esse, ex tragicis petiisse scholiastam quae de Heliadibus narrat, ipsa eius verba declarant. Sic autem scribit: *Ἥλιος Ῥόδῃ μιχθεὶς τῇ Ἀσωποῦ, παῖδας ἴσχει Φαέθοντα καὶ Λαμπετίην καὶ Αἴγλην καὶ Φαέθουσαν· ἀνδρωθεὶς δὲ ὁ Φαέθων, ἤρετο τὴν μητέρα τίνος εἴη πατρός. πυθόμενος δὲ ὡς Ἡλίου, παρεγένετο ἐπὶ τὰς τοῦ πατρὸς ἀνατολάς. γνωρισθεὶς δὲ τούτῳ, ἐδεῖτο τοῦ πατρὸς ἐπ᾽ ὀλίγον αὐτῷ συγχωρῆσαι τὸ ἅρμα καὶ τοὺς ὑτῆρας, ὅπως κατοπτεύσειε τὸν κόσμον. ὁ δὲ Ἥλιος ἀκούσας, παραυτὰ μὲν ἀντέλεγεν, εἰδὼς ἃ πείσεται. σφόδρα δὲ αὐτῷ ἐγκειμένῳ συγχωρεῖ, διδάξας ὅ τι τὸ μεταίχμιον. ἐπιβὰς δὲ ἐκεῖνος τοῦ ἅρματος, ἀτάκτως ἤλαυνεν, ὥστε πάντα τὰ ἐπὶ τῆς γῆς φρύγειν. καταπεσόντος δὲ αὐτοῦ μετὰ τῆς θείας φλογὸς ἐπὶ τὸν Ἠριδανὸν ποταμὸν καὶ φθαρέντος, αἱ ἀδελφαὶ παραγενόμεναι κατὰ τὸν τόπον τοῦ Κελτικοῦ πελάγους ἐθρήνουν ἡμέρας ἀδιαλείπτως καὶ νύκτας. ὅθεν κατελεήσας ὁ Ζεὺς ταύταις ἀνάμνησιν ἐνεποίησε τῶν κακῶν, μεταμορφῶν αὐτὰς εἰς αἰγείρους, αἵπερ εἰσὶ δένδρα. λέγεται δὲ καὶ ἐντεῦθεν ἀπογεννᾶσθαι τὸν ἤλεκτρον, τῆς ἀρχαίας οἰμωγῆς ἀποδακρυόντων τοῦτον καρπὸν τῶν δένδρων. ἡ δὲ ἱστορία παρὰ τοῖς τραγικοῖς.* Correxi, quae corrupta videbantur. Quid vero ex his colligi potest? Nihil profecto aliud, quam quod dicit scholiastes, fabulam illam a tragicis esse tractatam. Quorum quum alius eam alio modo, ut credi par est, composuerit, potuit

quidem scholiastes unum eorum sequi, potuit etiam Aeschylum, sed non minus potuit vel ea referre, in quibus omnes aut plerique consentirent, vel, ut solent scholiastae, ex aliquo haurire mythographo. Quare si matrem Heliadum Rhodam appellavit, hoc tantum sequitur, non accepisse eum hoc nomen ab Euripide; non sequitur, accepisse ab Aeschylo. Esto vero: dixerit eam Aeschylus Rhodam: numquid id ad removendas Heliades a Pado? Scilicet coniugem illam Solis ab oppido ad montes Pirenaeos sito Rhodam esse appellatam sumendum est. Concedamus hoc quoque, quamquam non est demonstratum. Quin si demonstratum esset, nihil proficeremus. Neque enim eo, quod ad montes Pirenaeos fuit illud oppidum, etiam hoc efficitur, Aeschylum ubi situm esset scivisse. Id ergo ante omnia erat ostendendum. At si de vero situ illius loci, in quo Heliades fratrem flevissent, ageretur, ne opus quidem esset oppido isto. Nam si Eridanum eumdem esse qui etiam Rhodanus vocaretur perhibuit Aeschylus, apertum est, quae ad Eridanum acta sunt, acta esse ad Rhodanum. Itaque minime effecit, ut mihi videtur, Welckerus, quod eum voluisse ex iis apparet, quae p. 571. dicit, ut a Pado ad montes Pirenaeos transferret Aeschyli Heliadum fata. Quin, ne Plinii verba quae supra posui commemorem, Aeschylo auctore Phaethontem in Eridanum, qui Padus sit, delapsum tradentis, fugisse videtur virum doctissimum quod infra afferam Heliadum fragmentum, in quo quum feminae Adrianae memorentur, non potest dubium esse, quin poeta locorum ignorantia Padum quoque cum Eridano et Rhodano commiscuerit, tractumque illum, in quo is amnis esset, et Iberiam dixerit et Adrianam.

Sed videamus reliqua fragmenta. Athenaeus X. p. 424. D. *τούτῳ ὅμοιόν ἐστι τὸ ἀνιαρέστερον καὶ τὸ ἐν Ἡλιάσιν Αἰσχύλου,*

ἀφθονέστερον λίβα.

Sic Epitome. Vulgo *ἀφθονέστερα.* Eustathius ad Iliad.

ι. p. **746**, **45**. (**644**, **38**.) *καὶ παρ' Αἰσχύλῳ ἀφθονέστερον.* Idem plura eius formae vocabula ex illo Athenaei loco repetiit ad Od. *β.* p. **1441**, **10**. (**89**, **39**.) Non erat opus *ἀφθονεστέραν* scribi, quod quibusdam placuit. Nam etiam in comparativis et superlativis masculina terminatio generi feminino adhibetur: de quo genere videndus Buttmannus in gr. Gr. I. p. **247**. Aeschyli verba utrum, quod mihi veri similius videtur, ad uberes lacrimas Heliadum, an, quod Welckero p. **570**. placet, ad succinum spectent, pro suo quisque statuat iudicio. Sed ille quod dicit, Casaubonum *λίβα* de Africo intellexisse, Schweighäuserus fecit, non Casaubonus. Ipse autem quod censet Welckerus, poetam *λίβα* alludentem dixisse, quod *λίβανον* a *λείβειν* appellatam in mente haberet, nemo non indictum optet.

Splendidissimum Heliadum, sed idem corruptissimum fragmentum est, quod Athenaeus XI. p. **469**. F. de poculo disserens, quo Sol per noctem ferri a poetis dictus est, attulit: *καὶ Αἰσχύλος ἐν Ἡλιάσιν· ἔνθ' ἐπὶ δυσμαῖς ἴσου πατρὸς Ἡφαιστοτευχὲς δέπας, ἐν τῷ διαβάλλων πολὺν οἰδματόεντα φέρει δρόμου πόρον, οὐδ' εἰς μελανίππου προφυγὼν ἱμερτᾶς νυκτὸς ἀμολγόν.* Parum felicibus coniecturis haec tentata sunt a viris doctis, in iisque ab Erfurdtio in Horreo Regiomontano a. cIↃIↃcccxii. P. III. p. **466**. quo loco monui, metra, quae quibusdam visa sunt anapaestica esse, aperte esse Ionica a minore. Scripturae varietas, quam mihi per G. Dindorfii liberalitatem licet auctiorem dare, haec est: *διαβάλλει* MSS. A. atque codd. Florentinus,9 optimus ille, et Palatinus. Pro *οὐδ' εἰς* cod. Pal. *οὐδείς*. Florentinus *οὐθείς*. Pro vulgato *ἱμερτᾶς*, quod etiam in Palatino est, Florentinus *ἱμερᾶς*, MS. A. *ἱερᾶς*. Casauboni coniectura, *ἔνθ' ἐπὶ δυσμαῖσι σοῦ πατρός*, tam facilis est, ut nemini non debeat arridere. Quae si ad metrum non convenit, quis dubitet quin librarii communem formam pro poetica *τεοῦ* posuerint, rariore quidem apud tragicos, sed usurpata tamen, ut ab Ae-

schylo in Prometheo v. 162. in Septem ad Th. 107. ab Sophocle in Antigona 604. ab Euripide in Iphig. Aul. 1530. in Heraclidis 911. Quod si recte verba illa emendavit Casaubonus, consequitur, non posse verum esse, quod Welckerus, nomine credo fabulae adductus, pro indubitato habuit, chorum ex ipsis fuisse Heliadibus compositum. Sic enim ἡμετέρου dicendum erat. Sed, etsi probo emendationem Casauboni, tamen hoc argumento non utar, ne videar ex emendatione illa potius qui chorus fuerit, quam ex choro de emendatione iudicare. Ac non una caussa est, cur Welckero non assentiar. Primum enim quod ad nomen fabulae attinet, etsi permultae a choro appellatae sunt fabulae, tamen non esse id in omnibus factum, quarum nomina multitudinis significationem habent, vel in iis quae servatae sunt Aeschyli Septem ad Thebas et Heraclidae Euripidis testantur. Deinde quum in arbores populos mutatas ab Aeschylo perhiberi Heliades tradat Plinius, num obriguisse in orchestra chorum, obductasque cortice virgines ex frondibus cecinisse, succinum pro lacrimis fundentes, censebimus? an vero, secus quam constans usus postulabat, ante finem fabulae digresso choro, quem omnium postremum abire conveniebat, nuncium aliquem de mutatis in arbores formis retulisse? Denique num ipsas praedixisse credemus, quod in uno fragmento-
10 rum est, feminas Adrianas luctum suum esse imitaturas, quod ab iis potius dici conveniebat, qui consolari Heliades vellent? Haec igitur quum sint incredibilia et pene portentosa, sic ego arbitror statuendum esse, chorum ex nymphis ad Padum, ac fortasse ex Oceanidibus, quoniam res in extremis ad occiduum solem oris acta credebatur, fuisse compositum. His addam, si constitisset chorus ex Heliadibus, certe Aeschylum septem Solis filias, ut Hyginus fecit fab. 154. numeraturum fuisse, quem numerum, ut Euripides Supplices suas, facilius poterat ad iustam chori magnitudinem augere, quam quas eum Welckerus propter illud ad Odysseam scholion tres numero introduxisse existimat. Omninoque quae Welckerus p. 496. de choris dicit, quorum tres primariae personae fuerint, mul-

tis sunt magnisque dubitationibus obnoxia, quum, ut hic ipse Heliadum chorus, non nisi coniecturis nitantur. Neque Euripides Hippol. v. 739. tres dixit: pravam enim scripturam *τριτάλαιναι*, quae metrici cuiuspiam inventum est, et meliores libri et scholiastae explicatio et ipsa numerorum insolentia vitii arguunt. Minus etiam Ovidius quidquam ad Aeschylum facit, qui quum sua undecumque colligeret, aliquid certe ex Euripide, si quis huius quae habemus Phaethontis fragmenta comparet, videtur profecisse. Sed redeo ad fragmentum, a quo profecta est haec disputatio. In eo id peropportunum est emendaturo, quod de metri genere, qui harum rerum aliquem usum habet, non potest dubius haerere. Neque vero quem sensum esse verborum oporteat obscurum est, praesertim consideranti simillimum Stesichori locum, quem cum Aeschyleo coniunxit Athenaeus: *Ἅλιος δ' Ὑπεριονίδας δέπας ἐκπατέβαινε χρύσεον, ὄφρα δι' ὠκεανοῖο περάσας ἀφίκοιθ' ἱερᾶς ποτὶ βένθεα νυκτὸς ἐρεμνᾶς, ποτὶ μητέρα κουριδίαν τ' ἄλοχον παῖδάς τε φίλους.* Ita ergo scribendum puto:

ἔνθ' 11
ἐπὶ δυσμαῖσι τεοῦ
πατρὸς Ἡφαιστοτυκὲς
δέπας, ἐν τῷ διαβάλλει
πολὺν οἰδματόεντ' ἀμφίδρομον
πόρον, εἰς μελανίππου
προφυγὼν ἱερᾶς νυκτὸς ἀμολγόν.

Vix opus esse arbitror moneri, depravationem vocabuli *ἀμφίδρομον* caeteris vitiis originem dedisse. Nam quum semel *φέρει* scriptum esset, *διαβάλλει* mutatum est in *διαβάλλων*, et quoniam *δρόμον πόρον* ferri non poterat, alii *δρόμου πόρον*, alii *δρόμον πόρου* scripserunt, unde natum videtur *οὐδ'*. Id qui in *ὄρθ'* immutavit, Bothius, litteras correxit, sententiam reddidit languidam indignamque Aeschylo. *Ἀμολγὸς* quid significaret, novissime ostendere studuit Buttmannus in Lexilogo vol. II. p. 71. seqq. qui quod docet, summam ita caliginem noctis appellari,

verissimum est: sed quam viam iniit, ut ad eam explicationem perveniret, vereor ne aliis non minus quam mihi argutius quaesita videatur. Atque ipse spero vir praestantissimus fatebitur, multo simpliciorem esse quae a me proposita fuerat eius nominis interpretatio, ut quidquid turbidum esset significaret. Sed fugerat eum locus ad quem id notavi Euripidis in secundo fragmentorum Phaethontis e cod. Claromontano erutorum v. 6. *οὐκ ἀμολγὸν ἐξομόρξετε, εἴ πού τίς ἐστιν αἵματος χαμαὶ πεσών;* Ac mansit haec vox in Germanica lingua, nisi quod, ut usus dominari solet, *molken* serum potius, quam quod residuum secreto sero ita dici debebat, appellamus. Nempe videtur proprie quod mulgendo expressum coagulatur spissum et pingue, ita dictum fuisse; inde autem translatum ad crassam caliginem. Caeterum quod ad illud poculum
12 Solis attinet, neminem latere potest, rutilantem caeli auroram, in quam occidens sol immergitur, a poetis cum aureo poculo esse comparatam, quo ille exceptus noctu per Oceanum ad ea loca deferretur, unde rursus esset oriturus. Itaque mireris viros doctos, I. H. Vossium in Epistolis mythologicis vol. II. p. 156. et C. O. Müllerum in Doriensibus vol. I. p. 425. de illo Solis itinere tamquam si in tabula describi possit disceptantes. Ipsos si interrogare liceret Stesichorum, Aeschylum, Mimnermum, nescire se faterentur, mirarique quod nos sciremus.

Grammaticus in Bekkeri Anecdotis p. 346, 9. *Ἀδριαναὶ γυναῖκες. Αἰσχύλος Ἡλιάσιν· Ἀδριαναί τε γυναῖκες τρόπον ἔξουσι γόων.* Erant haec, ut videtur, in eodem chori Ionico carmine hunc in modum scripta:

Ἀδριηναί τε γυναῖκες
τρόπον ἔξουσι γόων.

Veri simile est enim, Ionica, ut poetica forma, usum esse Aeschylum, quod fecit etiam Euripides in Hippol. v. 735. *ἀρθείην δ' ἐπὶ πόντιον κῦμα τᾶς Ἀδριηνᾶς ἀκτᾶς Ἠριδάνου θ' ὕδωρ, ἔνθα πορφύρεον σταλάσσουσ' εἰς οἶδμα πατρὸς τάλαιναι κόραι Φαέθοντος οἴκτῳ δακρύων τὰς*

ἠλεκτροφαεῖς αὐγάς. Chorum illa apud Aeschylum dicere, ut consoletur deflentes fratris obitum Heliades, supra monui. Qui sit ille lugendi mos, quem servaturae sint feminae ad Padum, hi scriptores indicant. Polybius II. 16. τἆλλα δὲ τὰ περὶ τὸν ποταμὸν τοῦτον ἱστορούμενα, λέγω δὴ τὰ περὶ Φαέθοντα καὶ τὴν ἐκείνου πτῶσιν, ἔτι δὲ τὰ δάκρυα τῶν αἰγείρων, καὶ τοὺς μελανείμονας τοὺς περὶ τὸν ποταμὸν οἰκοῦντας, οὕς φασι τὰς ἐσθῆτας εἰςέτι νῦν φορεῖν τοιαύτας ἀπὸ τοῦ κατὰ Φαέθοντα πένθους, καὶ πᾶσαν δὴ τὴν τραγικὴν καὶ ταύτῃ προσεοικυῖαν ὕλην, ἐπὶ μὲν τοῦ παρόντος ὑπερθησόμεθα. Scymnus v. 399. διὸ καὶ τὰ πλήθη πάντα τῶν οἰκητόρων μελανειμονεῖν τε πενθικάς τ' ἔχειν στολάς. Diodorus Siculus V. 23. ἐπιχωριάζον δ' ἐν ταῖς τῶν νέων τελευταῖς καὶ τὸ τούτων πένθος. Commemoravit hos locos Welckerus p. 572. quod fecerat iam, qui plurima de Phaethontis fabula collegit, Phil. Cluverius in Italia antiqua I. 34.

Atque haec quidem sunt, quae diserte ex Heliadibus allata habemus Aeschyli fragmenta. Corrupto nomine Ἑλλαδίῳ apud Harpocrationem v. μαλακίζομεν Gatakerus in Miscell. p. 529. adduci se passus est, ut quae ibi leguntur Aeschyli verba κεκμῆτι μαλακίων ποδί, ex Heliadibus petita crederet. Gronovius Lium ab Harpocratione nominatum putabat. Mihi veri similius videtur, non fabulae nomen, sed ipsius poetae verbum in isto vocabulo latere. Versus, si ex tragoedia est, convenit in Philoctetam.

Sed alia sunt in incertarum fabularum fragmentis, quae probabilius referri ad Heliades possint. In his unum levissimo quidem, sed tamen aliquo indicio numerem, quippe et metro scriptum Ionico, ut potuerit in eodem carmine chori, cuius duo supra sunt fragmenta allata, locum habere, neque abhorrens ab re, quum longae viae mentionem contineat, sive quis eam Solis, sive paternum iter aemulantis Phaethontis, sive Helia-

dum fratris corpus quaerentium intelligere volet. Scholiastes ad Iliad. λ. 754. *οἱ δέ φασιν ἐκ πληροῦς σπιδέος, καὶ ἀποδιδόασι πολλοῦ καὶ μακροῦ. καὶ γὰρ Αἰσχύλος πολλάκις τὴν λέξιν οὕτως ἔχουσαν τίθησιν, ὅταν λέγῃ,*

σπίδιον μῆκος ὁδοῦ.

Etymol. M. p. 271, 17. *οἱ δέ φασι σπιδέος, πολλοῦ καὶ μακροῦ· καὶ γὰρ Αἰσχύλος πολλάκις οὕτως ἔχειν τὴν λέξιν τίθεται, οἷον, σπίδιον μῆκος ὁδοῦ.* Ex illis pluribus Aeschyli locis, quos hi dicunt grammatici, est is,
14 cuius mentio exstat apud Eustathium p. 882, 58. (834, 46.) *συνηγορεῖ δὲ τῇ τοῦ σπιδέος γραφῇ καὶ τὸ παρ' Αἰσχύλῳ σπίδιον πεδίον, ὅ ἐστι μακρὸν κατὰ τοὺς παλαιούς.*

Apte dici potuit in temeritatem Phaethontis, quod apud Stobaeum Serm. IV. 15. vel sine auctoris nomine, vel Chaeremoni tributum legitur:

οὐ χρὴ ποδώκη τὸν τρόπον λίαν φορεῖν·
σφαλεὶς γὰρ οὐδεὶς εὖ βεβουλεῦσθαι δοκεῖ.

Mihi quidem haec Aeschyli esse videntur, cuius nomen in illo perturbatissimo Stobaei sermone verbis quae statim sequuntur appositum est, *ἦ βαρὺ φόρημ' ἄνθρωπος εὐτυχῶν ἄφρων.* Haec quidem non est Aeschylea oratio. Illos autem duos versus eo veri similius est ab Aeschylo esse scriptos, quod is amat quaecumque celeritate conspicua sunt *ποδώκη* vocare, ut in Sept. ad Th. 629. *ποδῶκες ὄμμα*, in Choeph. 574. *ποδώκει περιβαλὼν χαλκεύματι*, et in fragmentis, *τό τοι κακὸν ποδῶκες ἔρχεται βροτοῖς.*

Si, quae Sol Phaethonti currum conscendenti praecepta dedisset, relatum fuit in Aeschyli fabula, coniicias ei loco convenire, quod grammaticus in Bekkeri Anecdotis p. 372, 8. servavit:

ἄκουε τὰς ἐμὰς ἐπιστολάς,

ἀντὶ τοῦ τῶν ἐμῶν ἐπιστολῶν· οὕτως Αἰσχύλος. Est quidem hoc dictum eiusmodi, ut per se nullum de fabula, unde petitum sit, faciat indicium: sed quum non sit incredibile, Nonnum, quemadmodum Bacchas Euripidis multis in locis est imitatus, ita in Phaethontis rebus Aeschylum habuisse ante oculos, advertit mihi animum, quod apud illum Sol dicit XXXVIII. 267. *ἀλλὰ σὺ μὲν κλύε μῦθον· ἐγὼ δέ σε πάντα διδάξω.*

Ob similem caussam aliud Aeschyli fragmentum ex Heliadibus sumptum esse suspicor. Nam Aeschylum etiam Euripides saepius imitando expressit, qui quum in Hippolyto eo loco quem supra posui, cum Heliadibus mentionem coniungat Pleiadum, non inepte coniicias id eum Aeschyli exemplo fecisse. Verba Euripidis haec sunt v. 742. *Ἑσπερίδων δ' ἐπὶ μηλόσπορον ἀκτὰν ἀνύσαιμι τᾶν ἀοιδῶν, ἵν' ὁ ποντομέδων πορφυρέας λίμνας ναύταις οὐκ ἔθ' ὁδὸν νέμει, σεμνὸν τέρμονα κύρων οὐρανοῦ, τὸν Ἄτλας ἔχει, κρῆναί τ' ἀμβρόσιαι χέονται Ζηνὸς μελάθρων παρ' εὐναῖς, ἵν' ἁ βιόδωρος αὔξει ζαθέα χθὼν εὐδαιμονίαν ἐσθλοῖς.* Ita haec, nisi fallor, scribenda sunt. Aeschyli versus servavit Athenaeus XI. p. 491. A. *καὶ Αἰσχύλος δέ, ἐκφανέστερον προσπαίζων τῷ ὀνόματι κατὰ τὴν ὁμοφωνίαν·*

> *αἱ δ' ἔπτ' Ἄτλαντος παῖδες ὠνομασμέναι*
> *πατρὸς μέγιστον ἄθλον οὐρανοστεγῆ*
> *κλαίεσκον, ἔνθα νυκτέρων φαντασμάτων*
> *ἔχουσι μορφὰς ἄπτεροι Πελειάδες.*

ἀπτέρους γὰρ αὐτὰς εἴρηκε διὰ τὴν πρὸς τὰς ὄρνεις ὁμωνυμίαν. Οὐρανοστεγῆ emendavit De la Porte du Theil, quum legeretur *οὐρανός τε γῆ.* Respicit hos versus etiam scholiastes ad Iliad. σ. 486. *τὰς δὲ Ἄτλαντος ἀτυχίας κλαιούσας αὐτὰς καταστερισθῆναί φησιν Αἰσχύλος.* Itaque ut in Prometheo Typhonis Atlantisque exempla commemorari videmus, ita non absurde suspicabimur, cum Heliadibus similem, ut illae, sortem nactas Pleiades fuisse comparatas. Ac, nisi fallor, ipsae haec dicebant, quo se ob nimium luctum purgarent.

Haec habui, quae de Aeschyli Heliadibus dicerem. Agendum nunc id est, quod hanc nobis praefandi op-
16 portunitatem fecit. Indicenda est enim oratio, qua die XIII. Septembris h. IX. memoriam Io. Aug. Ernestii, viri de litteris omnique eruditione meritissimi, recolet Ern. Fr. Hoepfnerus, AA. LL. M. et Phil. D. cui id officium ab Ordine nostro impositum est. Is, sapiente Ernestii proposito exemplo, quum eos refutabit, qui in libris sacris solam grammaticam quam vocant interpretationem adhibendam censent, tum dicet adversus illos, qui se ad irrationalis doctrinae deliramenta, proprium ignorantiae atque inertiae perfugium, recipiunt. Ad eam orationem audiendam qua decet observantia invitamus RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, PRINCIPES CELSISSIMOS, COMITES ILLVSTRISSIMOS, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS, COMMILITONES GENEROSISSIMOS ET HVMANISSIMOS, speramusque eos hoc frequentius esse conventuros, quod quum orator is est, quem et ingenium et doctrina et vitae probitas maxime commendent, tum in Ernestio illae fuerunt virtutes coniunctae, quae aeternam conservari eius memoriam postulent. Nam si ea demum summa laus est doctorum, non tantum didicisse multa, sed discendo mentem animumque ad humanitatem veramque eruditionem excoluisse, itaque instructos publice privatimque monitis, exemplo, auctoritate, denique omni vita prodesse, haud facile nostra patrumque nostrorum memoria invenias, quem vel dum viveret illustriorem fuisse Ernestio, vel post obitum per eos quos formasset magis immortalem exstitisse dicas.

P. P. Domin. XVI. p. F. SS. Trinit. a. cIↃIↃCCCXXVI.

ADNOTATIONES AD MEDEAM AB ELMSLEIO EDITAM.

PARS I.

(Diar. classic. fasc. XXXVIII. anno 1819 *).)

P. Elmsleivs, vir ingenii doctrinaeque laude florentissi- 325
mus, quum iam a. 1815 adnotationes in Medeam edidis- L
set, nunc etiam textum exhibuit, adiuncto commentario, qui praeter illas adnotationes hic illic auctas mutatasque etiam alias novas contineret. Propositum erat ei, ut, quum duplex editoris officium sit, alterum emendandi scriptoris, alterum interpretandi, interpretationem potissimum, quam Porsonus fere totam neglexisset, adnotationibus suis consectaretur: in qua re quum Valckenarii Marklandique exemplum sibi imitandum sumpsisset, concessum sibi existimavit, quod et illi et alii fecissent, ut occasione data vel locos alios, quam de quibus ageretur, corrigeret atque explanaret, vel quidquid non nimis ab instituto alienum videretur, adiiceret. Praesidia ad emendationem poëtae habuit nonnulla, quibus aut caruit, aut non usus est Porsonus, codices quinque Vaticanos, totidem Parisi- 268
nos, aliosque libros, quorum accurata descriptio subiecta

*) Huius paginarum numeri in margine adiecti, item editionis Lipsiensis, quibus subscriptum L.

est praefationi. Adnotatione fere omni iam typis descripta, scholia ad eum perlata sunt, quae A. Matthiae edidit: ex quibus quum intellexisset, partem telae sibi retexendam esse, aliis negotiis praepeditus, id se alio fortassis tempore facturum ait. De hac igitur editione sententiam nostram dicere sic decrevimus, ut quum universe, quid nobis de P. Elmsleii opera videretur, exponeremus, tum iudicium nostrum exemplis, quantum quidem in hac quae nobis concessa esset spatii brevitate fieri posset, confirmaremus.

Ac laudamus diligentiam, qua editor diversitatem scripturae etiam in minutissimis rebus indicavit; qui ut molestissimus labor sit ei, qui eum in se recepit, at utilissimus saepe est utentibus eo. Laudamus etiam curam
326 in explicatione verborum et rerum grammaticarum adhibi-
L tam, gratique accipimus emendationes aliorum quam Medeae locorum copiosissimas. Non diffitemur tamen, universam hanc rationem adnotationum, licet illustrissimorum virorum exemplis monstratam, non ex omni parte nobis probari, ut quibus interpres ea tantum videatur afferre debere, quae ad id ipsum, ut intelligatur scriptor, aliquid conferant. Ea sunt autem, primo verborum significationes et constructionum rationes, deinde mens et sententia scriptoris, ad quam, in poeta potissimum, etiam illud pertinet, ut quae apte, venuste, graviter dicta sint, vel etiam quae incommode, ostendantur; tum historiarum omnisque rei antiquariae explanatio; denique iudicium de toto opere, eiusque compositione, ac virtutibus vitiisve. Non requirimus, ut quis haec simul omnia complectatur: immo bene scimus, alias alio fine institui scriptorum editiones: sed quemcumque quis sibi finem proposuerit, ad eum quae non pertinent, omittenda potius, etiam si utilissima sint, censemus. Nihil enim nisi morantur lectorem, quem consentaneum est intelligendi scriptoris caussa commentarios legere. Nunc si de rebus alienis in commentariis scriptum est, non tam hi scriptoris caussa facti esse, quam scriptor, ut commentarius scribi potuerit,

editus videtur. Quamobrem nostra quidem sententia huiusmodi res alienae aut iis locis, in quibus apte afferuntur, reservandae, aut peculiari aliquo variarum observationum libello comprehendendae sunt. Locis enim non suis positae onerant commentarios, et pro elegantia, qua aliter placituri essent, molestos eos ad legendum reddunt. Vellemus Elmsleius hac in re Porsonum imitatus esset, qui 269
quum plurima dare posset, tamen ea tantum, quae ad rem pertinerent, afferenda iudicavit: unde quis est, qui eius adnotationes non maxima cum voluptate legat? Numeramus autem in his, quae nobis aliena videntur, etiam aliquot obiter allatas emendationes, quae partim quod brevissime indicatae sunt, lectori rationes requirenti molestiam creant, partim ex tempore fusae videntur, ut p. 86. ubi Aeschyli locum in Choephoris parum pensitata coniectura tentatum videmus. Praeter illa vero, quae aliena sunt et nihil ad rem faciunt, haud pauca sunt in Elmsleii commentario, quae propterea mallemus omissa esse, quia pervulgata sunt, et nemini ignota: qualia multis exemplis communiri quid opus est?

Contra sunt etiam, quae omissa aegre feramus. Nam quum totus fere commentarius in rebus grammaticis versetur, quas quidem opinamur propterea afferri, ut mens scriptoris intelligatur, id ipsum Editor doctissimus aliquanto, quam debebat, minus curasse nobis videtur. Neque enim dubitamus, si id potius egisset, ut sententiam scriptoris in quoque loco diligenter explanaret, nonnulla eum additurum fuisse, quae non dixit, aut aliter quam dixit, 327
propositurum. Haec autem sententiarum in quoque loco L
diligens consideratio, quam saepius ab eo neglectam videmus, monet, ut de eo dicamus, in quo omnium maxime a viro praestantissimo dissentimus. Quamquam enim maximopere laudandam putamus sagacitatem illam ac diligentiam, qua ad res grammaticas, quae alicui dubitationi possint obnoxiae esse, attendere solet: tamen rationem illam, qua in inveniendis et constituendis regulis grammaticis uti consuevit, nullo pacto probamus, immo, ut li-

bere profiteamur, tanto censemus damnosiorem et perniciosiorem esse, quod iam esse quosdam videmus, qui quod non ita pridem in Porsono faciebant, ut, quidquid is dixisset, ipsa veritate verius haberent, id nunc idem in Elmsleio facere incipiant. Leges habere Graecam linguam quis negabit? At non minus certum est, nullam esse linguam, quae liberior sit et maiorem in formandis vel ipsis verbis vel eorum constructionibus varietatem admittat. Quo maior iis, qui hanc tam infinitam copiam explicare studeant, cautio adhibenda est, ne regulas confingant, quas mox appareat non satis certo fundamento niti. Sed, ut ingenue fateamur, videtur nobis vir doctissimus prorsus vestigia sequi Atticistarum, quos constat
270 exiguo numero exemplorum adductos regulas condidisse, quas postea diligentior pervestigatio aut plane falsas, aut certis tantum conditionibus veras esse intellexit: ut dubitemus, an non satis exploratum habeat, quid sit illud, quod regulam dicimus: quae non est fortuita aliquot exemplorum consensio, sed necessaria parilitas. Atqui necessarium nihil est, nisi quod habet certam rationem, quare sic sit, ut est, neque aliter. Haec ratio in rebus grammaticis pro diversa earum natura diversa est. Est autem triplex: prima, quae solo usu continetur: eaque in his tantum rebus locum habet, in quibus, cur quid ita sit, nulla omnino praeter experientiam caussa inveniri potest, ut cur *ναὶ* non significet *οὔ;* secunda, quum quale quid sit, ex eo cognoscendum est, quod alia linguae lex, unde illud pendet, verum aut falsum esse docet: cuiusmodi est *ἀμπλακεῖν* et *ἀμπλάκημα* dixisse Graecos, ubi prima syllaba longa est. Nam quod Elmsleio p. 100. una cum aliis placet, etiam producta prima syllaba *ἀπλακεῖν* et *ἀπλάκημα* dictum esse, id nulla auctoritas vincet, ne barbarum, et non minus barbarum esse contendamus, quam si quis nobis *ἀβλὴν* et *ἀβροσίαν* vellet obtrudere. Tertia denique ratio, quae in significationibus maxime vocabulorum et varia constructionum potestate cernitur, ea est, quae fontem habet iustam quum ipsorum vocabulorum interpretationem, tum accuratam locorum, in quibus in-

veniuntur, contemplationem, unde apparere necesse est, cur quid aut nequeat dici, aut posse dici censendum sit. Hoc enim nisi quis doceat, ne centena quidem exempla unum, quod illis repugnet, convellere poterunt. Ad haec igitur quum Elmsleius non satis attendisse videatur, 328
non est mirum, multas ab eo regulas afferri, quas certo L
scimus ipsum aliquando improbaturum esse.

Sed convertamus nos ad singula, ut, quae diximus, exemplis comprobemus. Afferemus autem talia potissimum, in quibus dissentimus ab Editore clarissimo, non quo reprehendere velimus virum, quem maximi facimus, sed quia censuram, quae nihil aliud quam liber ipse, cuius ea censura est, contineat, inutilem esse existimamus. Sed ne hinc illinc decerpendo cupide quaesivisse dissentiendi materiam videamur, consistemus in adnotationibus ad argumentum fabulae eiusque prologum.

Incipit liber doctis observationibus ad argumentum Medeae a scholiastis scriptum. In his illud mirati sumus, quod vir doctissimus p. **67.** ubi, quod in scholiis ad v. **20.** de Medea scriptum est, affert, *ὅτι δὲ ἐβασίλευσε Κορίνθου, ἱστοροῦσιν Εὔμηλος καὶ Σιμωνίδης, λέγων* 271
οὕτως· οὐδὲ κατ᾽ εἰς Κόρινθον, οὐ Μαγνησίαν ναῖεν, ἀλόχου δὲ Κολχίδος συνάστεος Θράνου Λεχαίου τ᾽ ἄνασσε, non modo non adnotavit, quae Eumelus narraverat, ex eo scriptore relata esse a Pausania II. **3**, **8**. quin partem ipsorum Eumeli de hac re versuum exstare apud schol. Pind. Ol. XIII. **75**. Tzetzen ad Lycophr. **174**. qui eos etiam ad v. **1024**. respicit, et in Catal. Bibl. Matrit. p. **263**. tractatosque esse ab Ruhnkenio Ep. crit. II. p. **221**. s. sed etiam quod Simonidis verba sic scribenda esse coniecit, *Κόρινθον δὲ ναῖεν, οὐδ᾽ ἵκετ᾽ ἐς Μαγνησίαν· ἀλόχου δὲ Κολχίδος συνέστιος, Θράνου Λεχαίου τ᾽ ἄνασσε*. Ingeniosam esse hanc coniecturam quis neget? Sed quis non etiam fateatur audaciorem esse, quam ut ita scripsisse Simonidem credibile sit? Nos quidem etsi scimus quam periculosum sit, tam brevia fragmenta, si gravius

corrupta sint, emendare, tamen ita potius scripsisse Simonidem coniicimus: *ὁ δὲ χαρεὶς Κόρινθον, οὐ Μαγνησίαν, ναῖεν, ἀλόχου δὲ Κολχίδος συννάστιος, Θράνου Λεχαίου τ' ἄνασσε.* Thrani nomen ignotum geographis.

Quae mox p. 68. dicit Elmsleius, scribendum esse in argumento Medeae, *τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι παρὰ Νεόφρονος διασκευάσας,* in hoc, ut in omnibus iis, quae accurate de hac re disseruit, neminem fore putamus, qui ab eo dissentiat.

P. 69. observat ad verba scholiastae *παρ' οὐδετέρῳ κεῖται ἡ μυθοποιΐα*, Scaligerum scribere *παρ' οὐδενί*, ut in argumento Orestis legitur. Dein, "nostro loco," inquit, "exspectasses, *παρὰ Νεόφρονι κεῖται ἡ μυθοποιΐα*:" similiaque affert ex argumento Baccharum et Philoctetae. Non inutile fuisset admonere, illud *παρ' οὐδετέρῳ* de Aeschylo et Sophocle intelligendum esse. Nam qui ista argumenta scripsit, Thomas M. sive alius supparis aevi grammaticus, eos tantum, qui adhuc superstites sunt, tres tragicos norat. De horum duobus ergo illud
329 *παρ' οὐδετέρῳ* intelligendum: ac vereor ne idem etiam
L in Orestis argumento reponendum sit.

Quae sequitur pagina, ea quum alia recte exposuit vir doctissimus, tum illud, has quattuor Euripidis fabulas, Medeam, Hippolytum, Alcestidem, Heraclidas, caeteris antiquiores videri, quod numeros haberent severiores et puriores, quam reliquae, quarum aliae alias negligentia superent, ut Orestes Hecubam. In subiecta adnotatione, "melius," inquit, "de ea re iudicare possemus, si pauciores essent Euripidis tragoediae, quarum aetas nobis prorsus ignota esset." Nobis quidem minime dubia vide-
272 tur haec ratio tempora tragoediarum ex scribendi incuria constituendi. Nam nos, qui hoc primi observavimus, quum ante hos XII. annos, caussam tantae tragoediarum dissimilitudinis cognoscere cupientes, omnes, quae hodie exstant, Graecorum tragoedias intra paucos dies in id

unum intenti perlegeremus, ad singulas, quae melior, quae peior videretur, adnotavimus: quae iudicia quum deinde conferremus cum historicis, quae quidem in promptu essent, argumentis, nullam vidimus negligenter scriptam fabulam priorem esse Olympiade LXXXIX. nullam autem accurate scriptam ea Olympiade posteriorem, sed quo quaeque recentior esset illo tempore, eo plura et maiora continere incuriae documenta. Vnde iure nobis videmur collegisse, etiam de illarum tragoediarum temporibus iudicari posse, quae quando editae essent aliunde non constaret. Neque ad hunc usque diem quidquam se nobis obtulit, quo non confirmari eam opinionem animadverterimus. Et illae quidem quattuor, quas Elmsleius nominavit fabulas, in nostris quoque Adversariis ut antiquae et purae notatae sunt. Nec minus de Hecuba et Oreste cum eo consentimus. Meminerint vero lectores, caute in hoc genere procedendum esse in iis fabulis, quae caeteroquin purae, hic illic tantum negligenter scriptae videntur, ut Alcestis, quam putamus bis editam esse, et iterum quidem eo tempore, quo iam irrepserat ista incuria.

Ingeniose deinde disputat Elmsleius de eo, quod in argumentis adnotari solet, *οὐ σώζεται*, deque numero fabularum Euripidis. Sed redeunt haec ad coniecturas, in quibus multa non possunt non incerta manere. Vnum notabimus, in quo, licet non omnino sua culpa, erravit vir doctissimus. Nam quod in vita Aeschyli scriptum est, fecisse Aeschylum *δράματα σατυρικὰ ἀμφὶ τὰ πέντε*, sic putat intelligendum, non amplius quinque servatas fuisse satyricas fabulas. At de tam exiguo numero non ita dubitanter loquutus esset scriptor iste. Vexavit et fefellit hic locus etiam Boeckhium in libro, quem scripsit de tragicis Graecis, p. 27. Longe aliud quid, sed illud aperte verum duo codices, quos ipsi inspeximus, praebent: *καὶ ἐπὶ τούτοις σατυρικὰ ἀμφίβολα πέντε*.

Ad titulum Medeae docte disseruit Elmsleius de ver- 330
sibus quibusdam, qui ex Medea Euripidis citantur, quum L

tamen non exstent in ea fabula; affertque quum alia utilia, tum illud, et veteribus saepe accidisse, et recentioribus,
273 ut alios ac volebant auctores librosve nominarent. Et ita lusit casus, ut ipsi id in ea adnotatione accideret, p. 74. Aristophanem pro Euripide dicenti.

Veniamus vero ad ipsum Euripidis textum. Et statim ad v. 2. ubi *Ξυμπληγάδας* cum Brunckio edidit, de illo *ξὺν* ubicumque metrum ferat reponendo pauca affert, adiecta longa enumeratione locorum Medeae, in quibus Aldus et Lascaris vel *ξὺν* vel *σὺν* exhibuerint. Vellemus nos quidem magnopere, desinerent critici talia contra libros mutare. Tragicos sibi in hac re non constitisse, nec regulam aliquam, sed quod in quoque loco auribus magis blandiretur, vel usitatius esset, sequutos esse, ut metrum, ita rei ipsius natura docet. Similia in Virgilio adnotavit A. Gellius. Omnino autem cogitare debemus, multo facilius huiusmodi constantiam in Thucydidem, quam in tragicos cadere, siquidem hic uno utitur dicendi genere, quod illo tempore in usu erat, tragici autem dictionem usurpant ex patrii sermonis certo temperamento atque epicorum et lyricorum usu compositam, in qua multa sunt, quae eo ipso, quod non sunt Attica, poetica habentur. Quis hodie a poetis exigat, ut huiusmodi in rebus sibi constent? Et tamen antiquos illos, ut morosi ludimagistri pueros, castigamus, quod quae nos scilicet eos observasse volumus non observarint. Simile praeceptum est de praepositione *ἐς* et *εἰς*, de qua dixit Elmsleius ad v. 55. quo in genere utilius fuerat, quaerere, quibus in formulis altera forma magis usitata fuisset, quam constantiam poetae obtrudere nimis profecto dubiam. Vellemus vir doctissimus in his tam recto et prudenti iudicio usus esset, ut ad v. 88. ubi egregie de usu formarum communium et poeticarum disseruit.

Ad v. 4. 5. haec scripta legimus: "*Mallem μήτ' ἐρετμῶσαι*, inquit Brunckius. Male. *Μήτε* post *μὴ* vel *μηδὲ* soloecum est. Negant hoc, sed frustra negant,

mea quidem sententia, Hermannus ad Sophoclis Ai. 423. (428.) Reisigius in Aristoph. I. p. 189. Citat Matthiae Gramm. Gr. §. 602. Thucydidem III. 48. *καὶ μηδὲ οἴκτῳ πλέον νείμαντες, μήτε ἐπιεικείᾳ.* Vbi *μήτε οἴκτῳ* habent omnes fere codices scripti, et primae quattuor editiones. Sed huiusmodi errores etiam contra librorum consensum tollendi sunt. Vide ad v. 1213. 1323." In Thucydidis loco *μήτε* scribendum esse, non est dubium. In censuris Edinburgensibus, quarum auctoritatem Elmsleius ad Aiacis locum affert, quid aut a quo scriptum sit, nescimus: sed idem est, proferre falsam regulam, et 274
prolatam sequi. Putamus autem luculentissime in hoc
exemplo ostendi posse, quid sit illud, quod supra in P. 331
Elmsleii regulis grammaticis reprehendimus. Soloecum L
est, inquit, *οὔτε* post *οὐ*, *μήτε* post *μή*. Nihil continet haec regula, quod non pridem notum fuerit omnibus, qui Graeca bene didicerant. Satis habeo Im. Bekkerum commemorare, qui multa huius generis vitia in Theognide sustulit. Nec profecto Elmsleium quisquam vituperabit, si idem fecit. At quod id propter regulam facit, quae falsa est, id vero non possumus non improbare. Dupliciter autem falsa est ista regula. Nam primo, si post *οὐ* et *μὴ* non potest *οὔτε* et *μήτε* dici, potest autem *οὐδέ* et *μηδέ*, luce clarius est caussam huius rei non esse in praegresso isto *οὐ* vel *μή*, sed in diversa significatione particularum *οὔτε* et *οὐδέ*, *μήτε* et *μηδέ*. Deinde etiam si non praecessit *οὐ* vel *μή*, non *οὔτε* et *μήτε*, sed *οὐδέ* et *μηδέ* dicitur: *ἐκ δέ μοι ἔγχος ἠΐχθη παλάμηφιν ἐτώσιον, οὐδ' ἔβαλόν μιν· θάρσει, Δαρδανίδη Πρίαμε, φρεσί, μηδέ τι τάρβει.* Vt mirandum sit, a F. A. Wolfio in Odyss. *β*. 82. servatam esse vulgatam scripturam, quae aperte falsa est: *ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἀκὴν ἔσαν, οὔτε τις ἔτλη Τηλέμαχον μύθοισιν ἀμείψασθαι χαλεποῖσιν:* compara Iliad. *δ*. 22. 429. *ϑ*. 459. Itaque nullo modo propter praegressum *οὐ* vel *μή*, sed propter suam ipsarum naturam particulae *οὔτε* et *μήτε* certis in locis poni nequeunt. Hoc ergo ostendendum erat, quae esset illa harum particularum natura, quae eas non ubique poni

pateretur; non autem ratio afferenda, quae neque esset ulla, nec posset esse. Falsa vero regulae ratio hoc duplex damnum affert, quod neque intelligi potest regula, et transfertur ad ea, ad quae adhiberi non potest. Quod si *οὐ* et *μὴ* non sunt in caussa, quare *οὔτε* et *μήτε* sequi nequeat, quomodo vincet vir doctissimus, nusquam eas particulas iungi posse? Sed ne hanc quaestionem ita in suspenso relinquamus, age, ipsi paucis hunc locum grammatices explicemus.

Apertum est autem, rem omnem a vi particularum *τὲ* et *δὲ* repetendam esse. *Καὶ* particula est coniunctiva; *τὲ* adiunctiva; *δὲ* disiunctiva. *Ἐγὼ καὶ σὺ πορευόμθα* est, *ego et tu imus:* quo indicatur coniunctos ire duos, et instar unius habendos esse, i. e. unum par. Ita dicitur *Castor et Pollux*, i. e. Dioscuri. *Ἐγὼ σύ τε πορευόμεθα* est *ego tuque imus;* quod qui dicit, se ire significat, altero comitante quidem, sed ita, ut, etiam si non comitaretur, ipse nihilominus iturus esset. Sic dicitur *Senatus Populusque Romanorum:* non enim con-
275 iuncti in unam communitatem intelliguntur, sed senatum censuisse, idque populum deinde approbavisse. Nemo vero dicet *ἐγὼ σὺ δὲ πορευόμεθα*, quia disiunctiva particula repugnat, ubi quid a coniunctis fieri dicendum est. Contra recte dictum est, *ὦ πολλὰ μὲν τάλαινα, πολλὰ δ' αὖ σοφὴ γύναι:* nam quum commune sit hoc, quod multum est, disiungitur id in diversas sibique oppositas
332 partes, miseriam et scientiam. Apparet autem inepte di-
L cturum, qui si miseriam et sapientiam coniunctas dicere vellet, ita diceret, *πολλὰ τάλαινα, πολλά τε σοφή:* non enim sapientiam adiungeret miseriae, sed copiae notionem eidem notioni adnecteret, quod absurdum est. Quare semper in huiusmodi repetitione eiusdem notionis, aliud, quo in diversas partes disiungatur, additum habentis, *δὲ* usurpari videmus, quum quidem illa notio pro communi partium nota est *). Aliter minime. Sic quod apud Ho-

*) Itaque in Aiace v. 378. recte se habet vulgata scriptura, *ἰὼ πάνθ' ὁρῶν, ἅπάντων τ' ἀεὶ κακῶν ὄργανον.*

merum est, *πολλὰ δ' ἄναντα, κάταντα, πάραντά τε, δόχμιά τ' ἦλθον*, si communem voles notionem esse multitudinis, dicendum erit, *πολλὰ ἄναντα, πολλὰ δὲ κάταντα, πολλὰ δὲ πάραντα, πολλὰ δὲ δόχμια;* sin minus, necessario dices, *πολλὰ ἄναντα, κάταντά τε πολλὰ, πάραντά τε πολλὰ, δόχμιά τε πολλά.* Redeamus nunc ad *οὔτε* et *μήτε*. Atque apparebit iam, opinor, non eas particulas omnino, sed certa tantum conditione non posse post *οὐ* et *μὴ* poni. Etenim ubi coniuncta in unum cogitari volumus, quorum communis sit negatio, diversa autem ea, quae negantur, ibi necessario *οὐδέ* et *μηδέ* dicendum est. Absurdum foret enim, negationem cum negatione, i. e. idem secum ipso in unum coniungi. Dividi vero in partes, quod unum est, recte potest: cui rei inservit disiunctiva particula *δέ*. Fac enim vel maxime natura sua coniuncta esse, quae sic enunciantur, e. c. hoc Theognidis v. 425. *πάντων μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον, μηδ' ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου·* aut illud eiusdem v. 1214. *ἀργαλέη δ' οὐκ ἔπι δουλοσύνη, οὐδ' ἡμᾶς περνᾶσι·* tamen ineptum quid et absurdum habebis ubi *μήτε* et *οὔτε* posueris, idque tanto magis, quo illa sunt magis similia. Hoc enim dices: *optimum est, natum non esse, praetereaque lucem non videre: non adest servitus, praetereaque non vendunt nos.* Clare intelligetur discrimen, ubi copulam ab negatione removeris. Recte enim iam dices, *μὴ φῦναι, μὴ ἐσιδεῖν τε αὐγὰς ἠλίου· οὐκ ἔπι δουλοσύνη, οὐ περνᾶσί τε ἡμᾶς.* Vt hic ineptum foret *δέ*, quia haec adiuncta sibi, non disiuncta sunt, ita ineptum est *οὔτε* et *μήτε*, quia adiungit idem eidem. Nam illud est, *aio non servire et non vendi;* hoc autem, *nego servitutem et nego venditionem*, quod est discreta seorsum negantis, 276
non coniuncta negantis simul. Similis ratio est, ubi nulla negatio praecessit. Nam quum negativa sententia natura sua opposita sit sententiae affirmativae, non potest coniungi cum ea, sed disiungenda est. Remove particulam *τε* a negatione, quo facto habebis duas affirmativas sententias, et recte ea utere: ut in illis Homericis, quae supra attuli-

mus: *ἐκ δέ μοι ἔγχος ἠΐχθη παλάμηφιν ἐτώσιον, οὐκ ἔβαλόν τέ μιν· θάρσει, μὴ τάρβει τε.* Vtrumque recte dices etiam sic, *καὶ οὐκ ἔβαλόν μιν· καὶ μὴ τάρβει.* Tantumdem est enim atque *ἥμαρτόν τε,* et *εὔθυμος ἴσθι.* Sed pone *δὲ* in sententia affirmativa, et senties repugnare: *ἔγχος ἠΐχθη ἐτώσιον, ἥμαρτον δέ· θάρσει, μὴ*
333 *τάρβει δέ.* Eadem vero ratione, qua negativa sententia
L affirmativae opposita *δὲ* requirit, etiam affirmativa, si negativae opponitur, hanc sibi particulam vindicat: *οὐκ ἔτυχον, ἥμαρτον δέ· μὴ τάρβει, θάρσει δέ.*

Hactenus quae attulimus, iis hoc nos putamus effecisse, ut regulam istam non ita exprimi debuisse appareat, *οὔτε* et *μήτε* non post *οὐ* et *μὴ* poni. Iam vero ostendamus, etiam eo falsam esse eam regulam, quod negat fieri, quae est ubi recte fiant. Nolo talia commemorare, quale hoc Theognidis est v. 535. *οὔ ποτε δουλείη κεφαλὴ ἰθεῖα πέφυκεν, ἀλλ' αἰεὶ σκολίη, καὐχένα λοξὸν ἔχει· οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐδ' ὑάκινθος, οὔτε ποτ' ἐκ δούλης τέκνον ἐλευθέριον:* quamquam haec quoque regulae isti repugnant. Sed utar aliis. Est autem haec duplex ratio. Ac primo recte ponitur *οὔτε* et *μήτε* post *οὐ* et *μὴ*, ubi *οὐ* et *μὴ* pro *οὔτε* et *μήτε* dictum est *). In huiusmodi enim locis non additur negatio negationi, sed una negatio distinguitur in partes. *Οὔτε ἀνὴρ, οὔτε γυνὴ* nemo negabit recte dici. *Οὐκ ἀνὴρ, οὔτε γυνή*, si haec coniuncta cogitari volumus, perperam dici ex iis, quae supra disputavimus, sequitur. At idem ubi sic dicitur, ut *οὐ* pro *οὔτε* sit, quod quum fit, aliter pronunciari haec verba debent, quam quum dicitur *οὐκ ἀνὴρ, οὐδὲ γυνή*, recte iunguntur istae particulae. Quis nescit illud: *ἐπεὶ οὐ ἔθεν ἐστὶ χερείων οὐ δέμας, οὐδὲ φυήν, οὔτ' ἄρ φρένας, οὔτε τι ἔργα?* Illa, *οὐδὲ φυήν*, ad *οὐ δέμας*

*). De eadem re iterum infra ad v. 1319. 1321. Vide etiam ad Soph. Electr. 1404.

adiecta sunt cum oppositione quadam: haec vero, *οὐ δέμας, οὔτε φρένας, οὔτε ἔργα*, distinguuntur ut partes, quarum communis est negatio. Aeschylus Pers. 586. *τοὶ δ' ἀνὰ γᾶν Ἀσίαν δὴν οὐκ ἔτι περσονομοῦνται. οὐκ ἔτι δασμοφοροῦσιν δεσποσύνοισιν ἀνάγκαις, οὔτ' ἐς γᾶν προπιτνοῦντες ἄρξονται·* Heathius (iam hic enim regulam istam norat) scribi volebat *οὐδ' ἐς γᾶν*, quod in nullo libro est. Homerus Od. *δ*. 566. *οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἄρ χειμὼν πολὺς, οὔτε πότ' ὄμβρος:* quod 277
Iosephus de B. I. II. 8. p. 165. apte citatus a Windeto, cuius notitiam debemus doctissimo Barkero in Recreationibus Classicis p. 348. ex illo ipso Homeri loco ita expressit: *χῶρον οὔτε ὄμβροις, οὔτε νιφετοῖς, οὔτε καύμασι βαρυνόμενον.* Odyss. *ι*. 136. *ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος, ἵν' οὐ χρεὼ πείσματός ἐστιν, οὔτ' εὐνὰς βαλέειν, οὔτε πρυμνήσι' ἀνάψαι.* Ac ponitur etiam *οὔτε* et *μήτε* omisso *οὐ* vel *μή*, quod quidem pro *οὔτε* et *μήτε* sit. Aeschylus Choeph. 292. *δέχεσθαι δ' οὔτε συλλύειν τινά.* Isaeus de Philoctemonis hered. p. 132. ed. Reisk. *παραδοῦναι οὔτε λαβεῖν ἠθέλησαν.* Et p. 147. *ἐκεῖ μὲν γάρ ἐστι, νόθῳ μήτε νόθῃ εἶναι ἀγχίστειαν μήθ' ἱερῶν μήθ' ὁσίων.* Sic scribendum videtur pro *μηδὲ νόθῃ*. Admodum libere enim particulas huiusmodi tractat lingua Graecorum. In his quidem particulis rariora sunt haec, alterum *οὔτε* plane omissum apud Aeschylum Eumen. 502. vel *ὡς δ' οὕτως* pro eo positum apud Theognidem 334
v. 1159. 1270. Ac *δὲ* quidem saepius infertur, ut Iliad. L
η. 33. Intelliget iam, ut opinor, vir doctissimus, cur in Aiacis loco, quem in adnotatione sua attigit, servandum esse *οὔτε* contenderimus. Non minus *μήτε* servandum videtur in Sophoclis Oed. Col. 495. *λείπομαι γὰρ ἐν τῷ μὴ δύνασθαι μήθ' ὁρᾶν, δυοῖν κακοῖν.* Vbi si *μὴ* pro *μήτε* dictum accipimus, recte se habet, quod sequitur, *μήτε*. Apertum est autem, tum esse coniunctim pronunciandum *μὴ δύνασθαι μήθ' ὁρᾶν;* sin *μηδὲ* scribimus, divisim, *μὴ δύνασθαι, μηδ' ὁρᾶν*. Huiusmodi autem multi loci sunt. Hesiodus O. et D. 188. *οὐδέ τις εὐόρκου χάρις ἔσσεται, οὔτε δικαίου, οὔτ' ἀγαθοῦ*. Potuit sic,

potuit vero etiam, ut apud Stobaeum legitur, *οὐδὲ δικαίου, οὐδ' ἀγαθοῦ*, si divisim ut diversa, non ut copulata et partes unius proferri voluit. Theognis v. 1. *οὔποτε σεῖο λήσομαι ἀρχόμενος, οὐδ' ἀναπαυόμενος.* Potuit *οὔτε* scribere, si vel *οὔποτε* pro *οὔτε ποτὲ* dixit, vel *οὔτε* ante *ἀρχόμενος* intelligi voluit. Pariterque v. 125. *οὐ γὰρ ἂν εἰδείης ἀνδρὸς νόον οὔτε γυναικός*: ubi Bekkerus *οὐδὲ* dedit, ut est apud Aristotelem Eth. Eudem. VII. 2. In Sophoclis Oed. R. 817. — *ᾧ μὴ ξένων ἔξεστι, μηδ' ἀστῶν τινὰ δόμοις δέχεσθαι, μηδὲ προσφωνεῖν τινά*, alii habent *μήτ' ἀστῶν τινά*, recte, si *μὴ ξένων* pro *μήτε ξένων* dictum. Eodem modo defendi potest hoc v. 824. *καί μοι φυγόντι μή 'στι τοὺς ἐμοὺς ἰδεῖν, μήτ' ἐμβατεύειν πατρίδος.* In Oed. Col. 731. *ὃν μήτ' ὀκνεῖτε, μήτ' ἀφῆτ' ἔπος κακόν*, nonnulli libri, *ὃν μήποτ'*. Quod si quis *ὃν μήποτ' ὀκνεῖν* scribendum putabit, recte habebit oratio, dum illud pro *μήτε ποτὲ* accipiatur.

278 Sed dicatur iam de altera ratione. Ac videndum erat his, qui *οὔτε* post *οὐ* poni posse negant, ne cogitari posset eiusmodi conformatio sententiarum, qua etiam necessaria redderetur istarum particularum coniunctio. Notum esse putamus iis, qui accuratiorem habent Graecae linguae scientiam, id quod supra dicebamus, particulam *τε* usurpari, ubi quid adnectitur, quod ad rem, de qua sermo est, non pertinet, neque cum ea cohaeret. Pleni exemplorum sunt praeter Homerum historici. Thucydides I. 25. *ἐλθόντες δὲ οἱ Ἐπιδάμνιοι ἐς τὴν Κόρινθον, κατὰ τὸ μαντεῖον παρέδοσαν τὴν ἀποικίαν, τόν τε οἰκιστὴν ἀποδεικνύντες σφῶν ἐκ Κορίνθου ὄντα, καὶ τὸ χρηστήριον δηλοῦντες· ἐδέοντό τε μὴ σφᾶς περιορᾶν διαφθειρομένους:* i. e. *praetereaque orabant.* Nullo modo poterat *ἐδέοντο δὲ* dicere: quod si fecisset, aut hoc, auxilium petere legatos, ut rem primariam commemorasset: *orabant autem*; aut utrumque, quod fecisse legatos dicit, in unum coniunxisset, divisissetque in duas partes sibi ipsis adversantes; *παρέδοσαν (μὲν) τὴν ἀποι-*

κίαν, ἐδέοντο δέ: quod propter rem ipsam hic facere non licebat. Fac iam, utramque sententiam negativam esse: quomodo iungi eas voles? utrumne per δέ, quo vidimus iungi non posse, an per τέ, qua particula iungi335
necessario debent? Hoc vero, opinor. Itaque si negasset L
Thucydides, quae nunc affirmat, sic scribere debuisset: ἐλθόντες δὲ οἱ Ἐπιδάμνιοι ἐς τὴν Κόρινθον, οὐ παρέδοσαν τὴν ἀποικίαν· οὔτε ἐδέοντο μὴ σφᾶς περιορᾶν διαφθειρομένους. Et profecto ita loquuti sunt. Afferamus primo dubia quaedam exempla. Hesiodus O. et D. 184. μέμψονται δ' ἄρα τοὺς χαλεποῖς βάζοντες ἔπεσσιν, σχέτλιοι, οὐδὲ θεῶν ὄπιν εἰδότες· οὔτε μὲν οἵγε γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν. Sic aliquot codd. in iisque Vitebergensis. Alii οὐδὲ μέν. Homerus Iliad. χ. 265. ὣς οὐκ ἔστ' ἐμὲ καὶ σὲ φιλήμεναι· οὔτε τι νῶϊν ὅρκια ἔσσονται. Hoc servavit Wolfius etiam in novissima editione. Aliquot libri οὐδέ. Certiora sunt haec: Odyss. ι. 146. ἔνθ' οὔτις τὴν νῆσον ἐσέδρακεν ὀφθαλμοῖσιν· οὔτ' οὖν κύματα μακρὰ κυλινδόμενα προτὶ χέρσον εἰσίδομεν. Et ibidem v. 119. οὐ μὲν γὰρ πάτος ἀνθρώπων ἀπερύκει· οὐδέ μιν εἰσοιχνεῦσι κυνηγέται, οἵτε καθ' ὕλην ἄλγεα πάσχουσιν, κορυφὰς ὀρέων ἐφέποντες· οὔτ' ἄρα ποίμνησιν καταΐσχεται, οὔτ' ἀρότοισιν. Iliad. χ. 199. ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν, οὔτ' ἄρ' ὃ τὸν δύναται ὑποφεύγειν, οὔθ' ὃ διώκειν. Atque in huiusmodi locis, in quibus οὔτε — οὔτε est, erunt fortasse, qui sententiam explicationis caussa sine copula adiectam putabunt: sed his accurata observatio sermonis Ho-279
merici meliorem viam monstrare poterit *). Caeterum illud οὔτε — οὔτε saepe etiam affirmativae sententiae adiicitur, ut Iliad. α. 490. β. 203. ρ. 357. Hesiod. O. et D. 663. Sed redeamus ad οὔτε post οὐ positum. Et quaedam quidem ex illis quae attulimus exemplis certa sunt, minimeque dubia. Sed considerabimus pauca ex illis, quae Wer-

*) Hoc non dicere debebam. Pertinent enim illa vere ad additamenta explicationi inservientia, quod genus late patet, magnamque habet varietatem.

ferus attulit in Actis Monacens. T. I. p. 261. Mirum est hoc Herodoti I. 2. et 3. de Graecis Medeam regi Colchorum reddere nolentibus: *τοὺς δὲ ὑποκρίνασθαι, ὡς οὐδὲ ἐκεῖνοι Ἰοῦς τῆς Ἀργείης ἔδοσάν σφι δίκας τῆς ἁρπαγῆς, οὐδὲ ὧν αὐτοὶ δώσειν ἐκείνοισι, δευτέρῃ δὲ λέγουσι γενεῇ μετὰ ταῦτα Ἀλέξανδρον τὸν Πριάμου, ἀκηκοότα ταῦτα, ἐθελῆσαί οἱ ἐκ τῆς Ἑλλάδος δι' ἁρπαγῆς γενέσθαι γυναῖκα, ἐπιστάμενον πάντως ὅτι οὐ δώσει δίκας· οὔτε γὰρ ἐκείνους διδόναι.* Quis non pro *οὔτε* hic *οὐδέ*, pro geminato isto *οὐδὲ* autem *οὔτε* exspectet? Sed hoc quidem recte dictum est, etsi potuerat etiam per *οὔτε*. At etiam alterum, licet et Werferus *οὐδὲ* scribi voluerit, et Schaeferus id in textu posuerit, videtur defendi posse: defendendumque erit tanto magis, quo minus veri simile est, librarios insolens illud *οὔτε*, praesertim praegresso paucis ante versibus *οὐδὲ* in eadem formula, tam constanter hic exhibituros fuisse, ut *οὐδὲ* ex uno tantum codice adnotatum habeamus. Nobis quidem hic *οὔτε* egregie convenire videtur stilo Herodoti. Paullo ante bis dixerat *οὐδὲ*, ut relationem comparationemque duorum inter ipsa indicaret: *ne illos quidem satisfecisse; itaque ne se quidem satisfacturos.* Hinc iam, *οὔτε* dicens, abstinet a
336 L comparatione: quumque dicere velit, Medeae exemplo edoctum Alexandrum certo credidisse non repetitum iri Helenam, non opus habet afferre rationem (iam attulerat enim) sed satis ducit allatam repetere. Quae si non fuisset ante commemorata, dicere debebat, *οὐδὲ γὰρ ἐκείνους διδόναι*: *nam etiam illos non reddere.* Nunc vero mentionem eius tantummodo faciens, recte, quasi in parenthesi addit, *namque illos non reddere*, *οὔτε γὰρ ἐκείνους διδόναι.* Non minus recte se habet alius Herodoti locus III. 155. verba Zopyri continens, qui Babylonis capiendae caussa se ipse diris cruciatibus affecerat: *οὐκ ἔστι οὗτος ὠνὴρ ὅτι μὴ σύ, τῷ ἔστι δύναμις τοσαύτη ἐμὲ δὴ ὧδε διαθεῖναι· οὔτε τις ἀλλοτρίων, ὦ βασιλεῦ, τάδε ἔργασται, ἀλλ' αὐτὸς ἐγὼ ἐμεωυτόν.* Si *οὐδὲ* dixisset, sensus foret, ut paucis comprehendam, hic: *nemo hoc nisi tu fecisti; non vero per alium, sed per*

me ipsum. Nunc quum οὔτε dixerit, hoc ait: *tu hoc fecisti, idque non per alium, sed per me ipsum.* Fi- 280
nem faciamus in loco Isocratis, quem Werferus attulit, in Panegyr. c. 29. (p. 62. Steph.) Purgat ibi orator cives suos propter supplicium Meliorum et Scionaeorum, cuius crudelitas ipsis vitio vertebatur. Ea in re his utitur verbis: ἔπειτ', εἰ μὲν ἄλλοι τινὲς τῶν αὐτῶν πραγμάτων πρεσβύτερον ἐπεμελήθησαν, εἰκότως ἂν ἡμῖν ἐπετιμῶεν· εἰ δὲ μήποτε τοῦτο γέγονε, μήθ' οἷόν τέ ἐστι τοσούτων πόλεων τὸ πλῆθος κρατεῖν, ἢν μή τις κολάζῃ τοὺς ἁμαρτάνοντας, πῶς οὐ δίκαιόν ἐστιν ἡμᾶς ἐπαινεῖν, οἵτινες ἐλαχίστοις χαλεπήναντες, πλεῖστον χρόνον τὴν ἀρχὴν κατασχεῖν ἠδυνήθημεν; Poterat quidem hic quoque μηδὲ dici: sed quis mutari librorum scripturam volet, qua nihil hic aptius fingi potest *)? Plane enim quo debet officio fungitur particula τέ, ut adnectat, quod ad rem ipsam non pertinet: argumentum enim oratoris hoc est: si alii mitiores fuissent, iure nos reprehendent: sed si numquam se tales praebuerunt, laudare nos debebunt. Quidquid ex illo μήτε pendet, fortuitum est et casu accedit, ut minime ad illos, qui reprehendunt, pertinens, sed ad solos spectans Athenienses: *sed si numquam se tales praebuerunt, praetereaque tanta civitatum multitudo coerceri sine poenis nequit, laudare nos debebunt.* Sed satis dictum videtur, ut ostenderemus, caecam esse regulam, quae numero, non vi exemplorum niteretur.

Ad v. 5. nonnulla attulit Elmsleius de formula χεῖρας ἐρετμῶσαι. Hic non debebat negligi, quod Ruhnkenius ad Orph. Arg. 360. (356) et nos ad Orphica p. 815. adnotavimus, Nonnum hac ex Euripide sumpta formula delectari. Omninoque non est Nonni imitatio negligenda interpreti Euripidis: quod si reputasset Monkius ad Alcest. 460. non repudiasset verissimam emendationem Scaligeri. Ad eumdem Medeae versum observat Elmsle-

*) At codex Vrbinas dedit εἰ δὲ μήτε τοῦτο γέγονε.

ius, Wakefieldium, Porsonum, Schaeferum *ἀνδρῶν ἀριστέων* scribendum censere, et, quum nonnulla de voce
337 *ἀριστεὺς* adiecisset, "nihil," inquit, "lenius hac conie-
L ctura, cui tamen obiici potest, quod aeque bene dicitur *ἀνδρῶν ἀρίστων*. *Ἀριστεὺς* quidem non usurpatur eo sensu, quo dicitur Med. 923. *ἀνδρός τ' ἀρίστου σοῦ τυχοῦσ' ὁμευνέτου*. Sed *optimates* non minus bene *ἄριστοι* quam *ἀριστῆς* appellantur." Mirum vero, virum doctissimum, qui ab exemplis, etiam ubi nihil exemplis efficitur, praesidium petere soleat, hic, ubi quam maxime opus erat exemplis, nulla attulisse. Recte illi, qui *ἀριστέων* scribendum contendunt. Nam hoc solum huic loco aptum est, quia de sola hic nobilitate sermo esse
281 potest. Etenim *ἄριστοι* ubi optimates intelliguntur, non proprie sunt optimates, sed, ut necesse est, praestantissimi. Quo autem in genere quisque sit praestantissimus, utrum natalibus, an corporis robore, an ingenio, an sapientia, loci cuiusque conditio ostendere debet. Quod si optimates hic intelligi volebat Elmsleius, demonstrandum ei erat, etiam ubi nihil additum esset, unde cognosceretur, qua re aliquis optimus esset, optimatem ita dici. Ad id autem exemplis opus erat; quae non putamus inveniri posse, nisi corrupta.

V. 12. Quum vulgo legeretur, *ἀνδάνουσα μὲν φυγῇ πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα*, Porsonus ex Brunckii coniectura *πολίταις* edidit. Vulgatam in constructione laborare putat Elmsleius, ut ad quam defendendam huiusmodi exempla proferri debeant, ut si Virgilius dixisset, *vestra est urbem quam statuo*. Itaque quod eos omnes, qui hunc locum tentarunt, fugisse ait, *φυγὴ* scribendum esse, id ipse in textu posuit, ut haec verba omnia in appositione essent ad illa, quae de Medea dicuntur, *κατῴκει τήνδε γῆν Κορινθίαν*. Cuiusmodi appositionem etsi exemplis quibusdam communire studet, tamen non persimilis iis est hic locus. Possemus hoc explicatius demonstrare: sed ne longi simus, durissimam hic monemus talem appositionem fore, quum propter alia, tum quia sta-

tim sequitur, *αὐτή τε*, non ad *φυγή*, sed ad Medeam spectans. Nobis, si quidquam, sincera videtur vulgata. Ipse Elmsleius quum simillimum attulerit exemplum ex Heracl. 67. *ἐγὼ δὲ τούσδε, κἂν σὺ μὴ θέλῃς, ἄξω κομίζων, οὔπερ εἰσ' Εὐρυσθέως*, i. e. *Εὐρυσθεῖ, οὔπερ εἰσι*, vel, *οὔπερ εἰσ' Εὐρυσθέως, τούτῳ*· si Medeae locum paullo accuratius considerasset, vidisset, non *πολιτῶν* pro *πολίταις*, sed *χθόνα* pro *χθονὶ* dictum esse: *πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα, ταύτῃ ἀνδάνουσα.*

13. "Stobaeus," inquit, "*αὐτὴ δέ*, quod recte admisit Beckius, neglexit Porsonus. Opponuntur *ἀνδάνουσα μὲν φυγή*, et *αὐτὴ δέ*." Iniuria reprehendit Porsonum, qui nobis multo accuratius videtur mentem poëtae perspectam habuisse. Recte enim libri Euripidis *αὐτή τε*. Nam verbis *ἀνδάνουσα μὲν* aperte respondent haec v. 16. *νῦν δ' ἐχθρὰ πάντα.*

V. 14. Iterum notat Porsonum, *ἦπου*, quod apud Pseudogregorium legitur, non male se habere affirmantem, quod ipse hic usurpari non posse contendit, si vera 338
sint, quae ad v. 1275. dicturus sit. At et quae illo loco, L
et item ad v. 678. de particulis *ἦπου* affert, minime vera
sunt, sed, quum ad veram earum vim non attendisset, at- 282
que illud *I suppose*, quemadmodum eas vertendas putat, ubique locum habere existimaret, fieri non potuit, quin de aliquot locis aliter ac debebat iudicaret. Hoc quoque luculentum exemplum est, quantum referat, recte an male regulam constituas. Nam non *ἦπου* significat *I suppose*, sed ea tantum posterioris particulae vis est, et ne huius quidem sic, ut ubique ita verti possit; *ἦ* autem, quod ei praemittitur, plerisque in locis *ὄντως* significat, recteque sic interpretatus est glossator in Medeae v. 14. quem reprehendit Elmsleius ad v. 1275. Plene utramque particulam explicat Hesychius: *ἦπου, ὄντως που.* Conferat Sophoclis Ai. 624. Trach. 846. 847. Philoct. 1230. Alibi illud *ἦ* particula est interrogativa, ut in Aeschyli Prom. 520. *ἦπου τὶ σεμνόν ἐστιν, ὃ ξυναμπέχεις;*

V. 30. De verbis *ἦν μήποτε στρέψασα πάλλευκον δέρην αὐτῆ πρὸς αὐτὴν πατέρ' ἀποιμώξῃ φίλον*, "in vulgata," inquit, "*ἦν μήποτε* accipiendum pro *πλὴν ὅτ' ἄν*, constructione minus usitata. Quo sensu nescio an praestet *ἀποιμώζῃ*." Sensum recte indicavit: nec miramur, quod hanc constructionem minus usitatam dicit. Quin plane falsa est. Sed quid est, quod vir doctissimus non, quod quivis faciat, qui locum accuratius inspiciat, divisim scripsit *μή ποτε*? Sic nihil nec perperam, neque insolenter dictum. Non esse autem idem *μήποτε* et *μή ποτε* per se planum est. De *ἀποιμώζῃ* reponendo non dubitamus accedere. Dolemus vero, quod iis in rebus, quae non exemplis, sed ratione reddenda opus habent, nimis brevis, simulque anceps animi esse solet. Si aoristus id, quod vel semel fit, vel celeriter peragitur, praesens autem vel rem saepius repetitam, vel diuturniorem significat, facile iudicari, quid quoque loco praeferendum sit, potest. Et hoc argumento uti debebat etiam ut *ἁρπάζητε* in Sophoclis Antig. 311. reponi vellet, potius quam illo, Doricum esse *ἁρπάξητε*, quod ne satis quidem verum est. Quod addit de Euripidis loco, "nec male se habet *ἀποιμώζει*, modo legatur *εἰ μήποτε*," valde dubitari potest, an *εἰ* hic non recte se habiturum esset, quaerique ea de re diligentius non sine fructu poterat.

V. 34. Observat nominis *συμφορὰ* singularem et pluralem saepe a librariis permutatos esse. Sed quod ait de Hippolyti v. 1255. *αἰ αἰ, κέκρανται συμφοραὶ νέων κακῶν*, "ita olim soloece legebatur," veremur, ne hic quoque cautius loqui debuerit. Nam primo dubitatur
283 adhuc, an *κέκρανται* etiam pluralis esse possit. Deinde verbum singulare, praepositum illud nomini plurali, certa conditione nec soloecum, nec schema Pindarium, sed
339 usitatum etiam Atticis est. Non fugit hoc Buttmannum in
L gramm. Gr. §. 116. not. 2, 6.

V. 41. Bene disputat Elmsleius ad hunc locum de scriptura *τυράννων* et *τύραννον*, ostenditque, non hic de

Creonte, sed de filia eius debere sermonem esse. Itaque quum glossa cod. A. habeat *θηλυκῶς, τὴν Γλαύκην*, et glossa cod. B. *τὴν* atque *ἤτοι τὴν Γλαύκην*, ita statuit, *τύραννον* hic Anglice reddendum *the princess*, affertque verba *γήμας τύραννον* v. 847. De interpretatione loci neminem non habebit assentientem. Vellemus tamen accuratius hic et subtilius disputasset vir doctissimus. Nos quidem certe magnopere veremur, ne soloecismum reliquerit. Verba poetae sunt, *ἢ καὶ τύραννον τόν τε γήμαντα κτάνῃ*. Concedimus, ex additis *τόν τε γήμαντα* facile intelligi posse, *τύραννον* de femina dictum esse. Verum id nihil ad rationem grammaticam. *Τύραννος* enim adiectivum est, quod de viro dictum in substantivum vertit. De muliere substantivi loco usurpatum esse, neque exemplo ullo nobis constat, nec veri simile putamus propter ambiguitatem. Videmus autem, ubicumque de muliere dicitur, aperte adiectivum esse, ut *νύμφη τύραννος* in Medea v. 1034. et alibi, ideoque, ubi substantivum non additur, articulum adiici. Nec probare poterit Elmsleius illo loco, quem affert, v. 847. per se substantivi vicem sustinere hoc nomen. Nam quod ibi dicitur, non minus quam reliqui loci omnes, adiectivum requirit, quia idem est ac si dixisset *γήμας γυναῖκα τύραννον οὖσαν*. Quod si v. 41. sensus mulierem dici postulat, grammatica autem id fieri vetat, videndum erat, ne *τυράννην* potius vel *τύραννιν* scripsisset Euripides. *Tyrannas et tyrannides* dixit Trebellius Pollio de mulieribus, ad quem v. Salmas. p. 322. Et in glossis quidem, quas ille affert, et in libro Esther 1. 18. (Stephanus nominat caput 2.) scribitur *τυραννίδες*. Verum etsi canon grammaticus *τυραννίς, τυραννίδα* dici postulat, tamen suspicari licet, significationis diversitatem fecisse, ut ad aliam analogiam, de qua Eustathius p. 381, 6. 1403, 63. *τύραννις, τύραννιν* de regina diceretur. Sed ne voces minus usitatas obtrudere Euripidi velle videamur, (quamquam non pauca in glossis illis et scriptoribus sacris perantiqua vocabula latent) quid est, cur Elmsleius, quum scholio ad h. l. praefixum legere-

tur τυράννοις, id in τύραννον mutare, quod etiam Matthiae fecit, quam verioris scripturae vestigium agnoscere,
284 et τυράννους non modo in scholio, sed etiam in ipso textu Euripidis reponere maluerit? Ita Creon et Glauce comprehendentur hoc nomine, nec quidquam erit, quod aut ad sensum, aut ad grammaticam desideretur.

V. 53. Hic commemoratur scripturae varietas in verbo πιτνεῖν in Medea. "Vnice," inquit, "verum est πίτνοντα, de qua forma dixi ad Heracl. 77." Laudamus,
310 quod movit hanc quaestionem: sed quod rem nondum maturam pro iudicata habuit, idque ne probabilibus quidem rationibus usus, id vero parum considerate factum contendimus. Videamus quid dicat ad Heraclidas. "Πιτνῶ verbum circumflexum esse statuerunt grammatici, cuius aoristus esset ἔπιτνον. Hinc passim apud Euripidem reperias πιτνῶ, πιτνεῖς, πιτνεῖ, πιτνοῦσι, πιτνεῖν, πιτνῶν, πιτνών, πιτνοῦσα, πιτνοῦντες, πιτνόντες, et similia; nunquam πίτνω, πίτνεις, πίτνει, πίτνουσι, πίτνων, πίτνουσα, πίτνοντες. Diversae sunt eiusdem verbi formae πίπτω et πίτνω, ut μένω et μίμνω. Veram scripturam ab Heathio propositam, celato Heathii nomine adoptavit Brunckius apud Soph. Oed. C. 1754. Ὦ τέκνον Αἰγέως, προσπίτνομέν σοι. Quod paullo ante in eadem fabula v. 1732. legitur, ἔπιτνε, praeteritum imperfectum est. Apud nostrum Supplic. 691. πιτνόντων participium esse praesentis temporis ostendunt alia duo participia in eadem sententia, ἐκκυβιστώντων et λειπόντων." Videntur haec movisse nonnullos, ut plane assentirentur. Nobis non satisfaciunt. Primo grammaticos vellemus citasset, qui de hoc verbo praeciperent. Magnum de eo verbo apud plerosque silentium est: nec mirum, quum non modo poeticum sit, sed ne ipsorum quidem poetarum alii, quam lyrici et tragici eo utantur. Habet Hesychius πιτνεῖ, Moschopulus περὶ σχεδῶν p. 86. πιτνῶ. Eustathius autem p. 1173, 52. memorat ἔχω, ἴσχω, ὀρέγω, ὀριγνῶ· μένω, μίμνω· γένω, γίγνω· πέτω, πίτνω καὶ πίπτω· ῥέπω, ῥίπτω. Favorinus in v. πίπτω:

πιτνῶ, τὸ πίπτω· Εὐριπίδης, αὐτὸς δὲ βωμῷ πρὸς θεοδμήτῳ πιτνεῖ. Scholiastes MS. Aeschyli ad Sept. c. Th. 765. ἐκ τοῦ πίπτω γίνεται ἄχρηστον ὄνομα πιπτόν, ἀφαιρέσει δὲ τοῦ δευτέρου π, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ν, πιτνόν, ἤτοι προσπῖπτον καὶ διαῤῥηγνύμενον. Qui nisi vehementer corruptus est, πιτνὸν pro adiectivo habuerit necesse est. Sed ex his omnibus nihil lucri. Deinde quae dicit vir doctissimus, pro auctoritate magis dicta sunt, quam argumentis fulta. Esto, quemadmodum μίμνω ad μένω, sic πίτνω se habere ad πέτω. Hoc enim, non πίπτω, commemorandum erat. Quid inde sequitur? Nihil aliud, quam non repugnare analogiam. Itaque certe 285
hoc afferendum erat, quum plurima ad hanc analogiam formata sint verba, paucissima exstare, quae formam contractam habeant, ut ῥιπτῶ, ἱκνοῦμαι. Ita saltem dubitationem de isto πιτνῶ auxisset. Porro quod affert, προσπίτνομεν ab Heathio et Brunckio apud Sophoclem repositum, id nihil probat. Controversum est enim, an debuerit reponi. Plane vero pro arbitrio dicit, in eadem Sophoclis fabula v. 1732. ἔπιτνε imperfectum esse. Nam requiritur ibi aoristus. Eodem aoristo usus est Pindarus, cui nuper eum in novissima editione Heyniana restituimus, Ol. II. 42. ubi miramur, Boecklium imperfectum ἐπίτνει posuisse, quod alienum ab eo loco est. Quod porro ait Elmsleius, in Supplicibus Euripidis v. 691. πιτνόντων 341
praesentis participium esse, ex eo cognosci, quod alia duo L
in ea sententia sint participia praesentis, hoc argumentum nec per se ullam vim habet, quia non quod caetera verba tempus habeant, sed singula quod habere debeant, spectandum est: quis enim contendat, πίπτων καὶ κείμενος, ac non πεσὼν καὶ κείμενος dicendum esse? multo minus autem in isto loco illa praesentis participia quidquam probant. Verba haec sunt:

τί πρῶτον εἴπω; πότερα τὴν εἰς οὐρανὸν
κόνιν προσαντέλλουσαν ὡς πολλὴ παρῆν,
ἢ τοὺς ἄνω τε καὶ κάτω φορουμένους
ἱμᾶσιν, αἵματός τε φοινίου ῥοάς,

τῶν μὲν πιτνόντων, τῶν δὲ, θραυσθέντων δίφρων,
εἰς κρᾶτα πρὸς γῆν ἐκκυβιστώντων βίᾳ,
πρὸς ἁρμάτων τ᾽ ἀγαῖσι λειπόντων βίον.

Intelligunt *πιτνόντων* de aurigis. At ita vix differunt, qui *ἐκκυβιστῶντες βίᾳ* dicuntur. Hi vero non videntur illi esse posse, quorum currus frangebantur: nam eversis potius curribus proni in caput volvuntur aurigae, quam confractis. Omninoque illud *πιτνόντων* de aurigis dictum nimis nudum est et languidum. Ex his intelligitur, ita esse interpungendum, *τῶν μὲν, πιτνόντων, τῶν δέ, θραυσθέντων δίφρων.* Sic omnia recte apteque dicta sunt: *quum alii eversis curribus, alii confractis, illi proni in caput ruerent, hi curruum ruina laniarentur.* Itaque hic locus aperte aoristum, non praesens tuetur. Apparere ex his putamus, alio modo demonstrari debuisse,
286 quod volebat, unice verum esse *πίτνω:* miramurque profecto tam imbecillis argumentis permotum esse virum praestantissimum, ut formam contractam ubique expellere conaretur. Periniqua vero fortuna accidit, ut plerique omnes loci nihil, quo dirimi res possit, praebeant. Afferamus potiores ex his. Apud Aeschylum in Persis v. **461.** ed. Rob. *τοξικῆς τ᾽ ἀπὸ θώμιγγος ἰοὶ προσπίτνοντες ὤλλυσαν.* Hoc loco uti Elmsleium conveniebat. Necessarium enim hic praesentis participium est, nec recte nos ad Herc. fur. **1371.** aoristum tueri conati sumus. At nihil tamen hoc exemplo efficitur. Caeteri enim libri veteres *προσπίπτοντες.* Robortelli autem editio, quae Triclinii recensionem exhibere videtur, quid aliud, quam ut Triclinii illam esse correctionem credamus, faciet? Itaque nisi aliunde confirmabitnr haec forma, potius *προσπιτνοῦντες* scribendum censebimus. In eadem fabula v. **590.** *οὔτ᾽ ἐς γᾶν προπίτνοντες ἄρξονται* nonnulli ediderunt. Libri veteres *προσπίτνοντες, προσπίπτοντες,* Vitebergensis *προσπιτνῶντες.* Est hic quoque praesentis participio opus: sed nihilo certiores nos reddunt libri. Dirimeret litem Sophocles Oed. Col. **1754.** *ὦ τέκνον Αἰγέως, προσπίτνομέν σοι,* si id libri haberent, et quidem

aut multi, aut boni. At omnes *προσπίπτομέν σοι*, ut 342
in perpetua horum verborum commutatione eodem iure, L
quo illud posuit Brunckius, etiam *προπιτνοῦμέν σοι* scribere possimus. Etiam Aeschylus rem conficeret Sept. ad Theb. **764**. *κακῶν δ' ὥςπερ θάλασσα κῦμ' ἄγει· τὸ μὲν πιτνόν, ἄλλο δ' ἀείρει τρίχαλον*, nisi hic, prouti interpungas et verba interpreteris, et praesentis participio et aoristi locus esset; praesentis, si *ἄγει*, commate apposito, cum participio coniungitur; aoristi, si, ut vulgo, colo distinguitur post *ἄγει*, ut sensus sit, *ἄλλου πιτνόντος ἄλλο ἀείρεται*, simili orationis forma, ut apud Sophoclem Oed. Col. **1454**. *ἐπεὶ μὲν ἕτερα, τὰ δὲ παρ' ἦμαρ αὖθις αὖξων ἄνω*. Libri quidem constanter *πιτνόν*: in scholiis MSS. et hoc, et quod Brunckius dedit *πίτνον* legitur. Plane denique ad liquidum perducta res esset, si certa esset scriptura in Eurip. Heracl. **619**. *ἀλλὰ σὺ μὴ προσπίτνει τὰ θεῶν ὕπερ*. Verum hoc edd. recentiores ab H. Stephano videntur accepisse, qui in Adnotatt. ad Soph. et Eurip. p. **168**. ita in veteribus codd. scriptum ait. Aldina vero et aliae antiquae edd. *προσπιτνῶν* habent. Elmsleius audaci coniectura edidit, *ἀλλὰ σὺ μὴ προπίτνων τὰ θεῶν φέρε*, *erecto corpore atque animo* interpretatus. Non facile repertum iri putamus, quibus id per- 287
suadeat. Nec profecto opus erat, novam atque insolentem verbi significationem comminisci. Scribendum: *ἀλλὰ σὺ μὴ, προπιτνῶ, τὰ θεῶν ὕπο, μηδ' ὑπεράλγει φροντίδα λύπᾳ: at tu, oro, ne aut deorum decretis, aut cura tua nimis dole.* Respondent enim sibi *μὴ τὰ θεῶν ὕπο*, et *μηδὲ φροντίδα*. Vtrumque indicaverat Iolaus v. **605**. seqq. dolere se et propter oraculum, quod virginem immolari iussisset, et quod Macaria se immolandam offerret. Quod si praeter *ἔπιτνον* apud Pindarum et Sophoclem, et *πιτνὸν* apud Aeschylum (nam quod in Persis v. **506**. ex coniectura quidam pro *πῖπτον* posuerunt *ἔπιτνον*, factum est imperitissime) non exstant exempla alteram utram huius verbi formam aperte tuentia, solum reliquum erat participium, cuius exempla Elmsleius afferre debebat omnia, ac videre an ubique praesenti locus esset.

Atque quum aliquot loci sint, qui non dubie praesens habeant, plures autem, in quibus utrovis tempore uti licebat, tamen sunt etiam, qui flagitare aoristum videantur, ut Pindari Nem. V. 42. (76) Isthm. II. 26. (39) Aeschyli Choeph. 34. Sophoclis El. 453. Euripidis Hec. 274. Alcest. 181. Iphig. T. 48. Herc. fur. 853. Hi igitur loci non praetereundi, sed vindicanda iis praesentis significatio erat, si vincere vellet vir doctissimus. Praeterea vero etiam illud ostendere debebat, unde huic verbo perpetua illa fluctuatio inter *πιτνοῦντα*, *πιτνῶντα*, *πιτνόντα*, *πίτνοντα* venisset, quum nihil simile librariis in *μίμνω* et caeteris huiusmodi verbis acciderit. Quae si omnia reputasset, non dixisset, opinamur, unice verum esse *πίτνω*. Sponte enim cadunt istae dubitationes omnes,
343 si *πιτνῶν* praesentis, *πιτνὼν* aoristi participium esse sta-
L tuimus. Et hoc quidem ut credamus, alteram aoristi, alteram praesentis formam propriam esse, *ἔπιτνον* illud vincit, quod ubi invenitur, apertissime aoristi significationem habet. Ex hoc ipso autem aoristo, qui quidem sane, ut multi aoristi secundi, origine nihil est nisi imperfectum verbi cuiuspiam aut obsoleti, aut numquam usurpati, recte colligitur, praesens esse *πιτνῶ*, *πίτνω* autem in verbis *αὐθυποτάκτοις* numerandum esse. Nec profecto magis hoc verbum *πιτνῶ* in dubitationem vocare debebimus, quam *ἰκνοῦμαι*, quod ipsum ad eamdem comparationem formatum, neque aoristum nec futurum habet *).

V. 67. Hic quoque in iis, quae de superlativo et comparativo dicit vir doctissimus, observantiorem eum regulae quam studiosiorem iustae sententiarum interpretationis deprehendimus, qui et apud Homerum Od. *Δ*. 481. et apud
288 Euripidem Androm. 6. comparativum reponendum censeat. Neque enim animadvertisse videtur, Graecos ibi

*) Vtramque formam, *πίτνω* et *πιτνῶ* in usu fuisse putat Buttmannus Gr. Gr. vol. II. p. 219.

superlativum pro comparativo dicere, ubi haec duo simul indicare volunt, et maius quid esse alio, et omnino maximum. Aeschylus Eum. 30. *καὶ νῦν τυχεῖν με τῶν πρὶν εἰσόδων μακρῷ ἄριστα δοῖεν.* Herodotus III. 119. *ὃς καὶ ἀλλοτριώτατός τοι τῶν παίδων, καὶ ἥσσον κεχαρισμένος τοῦ ἀνδρός ἐστι.* Et II. 103. *ἐς τούτους δέ μοι δοκέει καὶ οὐ προσώτατα ἀφικέσθαι ὁ στρατός.* Vbi non debebant editores quidam *οὐ* cum perpaucis codicibus delere. Conficit rem alius locus eiusdem scriptoris II. 35. *ἔρχομαι δὲ περὶ Αἰγύπτου μηκυνέων τὸν λόγον, ὅτι πλεῖστα θωυμάσια ἔχει ἢ ἄλλη πᾶσα χώρη.*

V. 78. Acute observat Elmsleius, *πρὶν δεδειπνηκέναι* a coenante, *πρὶν δειπνῆσαι* a coenaturo dici; ab utroque autem diversum esse *πρὶν δειπνεῖν*, quod non esse *priusquam coenavero*, sed *priusquam coenatum eo.* Accuratius tamen dixisset, ut nobis videtur, perfecto statum indicari, qui factum sequitur; aoristo perfectionem rei; praesente initium: itaque *πρὶν δεδειπνηκέναι* esse *priusquam a coena surrexero; πρὶν δειπνῆσαι, priusquam coenavero; πρὶν δειπνεῖν, priusquam coenem.* Sic *πρὶν ἐμπεπρῆσθαι, priusquam quid ardeat; πρὶν ἐμπρηθῆναι, priusquam exarserit; πρὶν ἐμπίμπρασθαι, priusquam incendatur.*

V. 80. Non erat, quare dubitaret, an Seidlerus non recte indicasset scripturam ed. Lasc. Ipsi illud exemplum inspeximus, testamurque verum dixisse Seidlerum.

V. 85. Hic quoque prodidit Editor clarissimus studium suum veteres servili cuidam regularum obsequio adstringendi. Nam quum saepe dicant *οἱ πλησίον*, Herodoti locum III. 142. et Thucydidis I. 32. qui singulari numero usi sunt, corruptos esse suspicatur. Addit autem bis legi *τὸν πλησίον* apud Theognidem v. 221. et 611. nescimus, utrum haec quoque exempla corrigenda putans, an ut suspicionem suam de Herodoti et Thucydidis lo-

344 cis ipse labefaciat. Multo rarius est ἄνθρωπος pro plu-
L rali: et tamen quis propterea suspectum habeat illud Thucydidis I. 140. τὰς διανοίας τοῦ ἀνθρώπου? Talia emendare nihil profecto est aliud, quam docere velle eos, a quibus discere ipsi debemus.

V. 87. Valde miramur offensum esse virum doctissimum his verbis, εἰ τούσδε γ' εὐνῆς οὕνεκ' οὐ στέργει πατήρ. Soloecum enim putat εἰ sequente οὐ. Itaque audacter καὶ pro εἰ posuit, quo non dubitamus dicere
289 eum et verba poëtae et sententiam corrupisse. Quid? num putavit, si hic tantus esset soloecismus, non id Porsonum visurum fuisse? quem nos quidem saepe, etiam ubi tacet, aliquid dicere animadvertimus. Magna enim ars est, σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν τὰ καίρια. Recte οὐ post εἰ poni, ubi negatio cum verbo coniuncta notionem negativam praeberet, cuiusmodi hic est οὐ στέργει pro μισεῖ dictum, pridem adnotatum ab nobis erat ad Vigerum not. 309. p. 833. Thucydides I. 121. ἦ δεινὸν ἂν εἴη, εἰ οἱ μὲν ἐκείνων ξύμμαχοι ἐπὶ δουλείᾳ τῇ αὐτῶν φέροντες οὐκ ἀπεροῦσιν, ἡμεῖς δὲ ἐπὶ τῷ τιμωρούμενοι τοὺς ἐχθροὺς καὶ αὐτοὶ ἅμα σώζεσθαι οὐκ ἄρα δαπανήσομεν, καὶ ἐπὶ τῷ μὴ ὑπ' ἐκείνων αὐτὰ ἀφαιρεθέντες αὐτοῖς τούτοις κακῶς πάσχειν. i. e. εἰ καρτερήσουσιν et εἰ φεισόμεθα. Hinc intelliget vir praestantissimus, etiam tragici loco apud Aristotelem Rhet. II. 23. non medelam, sed vitium a se allatum esse, quum εἴπερ in ἐπεὶ mutari voluit. Obiter adiicimus, etiam ubi εἰ *an* significat, recte sequi οὐ, ut apud Platonem Protag. p. 341. B. (574. Heind.) si nulla est negationis ad affirmationem oppositio: aliter enim μή dicendum, ut in ipso illo, cuius modo mentio facta est, Aristotelis loco: δεῖ γὰρ σκοπεῖν, εἰ τῷ ἐναντίῳ τὸ ἐναντίον ὑπάρχει· ἀναιροῦντα μέν, εἰ μὴ ὑπάρχει· κατασκευάζοντα δέ, εἰ ὑπάρχει.

Haec quidem potissima sunt eorum, quae ad prologum nobis adnotanda videbantur. Excessimus vel sic

modum paginarum, qui nobis praefinitus erat: sed etiam haec sufficere poterunt ad confirmandum nostrum de P. Elmsleii opera iudicium: quem virum eo esse ingenio videmus, ut, si se illo regularum servitio liberaverit, ante multos alios Graecis litteris profuturum confidamus. Sic autem existimamus, et sua hoc quemque experientia docere potest, quo quis plus in litteris profecerit, eo eum paucioribus indigere regulis, quae nihil sunt nisi adminicula titubantium. Praestat rationes regularum intelligere, quas qui perspexerunt, simul etiam, quos terminos regulae habeant, sciunt.

PARS II.

(Diar. classic. fasc. XLII.)

Quid universe de opera, quam P. Elmsleius Medeae praestitit, sentiremus, in prima parte censurae nostrae diximus. Pergamus nunc reliqua deinceps persequi, de quibus aliquid nobis adnotandum videtur, non tamen ut omnia, praesertim adnotationes secundarias in imis paginis attingamus. Has enim si pertractare vellemus, liber nobis scribendus esset multo maior, quam Elmsleii liber est, quum plurimos ille in adnotationibus istis veterum scriptorum locos brevissime indicatis rationibus corrigere tentaverit, quarum correctionum cur plurimae nobis non probentur, dicere longum est. Videtur autem Elmsleius corrigendi opportunitates nimia cum cupiditate quaerere: id quod eum non dubitamus ipsum aliquando improbaturum esse. Est enim haec communis sors eorum, qui arti criticae operam dant, ut initio nihil non corruptum esse suspicentur, ubi autem maturuit scientia, paullatim intelligant, multo minus corruptos ad nos pervenisse veteres scriptores, quam a criticis esse corruptos.

345 L

339

In anapaestis, qui sunt a v. 95., quum libri fluctuent inter Doricas et communes formas, Doricas Elmsleius Medeae, communes nutrici restituit, Porsonumque dicit maiorem sibi in hoc genere licentiam sampturum fuisse in Hippolyto, quam in Medea fecit. Veremur ne non satis idoneus in hac re auctor sit Porsonus, siquidem non potest dubitari, quin tragici etiam in eiusdem personae verbis pro rei, de qua sermo est, natura animique affectionis diversitate communes Doricasque formas coniunxerint. Quamquam his quidem in anapaestis non est, quod magnopere pugnare cum Elmsleio velimus.

V. 97. Non possumus quin adnotationem ex eo genere commemoremus, quales permultas in hoc libro inveniri in prima parte censurae nostrae diximus, quae cur scriptae sint, plane intelligi non potest. "Ante Euripidem," inquit, "*κραδία* in anapaesto usurpat Aeschylus Prom. 880. *κραδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει.*" Cur hoc, obsecro, dixit? An quemquam adeo ineptum esse putavit, ut *καρδία* dici posse in anapaestis credat? In iambis si *κραδία* posuisset Aeschylus, dignum memoratu fuisset, quia hi *καρδία* potius postulant.

V. 102. Corrigit *ἄγριόν τ' ἦθος*, copulam saepius in priore membro omitti ab librariis observans. Qua opportunitate utitur, ut locos nonnullos corrigat. Sed ut recte emendaverit Eurip. Androm. 424. et Suppl. 87. at in Aeschyli Agam. 810. non erat idonea caussa, quare
346 scribi vellet, *κάρτ' ἀπόμουσός τ' ἦσθα γεγραμμένος,*
L *οὔτ' εὖ πραπίδων οἴακα νέμων*, pro eo, quod legebatur, *κάρτ' ἀπομούσως ἦσθα γεγραμμένος, οὐδ'*. Aliquanto peius res cessit Blomfieldio, *ἀπομούσων* scribenti. Non magis probandum putamus, quod in Aristoph. Lys. 551.
340 Elmsleius reponi vult, *ἀλλ' ἤνπερ ὅ τε γλυκύθυμος Ἔρως χἠ Κυπρογένεια Ἀφροδίτη*. Facilius erat et aptius, *ἀλλ' ἤνπερ γ'*.

V. 105. Difficilis locus est: *δῆλον δ' ἀρχῆς ἐξαιρόμενον νέφος οἰμωγῆς, ὡς τάχ' ἀνάψει μείζονι θυμῷ*. Disserit vir doctissimus de scripturae varietate, constructio-

nemque fortasse dicit huiusmodi esse: *δῆλον δ' ὡς τάχ' ἀνάψει μείζονι θυμῷ (ἡ Μήδεια) νέφος οἰμωγῆς ἀρχῆς ἐξαιρόμενον.* Intelligi hic potest, quid differant constructionis explicatio, in qua Elmsleius, ut alii eius populares, multam operam collocavit, et explanatio sententiae. Constructionem enim explicuit: sed quid iuvat, construi posse orationem ad leges grammaticas, si, quem sensum habeat, et an is aptus sit, non ostenditur? Atqui quid est *ἀρχῆς ἐξαιρόμενον?* Porsonus id per anastrophen dictum accipit pro *ἐξ ἀρχῆς αἰρόμενον*, eumque sequi videtur Elmsleius. At iterum quaerimus, quid haec sit. Nam si *ἐξ ἀρχῆς* est *ab initio*, negamus admitti posse anastrophen, quae, ubi praepositio cum nomine suo vim habet adverbii, nullo modo locum inveniet, ut appareat, alienum esse, quod Porsonus affert, *σώματα ἦβην εἰςῆλθε*, pro *σώματα εἰς ἦβην ἦλθε*. In cuiusmodi exemplis recte se habet anastrophe, quia singula verba suam propriam vim et potestatem retinent. At quod est, *ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος βαίνειν*, *ab initio usque ad finem ire*, i. e. perpetuo ire, neque *ἀρχῆς ἐκβαίνειν*, neque *τέλος εἰςβαίνειν* dici potest. Itaque si anastrophe hic usus esset Euripides, proprie singula verba accipienda forent, nubesque diceretur sublata ex suo initio, quod dici absurdum esset, quia nihil est, quod non nascatur ex suo initio. Apertum vero, hoc dici debuisse, ex initio, quod fecisset Medea, cognosci, multo eam graviora nubila concitaturam esse. Quare sic distinguendum putamus, *δῆλον δ' ἀρχῆς, ἐξαιρόμενον νέφος οἰμωγῆς ὡς τάχ' ἀνάψει μείζονι θυμῷ.* Insolentius quidem dictum, *δῆλον ἀρχῆς*, sed tamen ut recte dictum videatur. Et habet hanc interpretationem scholiastes, neque alio spectat *ἐξ*, quod libri quidam ante *ἀρχῆς* inserunt. Haec explicatio si cui displicebit, ei non video quid reliquum sit, quam ut *νέφος ἀρχῆς οἰμωγῆς* coniungat, *nubem initii gemituum*, quod neque elegans, neque satis aptum est. Caeterum etiam de *ἀνάψει* paullo accuratius quaeri potuerat. Nam sic si legitur, idque verbum de Medea accipitur, facilius quis *δήλη*, quam *δῆλον* exspectet. Quod nomen quum arguere videatur, verbum illud

ad *νέφος* spectare, melior videtur altera lectio, *ἀνάξει*: sic enim pro *ἀνάξει* scribendum, recte monuit Elmsleius. Atque optime congruunt *ἐξαιρόμενον* et *ἀνάξει*.

347 L 341 V. 115. Miramur, quod Elmsleius, quum Porsonus edidisset, *τί δὲ σοὶ παῖδες πατρὸς ἀμπλακίας μετέχουσι*, vulgatam *τί δέ σοι* paullo meliorem, saltem non deteriorem videri dicit. Ne multo quidem meliorem, sed unice veram dici oportebat, siquidem quod Porsonus dedit, plane frigidum et omnino non aptum est.

V. 118. Bene quidem monet vir doctissimus, non satis apte hic philosophari nutricem, sed quod ait, nihil cum Medeae conditione commune habere, quae de regum animo dicantur, ipse potuerat ex parte saltem explicare, si in versu 117. recte functus esset officio interpretis. Ad eum versum nihil adnotavit, servans interpunctiones Porsoni, *οἴμοι, τέκνα, μή τι πάθηθ᾽ ὡς ὑπεραλγῶ*. Vt videatur construi voluisse, *ὡς ὑπεραλγῶ, μή τι πάθητε*. At non modo dubitari potest, an ea verba sic potius interpungenda sint, *μή τι πάθηθ᾽· ὡς ὑπεραλγῶ·* sed suadere id etiam planior verborum ordo videtur. Quin tertia supererat via, eaque ipsa est, quam ingrediendam fuisse existimamus, ut melius cohaereret nutricis digressio de regibus: *οἴμοι, τέκνα, μή τι πάθηθ᾽· ὡς ὑπεραλγῶ δεινὰ τυράννων λήματα*.

V. 121. Probamus, quod Elmsleius vulgatam, *τὸ γὰρ εἰθίσθαι*, restituit. Sed vellemus, vir doctissimus, qui alias leviora et quae vix cuiquam prosint adnotare solet, hac opportunitate ostendisset, cur, quod Porsonus ex Brunckii coniectura posuerat, *τὸ δ᾽ ἄρ᾽ εἰθίσθαι*, hic quidem ferri posset, aliis autem in non paucis tragicorum locis, in quibus *δ᾽ ἄρ᾽* pro *γὰρ* reponi voluerunt critici, non esset admittendum.

V. 126. Valde miramur virum doctissimum, qui non acquiescens in ea interpretatione, quam nos dederamus,

verba τὰ δ' ὑπερβάλλοντ' οὐδένα καιρὸν δύναται sic explicanda putet, ut δύναται sit ἰσχύει, σθένει, quae nostra quoque sententia erat, οὐδένα καιρὸν autem significet, οὐκ εἰς καιρὸν, ἀκαίρως, idque hic non sit *intempestive*, sed *immoderate*, *supra modum*. Vnde sensum esse vult: *plus aequo valent mortalibus*, i. e. *potentiores quam expedit, reddunt homines; ad tempus scilicet.* Pergere enim poëtam, μείζους δ' ἅτας ὅταν ὀργισθῇ δαίμων, οἵοις ἀπέδωκεν. Vix putamus infeliciorem horum verborum interpretationem excogitari posse. Nam ne οὐδένα καιρὸν pro ἀκαίρως dictum urgeamus, quid τὰ ὑπερβάλλοντα, quum mediocritatem laudet, aliud sunt quam *immodica?* Quod si etiam οὐδένα καιρὸν est *supra modum*, quid aliud dicetur, quam, *immodica supra modum valida sunt?* Illud praeterea, quod sibi invenire vir doctissimus in his verbis videtur, iusto potentiores reddi homines ad tempus, ipse viderit, quomodo elicuerit. Accedit, quod, si posset haec in his verbis esse sententia, tamen inepta foret hoc loco, in quo planum est, ita et procedere et debere procedere sententias: *optima est mediocritas: quod autem modum excedit,* 342
nihil tempestivum efficit mortalibus, maioraque, quum 348
deus irascitur, affert mala. Caeterum καιρὸν pro L
καίρια dixit Pindarus Pyth. I. 157. Neque aliena sunt apud eumdem πολλῶν καιρὸς Nem. I. 28. et καιρὸς ὅλβου VII. 86. pro πολλὰ καίρια et ὅλβος καίριος.

V. 131. Numerorum, ut videtur, insolentia offensus Elmsleius post *Κολχίδος* aliquid excidisse suspicatur, fortasse οἰκτρὰν vel αὐδάν. At utrumque valde friget. Iure videtur postulari posse ut, qui tragicum edat, eum habeat numerorum usum, ut, praesertim in tam facili loco, quae metra usurpata sint animadvertat. Et vidit quidem hic aliquid huius rei Elmsleius, quum v. 134. γόον pro βοᾶν scribendum coniecit, et v. 135. ὦ γύναι scripsit: sed quos dedit v. 131—135. numeros, ut verum dicamus, partim insolentes et pravi, partim elumbes sunt. Ita describi verba debebant:

τᾶς δυστάνου
Κολχίδος, οὐδέ πω ἤπιος· ἀλλὰ γεραιά.

Inde sequi debebat hexameter dactylicus acatalectus, et pentameter acatalectus.

V. 136. Dedit Elmsleius, *ἐπεί μοι φιλία κέκραντται*, comparans *ἔριν κραίνειν* in Androm. 478. Videtur eum haec phrasium comparatio movisse, ut hanc scripturam, quam unus codex a Puteano collatus praebet, in textum admitteret. At quid ad rem, si similis phrasis alibi invenitur? Plerique libri *φίλον*, quod vel propter hanc caussam, et magis etiam propter sensum recipi debebat. *Κέκραντται* nihil est quam *effectum est*. Et ita legit etiam scholiastes.

V. 137. 138. Bene ostendit Elmsleius, Porsonum errasse in emendando hoc loco. Ipse *καὶ δὴ γὰρ ἔχει* coniicit, has particulas ita positas inveniri observans v. 1076., quam coniecturam dignam quidem commemoratu, sed non in textu ponendam dicit, in quo Musgravii emendationem posuit, *τὸν μὲν γὰρ ἔχει*, pro *ὁ μὲν γὰρ ἔχει*, quod libri habent. Verissime Musgravius. Nam et veteres librarii, et nemo non saepe in scribendo quae eodem redeunt, maximeque quae inverti possunt, permutant. Suam vero coniecturam Elmsleius neque commemorare et profecto ne facere quidem debebat. Quid enim ad hunc locum, quod istae particulae alio in loco leguntur? Hic non sunt aptae, neque alterutra sola posita, neque ambae coniunctae. Idque non vidisse virum doctissimum tanto magis mirum est, quod ipse, quae vis sit particularum *καὶ δή*, ad v. 380. docet.

V. 147. "Si certum esset," inquit, "*ἰαχὰν* mediam apud Atticos semper producere, facile reponi pos-
343 set *ἀχάν*." Optamus, ut numquam obliviscatur vir praestantissimus, quod ipse sapienter dixit in subiecta adnota-
349 tione: "si unum tantum de his quinque exemplis exsta-
L ret, quis vulgatam scripturam defendere auderet?"

Itaque etiam atque etiam rogamus, procul habeat istud *ἀχάν*, quod in Aeschyli quidem S. ad Th. **921**. recte restituit, versum illum ingeniosa, sed minime tamen probabili coniectura tentans: *δόμων μάλ' ἀχὰν ἐς οὓς προπέμπει*. Quid enim prodest coniectura quamvis elegans, si ab sensu loci aliena est, ut omittam, quod simul etiam antistrophicus versus emendandus erat, quem attingit quidem vir doctissimus p. **147**. sed ut non afferat medelam. De sensu autem quod dicebamus, quem criticus ante omnia debet respicere, quid aliud nobis dedit Elmsleius quam huiusmodi sententiam: *acdium luctum meus luctus mihi ad aurem admovet?*

V. **149**. Scribendum coniicit, *τίς σοί ποτε τᾶς ἀπλάτου κοίτας ἔρος*, eo sensu, quo v. **423**. *τᾶς ἀνάνδρου κοίτας*. Nam *πελάζειν*, *πλάθειν*, *πλησιάζειν* de coniugio usurpari, quod aliquot exemplis demonstrat. Non diffitemur, hanc quoque ingeniosam esse coniecturam: sed istorum, quibus utitur, verborum exempla nihil ad rem faciunt. Illud erat demonstrandum, etiam *ἄπλατος* ita dici, quod veremur ne demonstrari nequeat. Ita enim huic nomini videtur rei gravis et metuendae significatio adhaesisse, ut valde dubium sit, an non recte de eo, quod simpliciter vetitum et prohibitum est, dicatur. Caeterum, ut solet vir doctissimus ubique occasionem corrigendi quaerere, parum circumspecte quum de aliis locis iudicat, tum de Rhesi v. **310**. in quo Piersonum ad Moer. p. **25**. recte *ἄπλατον* scribere ait. At male Piersonus, cuius disputatio de verbis *ἄπλετος*, *ἄπληστος*, *ἄπλητος*, omnino parum explicata est. Vnice *ἄπληστος* illi loco convenit, idque libri etiam in Medeae versu recte, ut nobis videtur, praebent.

V. **156**. Bene disputat de forma verbi *εὐνέταν*, sed quod ait, in hoc metri genere epitritum primum et diambum bene sibi respondere, esti per se verum est, tamen quae exempla affert, non quadrant: sunt enim ex aliis

metris deprompta, et alterum quidem etiam corruptum. Quo numero esse putet versum, quem dedit,

μὴ λίαν τάκου δυρομένα σὸν εὐνέταν,

non potest ex iis, quae dicit, intelligi. Accuratior observatio usitata praebuisset metra, in quibus Cretici ac Molossi permutatio offensione caret:

Ζεύς σοι τόδε συνδικήσει· μὴ λίαν
τάκου δυρομένα σὸν εὐνέταν.

344 **V. 162.** Si interpretis officio fungi, ut promiserat, volebat Elmsleius, mallemus omisisset longam adnotatio-
350 nem ad v. **160.** quae usitatissimam et nemini non notissi-
L. mam formulam *αὐτοῖς μελάθροις διακναιομένους* multis exemplis confirmat, et potius, cur in his, *οἵ γέ με προσθεν τολμῶσ' ἀδικεῖν*, additum sit *πρόσθεν*, docuisset. Hoc enim eiusmodi est, ut, quum facile possit inutiliter adiectum videri, aliqua adnotatione indigeat. Paucis indicabimus, monendum fuisse, dici ita propter praegressum *ὅρκοις ἐνδησαμένα*, siquidem Graeci, ubi de pacto et foedere sermo est, illud maxime urgere solent, si quis prior fidem solverit, quo facto alter, si idem facit, iure agere videtur. Sic iam Homerus:

ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν.

V. 179. Scribendum putamus, *σπεῦσον δέ τι πρὶν κακῶσαι*, ut cod. Rom. D. habet, nisi quod cum caeteris libris *δὲ* omittit. *Τὶ* in his non cum *σπεῦσον*, sed cum *κακῶσαι* iungendum. Similes encliticarum collocationes indicavimus ad Vigerum p. **893.** seq.

V. 210. In verbis, *οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο, τοὺς δ' ἐν θυραίοις*, iuxta ac reliqui interpretes dubius haeret Elmsleius. Verum vidit Seidlerus sensum esse: *novi multos ho-*

mines austeros, alios quos ipse oculis meis vidi, alios de quibus audivi. Comparat ille Aeschyli Agam. 997. *πεύθομαι δ' ἀπ' ὀμμάτων νόστον, αὐτόμαρτυς ὤν*, et Soph. Oed. Col. 14. *πύργοι μὲν οἳ πόλιν στέγουσιν, ὡς ἀπ' ὀμμάτων, πρόσω:* i. e. *ut adspectu cognoscitur.*

V. 215. Laudamus diligentiam, qua de constructione voculae *πρὶν* disseruit Elmsleius, licet non in omnibus ei assentiamur. Statim quod ait, "subiunctivum non usurpant tragici, nisi in priore membro adsit negandi aut prohibendi significatio," ita dictum est, ut lectores credere debeant, qui ita loquatur, aut a caeteris scriptoribus non esse observatam hanc regulam dicere, aut se praeter tragicos nihil legisse significare. Atqui non proprium hoc tragicorum est, sed commune omnium, qui Graece scripserunt. Paullo aptius *πρὶν* sine *ἄν* cum subiunctivo tragicis, sive rectius omnibus poëtis, qui non familiarem sermonem imitantur, tribuisset. Et abiudicat sane omissionem particulae *ἄν* cum Porsono a familiari sermone: iure an iniuria alibi quaeremus. Nunc si Graeci omnes a coniunctivo cum *πρὶν* coniungendo abstinent, nisi negatio sit in altero membro, operae pretium fecisset vir doctissimus, ut nobis videtur, si huius rei caussam aperuisset. Permirum enim videatur necesse est, *οὐ ποιήσω πρὶν ἂν κελεύσῃς* recte dici, male autem 345
ποιήσω πρὶν ἂν κελεύσῃς, quum praesertim neque Latina, neque aliae linguae huiusmodi discrimen norint. Verumtamen si omnes Graeci illud discrimen observarunt, quid aliud, quam caussam aliquam subesse censebimus, cur necessario ita loqui debuerint? Aliter enim ne millena quidem exempla vincent, ut non potuisse etiam discedi ab 351
illa consuetudine credamus. Videamus vero. Recte di- L.
citur et *ποιήσω* et *οὐ ποιήσω*, *πρίν σε κελεῦσαι*. Quid ita? Quia hoc idem est, ac *πρὸ τοῦ κελεῦσαί σε*. Atqui quae praecedunt mandatum, sive fiant, sive non fiant, certum est et planum quo tempore fiant vel non fiant: fiunt enim aut non fiunt ante mandatum. Longe aliud est *πρὶν ἂν κελεύσῃς*. Quod qui dicit, non solum illud, *ante man-*

datum, dicit, sed primo subindicat, incertum esse, utrum tu si mandaturus, an non; deinde autem, quoniam apud Graecos in omni coniunctivo significatio quaedam futuri exacti inest, mandatum illud etiam ut iam datum commemorat, hoc modo, *prius quam quo tempore tu mandaveris*, sive Graece, *πρὶν ἢ ὅταν κελεύσῃς*. Iam *οὐ ποιήσω πρὶν ἢ ὅταν κελεύσῃς* planum est, nihil aliud significare, quam *ποιήσω ὅταν κελεύσῃς*. Vide vero quid sit *ποιήσω πρὶν ἢ ὅταν κελεύσῃς*. Nihil profecto aliud, quam *faciam prius, quam quo tempore tu mandaveris, quod nescio an sis umquam mandaturus*. Atqui si facies quid quo tempore id, quod nescis futurumne sit an non, nondum factum erit, quando tandem facies? Certum enim esse debet non modo esse futurum, sed etiam quando futurum sit, si ante, quam fiat, facere quid vis. Quare nisi infinitivo uti voles, dicere debebis aut *ποιήσω πρὶν κελεύσεις*, aut *ποιήσω πρὶν ἂν κελεύσαις*, i. e. *priusquam iubere poteris*. Sed *ποιήσω πρὶν ἄν κελεύσῃς* non magis Graece dicas, quam Latine: *facies priusquam iusserim*. Eadem enim in utroque perversitas est. Sed redeamus ad ea, quae dixit Elmsleius. Ac laudamus, quod monuit, non illud spectandum esse, utrum ipsa particula *οὐ* vel *μὴ* in altero membro sit, sed utrum sententia sit negativa, an non. Nam etiam in affirmativa sententia particulam negativam usurpari, et negativam posse sententiam esse sine particula negativa. Sed erravit tamen in loco Orestis v. 1218.

φύλασσε δ', ἤν τις, πρὶν τελευτηθῇ φόνος,
ἢ ξύμμαχός τις, ἢ κασίγνητος πατρὸς
ἐλθὼν ἐς οἴκους φθῇ·

Neque enim in verbis *φύλασσε δ' ἤν τις*, qüae idem sint ac *φύλασσε μή τις*, quaerenda negatio est, sed adest in ipso verbo *φθῇ*, de quo verbo dictum ad Vigerum adnot. 320. Simonides fr. 231. apud Stobaeum Serm. XCVI. (XCVIII.)

φθάνει δὲ τὸν μὲν γῆρας ἄζηλον λαβὸν 346
πρὶν τέρμ' ἵκηται·

Aliud huiusmodi exemplum ex Synesio adnotavit Devarius. Caeterum operae pretium erat errorem eorum notare, qui in Sophoclis Antig. 618. interpunxerunt, *εἰδότι δ' οὐδέν, ἕρπει, πρὶν πυρὶ θερμῷ πόδα τις προσψαύσῃ,* siquidem et linguae lex, de qua dictum, et sententia verborum 352
οὐδὲν cum *ἕρπει* iungi postulat. Eleganter Seidlerus ita L.
hunc locum emendat: *εἰδότι δ' οὐδὲν ῥέπει, πρὶν πυρὶ θερμῷ πόδα τις προσαύρῃ,* nihil mutans in strophicis, nisi quod *ἀκάμαντοι* scribit.

V. 218. Hic non abs re fuisset adnotare, in Cleonem haec dicta esse, qui tum maxime civibus incommodabat.

V. 223. Recte putamus Elmsleium dixisse, scripturam *γιγνώσκειν καλῶς* a scholiasta tribui videri histrionibus. Apposuit autem verba scholiastae, ut in ed. Ven. leguntur: *Κατθανεῖν χρῄζω.*) *τοῦτο ἐν ἤθει ἀναπεφώνηται. Κάκιστος ἀνδρῶν ἐν ᾧ ἦν μοι πάντα, κάκιστος ἀνδρῶν ἐκβέβηκεν· οἱ δ' ὑποκριταὶ οὐ συμπεριφερόμενοι τῷ τρόπῳ, λέγουσι γινώσκειν καλῶς.* "Haec," inquit, "acutioribus corrigenda relinquo." Cur obsecro corrigenda? nisi quod ita censuerit, corrigendo initium facere, quod fieri interpretando debet. Adeo plana sunt omnia, ut miremur profecto, quid corrigi velit. Nam illud quidem nemo non videt, *κάκιστος ἀνδρῶν* ante *ἐν ᾧ* poëtae verba esse, quibus suam deinde explicationem addit scholiastes. Iam quid ille? *Κατθανεῖν χρῄζω* moribus convenienter dictum ait. Ferox enim Medea et animi impotens est. Quae sequuntur, sic construenda significat, *ἐν ᾧ ἦν μοι πάντα, κάκιστος ἐκβέβηκεν.* Ex quo apertum est, eum non *γιγνώσκειν καλῶς,* sed aliter legisse. Quid legerit, non dicit: sed veri simile est, legisse eum *γιγνώσκεις καλῶς.* Histriones enim, non accommodantes se ingenio Medeae, *γιγνώσκειν καλῶς* pronunciare dicit. Hoc videlicet vult, Medeam, qua est

animi affectionum vehementia, ea etiam in amore uti, ideoque dicere, *in quo mihi, ut bene scis, omnia sita erant.* Id fugisse histriones: unde eos aliter pronunciare et construere haec verba. Quomodo vero? Res ipsa monstrat. Nam si γιγνώσκειν illi pronunciabant, πάντα cum hoc verbo, non cum ἦν debebant coniungere: ἐν ᾧ γὰρ ἦν μοι, πάντα γιγνώσκειν καλῶς, *in quo mihi situm erat, ut omnia recte instituerem.* Nam γιγνώσκειν est etiam *decernere, constituere.* Iphig. Aul. **107.** ἃ δ' οὐ καλῶς ἔγνων τότ', αὖθις μεταγράφω καλῶς πάλιν. Iam vero alia oritur quaestio, verumne sit, quod de histrionibus refert scholiastes, an fictum. Ac magnopere vereor, ne, quod ille legisse videtur γιγνώσκεις καλῶς, emendatio sit critici cuiuspiam, convenire id ingenio Medeae, infinitivum autem ab histrionibus invectum rati.
347 Quare nescio an Matthiae etiam laudandus sit, quod γιγνώκειν revocaverit, quod optime cum iis, quae ante dixerat Medea, congruit, ψυχὴν διέφθαρκα et κατθανεῖν χρῄζω. Intelligit enim haec choro videri debere μὴ καλῶς ἐγνωσμένα: unde addit, non mirum esse, si quid minus recte consulat: per quem enim sibi steterit, omnia recte facere, ab eo se desertam esse.

V. **224.** Non perutilem quaestionem movisse nobis
353 videtur Elmsleius de eo, utrum in quinta sede trimetri
L. ἐμὸς an ὁὐμὸς praestet. In qua re iudicanda si vellet recto iudicio procedere, nonnisi eiusmodi exemplis uti debebat, in quibus pariter et ἐμὸς et ὁὐμός dici licebat. Nam quid mirum, ubi non poterat ὁὐμος dici, ἐμός; ubi non poterat ἐμός, ὁὐμὸς dictum esse?

V. **256.** Mirabar, quum legerem, πόσιν δίκην τῶνδ' ἀντιτίσασθαι κακῶν et similia me in Obss. crit. p. **64.** nullo pacto cum Graecae linguae legibus conciliari posse contendisse, librumque inspexi. Et quamquam neque quae olim adolescens scripsi, defendere, si falsa sint, velim, neque, si nunc me errare quis doceat, non libenter sententiam mutem, tamen non hoc, quod Elmsleius ait, ibi a me dictum est, sed illud, τοὺς κτανόντας ἀντικατα-

κτανεῖν δίκην Graecae linguae legibus repugnare. Id vero nondum refutavit Elmsleius.

V. 257. Non satis circumspecte scripsisse eum putamus ἥ τ᾽ ἐγήματο pro ἥν τ᾽ ἐγήματο, quod et libri omnes et Eustathius tuentur. Non intercedam equidem, quominus quis Antiphanis auctoritatem elevet, quoniam non exstat locus, ut iudicare possimus; neque defendam grammaticum, qui diserte scribit de illo Antiphanis loco, ἐγημάμην ὁ ἀνὴρ λέγει ἀντὶ τοῦ ἔγημα. At illud non iniuria postulari poterit, ut, qui apud Euripidem ἥ τ᾽ ἐγήματο scribendum contendat, prius quaerat, quid sit γήμασθαι. Mirum enim, quum vir γῆμαι dicatur, mulierem non modo dici γαμηθῆναι, sed plerumque γήμασθαι. Ex quo facile coniicias, γήμασθαι proprie esse, *dare in matrimonium*, se scilicet, vel suos, quemadmodum γαμέσασθαι est *expetere puellam in matrimonium*: ex quo γαμεθεῖσα, *expetita*, *desponsata*, fefellit interpretes Theocriti VIII. 91. ut ostendimus in Diar. litt. Lips. 1817. m. Februar. n. 37. p. 294. Verum vidit nuper etiam Kiesslingius. Itaque apud Euripidem omnia sana sunt, ipsis poëtae verbis veram interpretationem monstrantibus: neque enim de Iasone, sed de Creonte verbum illud intelligi voluit, quum dixit, τὸν δόντα τ᾽ αὐτῷ θυγατέρ᾽, ἥντ᾽ἐγήματο, *et qui dedit ei filiam, et quam dedit.*

V. 274. Nihil Elmsleii adnotationes legenti tam molestum est, quam pruritus ille corrigendi, etiam ubi omnia integerrima sunt. Exemplis vix ulla pagina caret. Sed 348
haec pleraque omnia intacta praeterimus. Tantum hic illic aliquid ex hoc genere adnotabimus. Ad verba, κοὐκ ἔστιν ἄτης εὐπρόσοιστος ἔκβασις, scholiastes adscripsit: εὐπρόσοιστος, εὐεπιβούλευτος, καὶ ῥᾳδία πρὸς τὸ διαφυγεῖν αὐτήν. "Immo," inquit, "πρὸς τὸ διαφυγεῖν ἄτην. Quid vero pro εὐεπιβούλευτος legendum sit, non video." Neque hoc mutandum, et pessime αὐτήν, quod nemo non ad ἄτην referet, in hanc ipsam vocem mutavit, quam si posuisset scholiastes, scripsisset τὴν ἄτην. Quid 354
est autem, quod in εὐεπιβούλευτος reprehendat? Nam si L.

ἐπιβουλεύειν proprie est *agitare aliquid animo, moliri*, quod constat non semper in malam partem dici, quidni etiam *εὐεπιβούλευτος* recte significabit id, quod quis facile mente concipiat atque aggredi conetur?

V. 291. Recte quidem *ἄλλης* servavit Elmsleius in verbis *χωρὶς γὰρ ἄλλης ἀργίας*, sed quo argumento utitur, saepe abundare *ἄλλος*, uti minime debebat. Insani profecto fuissent Graeci, si verba orationi inseruissent nihil significantia. Aptus hic locus erat longae et non inutili dissertationi, quae de nomine *ἄλλος*, quod nimis saepe lusit interpretes, contexi poterat. Quem id usum habeat in his Medeae versibus,

χωρὶς γὰρ ἄλλης ἧς ἔχουσιν ἀργίας
φθόνον πρὸς ἀστῶν ἀλφάνουσι δυσμενῆ,

is sic explicandus est: *nam praeter alia, nominatim ignaviam, etiam invidia laborant.* Satis putamus, haec tribus verbis indicasse, qui non ipsi interpretationem, sed censuram interpretationis scribamus.

V. 310. Bene atque acute ostendit vir doctissimus, scripsisse Euripidem, *ἀλλ' εἴσω φρενῶν ὀῤῥωδία μοι, μή τι βουλεύῃς κακόν*, non, ut legitur, *βουλεύσῃς*, quia non metuat Creon, ne aliquando Medea malum machinatura sit, sed ne id iam nunc faciat. Non ex omni parte tamen, quae disputat, nobis satisfaciunt. "Legitur," inquit, "apud Sophoclem Trach. 550. *ταῦτ' οὖν φοβοῦμαι μὴ πόσις μὲν Ἡρακλῆς ἐμὸς καλῆται, τῆς νεωτέρας δ' ἀνήρ.* Vbi futurum tempus significari res ipsa declarat. Sic etiam Aristophanes Eccl. 865. *δέδοικα γὰρ μὴ καὶ παρὰ τῇ στρατηγίδι, ὅτ' ἂν κατατιθῶ, προσποιῇ τῶν χρημάτων.* Non sum nescius huiusmodi exempla nonnulla reperiri posse. Sed si centum millia exstarent, non defenderent scripturam quam nunc oppugno. Nam ex eo quod *γράφῃ* pro *γράψῃ* nonnunquam usurpatur, temerarius sit qui statuat *γράψῃ* pro *γρά-*

φῃ usurpari posse." Laudamus quidem, quod exemplis se non moveri dicit: sed in re ipsa tamen nonnihil fallitur. Nam neque γράφῃ pro γράψῃ dicitur, neque omnino illa, quae affert exempla, aut si qua similia reperiuntur, prae- 349
sens pro aoristo poni posse evincunt. Etenim ubique in his verbi modis videndum, utrum de re permanente vel aliquamdiu durante, an de eo, quod cito transit, agatur. Recte dicit Deianira, φοβοῦμαι μὴ καλῆται, quia hoc manet, neque semel, sed semper ita vocatum iri Herculem putat, ne illud commemorem, ex iis, quae ante dixerat, coniici posse, eam omnino non de re futura, sed de praesente loqui. Si κληθῇ dixisset, significaret, *metuo ne hanc appellationem accipiat*, quod unius momenti est. Eodem modo Aristophanes μὴ προσποιῇ dixit, *ne affectes mea:* προσποιήσῃ si dixisset, id esset *ne petas:* quod semel et paucis fit, quum illud diuturnum sit et per- 355
manentem voluntatem indicet. In adnotatione ita scribit: L.
"Aristophanes Vesp. **1432.** ὕβριζ', ἕως ἂν τὴν δίκην ἄρχων καλῇ. Quis non mallet καλέσῃ, si per metrum liceret?" Hoc alius generis est. Nam iidem modi saepe etiam propria temporum suorum significatione usurpantur, neque id tamen temere et sine caussa. Si καλέσῃ dixisset, sensus esset: *iace contumelias, usque dum litem vocaverit archon.* At hoc minus accurate dictum foret: iam enim dum ille vocat, cadet spiritus Philocleoni. Itaque recte dicit, ἕως ἂν καλῇ *usque dum vocet*, i. e. quamdiu non vocabit. Valde idoneum huic rei illustrandae est illud Xenophontis Cyrop. III. 3, 18. καὶ οὐκ ἀναμένομεν, ἕως ἂν ἡ ἡμετέρα χώρα κακῶται: *neque exspectamus dum nostram regionem vastare incipiant.* Κακωθῇ si dixisset, nemo non videt quam id alienum foret: *dum vastaverint.* Herodotum vero, qui VII. **141.** scripsit, ἀλλ' αὐτοῦ τῇδε μενέομεν, ἔστ' ἂν καὶ τελευτήσωμεν, apertum est nullo modo scribere potuisse τελευτῶμεν. Addit Elmsleius in alia adnotatione, si vera sint, quae nos ad Aiacem v. **272.** dixerimus, apud Euripidem potius μή τι βουλεύεις scribendum fore. Sed veretur, ne id non recte contenderimus, siquidem non memi-

nerit, se apud Atticos poëtas legere *δέδοικα μὴ ἔστι*, nec putet eos nisi in praeteritis verborum temporibus indicativo uti. Non negamus, pleraque huius constructionis exempla praeteritum habere: sed quum per se intelligatur, ubi praeterito perfecto locus sit, recte etiam praesens poni, apparet nihil esse, quod praesentis indicativum usurpari prohibeat. Sed operae pretium est, hanc rem accuratius considerare, ut eius caussae in clara luce conspici possint. Bene Schaeferus in Meletem. p. 115. seq. docuit, quid differat, utrum dicas, *ὅρα καθ' ὕπνον μὴ κατακλιθεὶς κυρεῖ*, an, *ὅρα μὴ κυρῇ*. Indicativo enim significari, *vide num dormiat;* coniunctivo, *vide ne dormiat*, i. e. vereor, ne dormiat. Horum illud est nescientis, sitne quid, an non sit; hoc autem metuentis, ne
350 sit. Vtrumque aut est, aut non est: sed qui nescit, utrum sit, an non sit, nihil nisi veritatem rei cognoscere vult, i. e. eum, in quo nunc res est, statum; qui autem metuit, ne sit, cupit non esse, operamque dari vult, ut, si non est, ne fiat; si est, ut esse desinat: quod est futuri temporis. Quare ille indicativo, ut qui verum rei statum indicet; hic coniunctivo, in quo futuri significatio inest, utitur. Neque enim existimandum est, diversas esse significationes particulae *μή*, ut quum Latine *num* et *ne* dicimus, quarum altera indicativum, altera coniunctivum requirat. Nam si ita esset, non posset illa particula uno eodemque in loco simul utramque significationem habere, quod necessarium foret, ubi cum utroque modo coniuncta est, ut apud Euripidem in Phoen. 90.

356 L.
ἐπίσχες, ὡς ἂν προὐξερευνήσω στίβον,
μή τις πολιτῶν ἐν τρίβῳ φαντάζεται,
κἀμοὶ μὲν ἔλθῃ φαῦλος ὡς δούλῳ ψόγος,
σοὶ δ' ὡς ἀνάσσῃ.

Nam ut priora recte vertas, *num quis in via appareat*, at mox necessario debebis dicere, *ne reprehendar.* Recte vero utrumque sic dices: *ne quis appareat, reprehendarque.* Quod si non in particula caussa inest, cur indicativus aut coniunctivus adhibeatur, num forte inest in

verbo, ex quo pendet particula? Ne hoc quidem. Esto enim, ut ὅρα μὴ εὕδει et ὅρα μὴ εὕδῃ duplicem admittat verbi significationem, alteram cognoscendi, alteram cavendi: at ea ipsa verba, quae quam maxime cavendi metuendique notionem habent, indicativo iunguntur. Homerus Od. *E.* 300.

δείδω, μὴ δὴ πάντα θεὰ νημερτέα εἶπεν.

Thucyd. III. 53. *νῦν δὲ φοβούμεθα, μὴ ἀμφοτέρων ἅμα ἡμαρτήκαμεν.* Vid. Matthiae Gr. Gr. §. 520. not. 5. Cur vero alter non εἴπῃ, alter non ἡμαρτήκωμεν dixit, quum utrique liceret? Homerum dicat quis ambiguitatem vitare voluisse, quum εἴπῃ et *dixerit* et *dicat* significare possit. Esto: (sane enim ambiguum est εἴπῃ, ut de uno deae sermone. Nulla ambiguitas apud Platonem Cratyl. p. 517. A. *ἀλλὰ μέντοι πολλοῦ γε δεῖ, ὦ Σώκρατες, μή ποτέ τις τῶν νῦν ἔργα τοιαῦτα ἐργάσηται:* ubi quum de pluribus factis sermo sit, ἐργάσηται necessario est *perfecerit*, ut Heindorfius interpretatur: nam de praesenti tempore ob eamdem caussam ἐργάζηται dicendum erat, quod quidem Basileensis secunda habet, ne unum, idque breve factum intelligeretur.) Sed quid Thucydidem censebimus? Nam in perfecti coniunctivo nulla ambiguitas est. Nimirum de praeteritis proprie non possumus metuere, quia omnis metus de futuro est. Itaque ubi de re praeterita metuimus, nihil aliud possumus me-351
tuere, quam ne cognoscamus factum esse, quod nolimus evenisse. Aliter, si de tali re nos metuere dicimus, abutimur verbo metuendi, ut nihil nisi nescire nos, quid factum sit, significemus. Vt si quis de amici vita sollicitus sit, is si dicit, *δέδοικα μὴ τεθνήκῃ*, hoc dicit, *metuo ne mortuum esse accipiam.* Sin dicat, *δέδοικα μὴ τέθνηκε*, non sollicitudinem suam et metum, sed opinionem significabit. Iam quum in plerisque rebus praeteritis frustra sit metuere quidquam, satis plerumque est, si tantummodo opinionem nostram indicamus. Eadem vero etiam praesentium ratio est. Nam quod iam est, coepit esse, eoque non amplius metui ut futurum potest. Vt si Euripides dixisset, *ὀρρωδία μοι, μή τι βουλεύεις κακόν*: i. e.

opinor te aliquid mali agitare. Pertinent huc etiam ea, quae semper sunt. Lucianus Hermotim. c. 53. T. 3571 I. p. 797. *εἰδέναι δὲ ὅστις ὁ τἀληθῆ λέγων ἐστίν, ὅρα* L. *μὴ οὐχὶ μορίου ἐστὶν ἡμέρας, ἀλλὰ πολλῶν ἡμερῶν δέηται.* Schaeferus in Meletem. p. 115. *δεῖται* scribi iubet, quod neque necessarium et minus elegans est. Quum enim, quod non potest particula aliqua diei perfici, non continuo integros multos dies impleat, distincte apteque Lucianus indicativum de eo, quod certum videretur; coniunctivum de eo, quod dubitationi obnoxium esset, posuit: *non particulae dici, opinor, est, sed vereor ne sit multorum dierum.* Etiam in futuris haec ratio obtinet. Xenophon Anab. I. 8, 24. *ἔνθα δὴ Κῦρος δείσας μὴ ὄπισθεν γενόμενος κατακόψει τὸ Ἑλληνικόν, ἐλαύνει ἀντίος.* Sic edd. vett. i. e. *putans eum a tergo impetum facturum.* Recentiorum edd. scriptura *κατακόψῃ* metum potius indicat, *veritus ne impetum faceret.* Sed satis dictum ad illud illustrandum, quod volebam. Infinita enim haec et inexhausta materia est. Vnum tamen addam: ad quod velim attendant, qui de his rebus quaerunt. Quum omnis metus ad futura spectet, non est idem, praesentisne coniunctivo, an coniunctivo aoristi, an futuro utare. Nam coniunctivus, cuiuscumque ille temporis sit, ad ea refertur, quae certo tempore, et quidem, si non diserte est definitum, eo, quod nunc instat, futura esse metuimus; ita quidem, ut praesentis coniunctivus de re vel diutius durante, vel saepius repetenda, aoristi autem de uno eoque celeriter peragendo facto intelligatur. Futuro autem ibi locus est, ubi quid infinito tempore, i. e. aliquando eventurum metuimus. Tria harum trium formarum vicina exempla sunt in Aristophanis Ecclesiazusis: primum v. 465.

ἐκεῖνο δεινὸν τοῖσιν ἡλίκοισι νῷν,
μὴ καταλαβοῦσαι τῆς πόλεως τὰς ἡνίας,
ἔπειτ᾽ ἀναγκάζωσι πρὸς βίαν
κινεῖν ἑαυτάς.

Secundum v. 481. 352

φύλαττε σαυτὸν ἀσφαλῶς, πολλοὶ γὰρ οἱ πανοῦργοι,
μήπου τις ἐκ τοὔπισθεν ὢν τὸ σχῆμα καταφυλάξῃ.

Tertium v. 436.

πρὸς ταῦτα συστέλλου σεαυτήν,
κύκλῳ περισκοπουμένη τἀκεῖσε καὶ τὰ τῇδε
ἐκ δεξιῶν, μὴ ξυμφορὰ γενήσεται τὸ πρᾶγμα.

Non obstant his talia, qualis Xenophontis locus est, quem modo vidimus. In quo esti scribi potest, quod Schneidero in mentem venit, *κατακόψειε*, tamen futurum, si de opinione accipitur, recte se habet; non, si de metu. Scilicet hoc illud est, in quo difficultas linguae Graecae posita est, quod multa, quae eodem modo dicuntur, alibi alios explicatus habent. In eadem adnotatione quod de Herodoti loco VII. 103. Elmsleius nobis contradixit, 358
recte fecit. Nam sane, quod ibi scriptum est, *ὅρα μὴ* L.
μάτην κόμπος ὁ λόγος οὗτος ὁ εἰρημένος εἴη, non debebamus interpretari, *vide ne fuerit*, quum optativus, licet saepe de praeteritis usurpetur, tamen non aliter ad praeterita referatur, nisi si alio verbo id tempus indicatum sit. Sed minime tamen in eo accedendum putamus Elmsleio, quod sine dubio *ἔῃ* apud Herodotum scribendum esse dicit. Nam *ᾖ* consuevit ille dicere, esti in plurali *ἔωσι* scribit. Sanum vero est, nisi vehementer fallimur, quod libri omnes habent, *εἴη*, sed aliter, quam ad Aiacem diximus, explicandum. Quod intelligetur, considerata omni verborum complexione, quae haec est: *εἰ γὰρ κείνων ἕκαστος δέκα ἀνδρῶν τῆς στρατιῆς τῆς ἐμῆς ἀντάξιός ἐστι, σὲ δέ γε δίζημαι εἴκοσι εἶναι ἀντάξιον· καὶ οὕτω μὲν ὀρθοῖτ' ἂν ὁ λόγος ὁ παρὰ σεῦ εἰρημένος· εἰ δὲ τοιοῦτοί τε ἐόντες καὶ μεγάθεα τοσοῦτοι, οἷος σύ τε καὶ οἳ παρ' ἐμὲ φοιτῶσι Ἑλλήνων ἐς λόγους, αὐχεῖτε τοσοῦτον, ὅρα μὴ μάτην κόμπος ὁ λόγος οὗτος ὁ εἰρημένος εἴη.* Hoc dicit: *si non maiore, quam tu atque alii Graecorum, quos ego vidi,*

robore praediti tantopere gloriamini, vide ne vana ista iactatio foret. Loquitur, ut saepe fit, negligentius, apodosi ad aliam rationem protaseos conformata: id quod alio modo etiam in priore parte huius periodi fecit. Debebant enim omnia hoc ordine procedere: *si singuli vestrum decem ex nostris pares essent, recte se haberet, quod dicis; sed si nihilo nobis meliores ita gloriaremini, vana diceretis.* At, inquiat aliquis, si hoc volebat, addere debebat ἄν. Potuit addere: sed potuit etiam omittere. Recte enim omittitur haec particula in altero membro orationis, quod ita comparatum est, ut pro parte eius sententiae, cui additum est ἄν, haberi possit. Aeschylus Agam. 1058.

πείθοι' ἄν, εἰ πείθοι'· ἀπειθοίης δ' ἴσως.

353 Alia exempla vide apud Xenophontem Hier. VI. 15. XI. 11—13. Ita hic, si in pauca contrahas, hoc dicit Herodotus: καὶ οὕτω μὲν ὀρθοῖτ' ἂν ὁ λόγος, ἄλλως δὲ μάτην κόμπος εἴη.

V. 313. Praefert Elmsleius ὡς δ' αὕτως cum spiritu aspero. Accentum enim docere, non ab αὐτὸς derivatum esse hoc adverbium, sed a feminino αὕτη, ut οὕτως a masculino οὗτος. Non intercedimus, quin ita videatur formam verbi intuentibus. Sed qui etiam significationem respiciunt, iis aliter videri debere contendimus. Mirum primo, a feminino derivatum esse adverbium. Verum esto ita: quid est, quod, si οὗτος et αὕτη significatu non differunt, nisi quod sunt genere diversa, οὕτως et αὕτως diversissimas habeant significationes, et quidem αὕτως eam, quae non ab αὕτη, sed unice ab αὐτή,
359 si femininis utendum est, petita sit? Vnde quis non potius
L. colligat, αὕτως veram scripturam esse, accentum autem ab regula recedere? Caeterum ad sensum Euripidis versuum quod attinet, non satis planum est, quid statuat vir doctissimus. Verba sunt haec:

γυνὴ γὰρ ὀξύθυμος, ὡς δ' αὔτως ἀνήρ,
ῥᾴων φυλάσσειν, ἢ σιωπηλὸς σοφός.

Affert scholiastae auctoritatem, qui *φυλάσσειν* pro *φυλαχθῆναι*, i. e. *τηρηθῆναι*, dictum ait, activum pro passivo. Sed de hac re nullam controversiam esse. Fuisse autem, qui *ῥᾴων φυλάσσειν*, etsi Graecum esset, tamen ab hoc loco alienum esse censerent, quod hic *φυλάσσεσθαι* dicendum fuisset, ut Dawesium. Respondere huic Dorvillium, *φυλάσσειν* esse observare aliquem, ne aliquid faciat, auctore Demosthene. Hanc interpretationem probare Heathium et Musgravium. Nisi fallimur, ipse quoque probat. Debet certe. Quamquam aliquid suspicionis praebet, se in illo acquiescere, quod dixerat, activum pro passivo positum esse. At eo nihil efficeret. Nam etiam *φυλάσσεσθαι* si hic scriptum esset, activi vim haberet, ut *cavere* significans. Itaque de eo potius agebatur, utrum id verbum hic *cavere*, an *custodire* significaret. Non potest autem aliud quam *custodire*. Praeterea aliud erat in his versibus, de quo accuratius quaerere debebat Elmsleius quam eum fecisse videmus. Vbi scholiastae verba attulit *ῥᾴων ἐστὶ φυλάττεσθαι, φησὶν, ὀξύθυμος ἀνήρ, ὡσαύτως δὲ καὶ γυνή*, Dawesium dicit scripsisse *ἀνὴρ γὰρ ὀξύθυμος, ὡς δ' αὔτως γυνή*; sed vulgatam agnoscere alterum scholiasten, *πᾶσα γὰρ, φησὶν, ὀξύθυμος γυνή, ὁμοίως δὲ καὶ ἀνήρ, εὐμαρέστερον ἂν φυλαχθείη, ἢ ὁ κρύπτων τὴν ὀργήν*, eamque stabiliri poëtae verbis in Andr. 673.

καὶ μὴν ἴσον γ' ἀνήρ τε καὶ γυνὴ σθένει
ἀδικουμένη πρὸς ἀνδρός, ὡς δ' αὔτως ἀνήρ, 354
γυναῖκα μωραίνουσαν ἐν δόμοις ἔχων.

Accidit hic quoque viro doctissimo, quod saepius, ut in verbis haerens sententiam verborum negligeret. Nihil prorsus similitudinis est inter hos duos locos, quam quod in utroque verba sunt *ὡς δ' αὔτως ἀνήρ*. Nam in Andromacha hoc dicit poëta: par mulieri, si ei a marito

iniuria fit, ius est, ac viro: sed vir in se ipso praesidium habet, mulier in parentibus et cognatis. In Medea vero, de viro an de muliere agatur, nihil interest: sermo est enim de omnibus, qui ad iram proni sunt, sive viri sint, sive mulieres. Quod si in Andromacha necessario dici debuit ὡς δ' αὕτως ἀνήρ, hic autem etiam, ὡς δ' αὕτως γυνὴ dici potuit, quid Andromachae locus ad stabiliendam vulgatam in Medea confert? Ad dicet fortasse, etiam in Medea de muliere agi. Vero: at non quia mulier, sed quia homo est. Itaque alio
360 modo quaeri debebat, utra scriptura melior esset: no-
L. tandaque erat negligentia poëtae in opponendis iis, quae sibi non recte opponuntur. Nam primo ὀξυθύμοις σιωπηλοὶ opponendi erant. Nunc opponit σιωπηλοὺς σοφούς, quod sic demum recte fecisset, si antea μωρους ὀξυθύμους commemorasset. Deinde etsi de muliere sermo est, tamen, quia non proprium est mulierum, quod de Medea praedicat, sed commune omnium hominum, nec mulieres nec viros, sed homines dicere debebat. At id non fecit, sed prouti hanc aut alteram scripturam probaveris, mulierem aut virum nominat, et deinde sese corrigens, alterum sexum addit. Vtrumque aliquam rationem habet. Nam si dixit, ἀνὴρ γὰρ ὀξύθυμος, ὡς δ' αὕτως γυνή, existimandus erit in generali sententia virum ut potiorem nominasse, sed quoniam hic de Medea loquitur, diserte deinde, ne propter ambiguitatem vocabuli de solis loqui viris videretur, adiiciendum putasse, eamdem esse etiam mulieris conditionem. Sin dixit, γυνὴ γὰρ ὀξύθυμος, ὡς δ' αὕτως ἀνήρ, quoniam Medeam in mente haberet, de muliere dicere incepisse, sed, ne quis id in solas mulieres dictum putaret, adiecisse deinde viros. Et hoc quidem veri similius videtur, ut quod metui, in quo est, magis consentaneum sit. Neque vero praetereundum erat, quum illud σοφὸς addit, respicere eum, quod ipse ante dixerat, σοφὴ πέφυκας, et quod Medea responderat, σοφὴ γὰρ οὖσα, et quae sequuntur, tum, εἰμὶ δ' οὐκ ἄγαν σοφή.

V. 318. Repudiavit Elmsleius scripturam MS. Cott. et ed. Lasc. *γούνων*, negans ea forma usos esse tragicos contra Porsonum ad Phoen. 866. qui nobis quidem sapienter scripsisse videtur: "neque ratio fingi potest, cur tragici hac forma abstinuerint." Meminerit velimus Elmsleius suorum ipsius verborum, quae supra ad v. 147. attulimus.

V. 326. Non dixerim ego quidem utrumque bonum esse, *μὴ λάθῃ* et *μὴ λάθοι*. Hic, ubi aperte optat, non iubet Medea, optativus unice praeferendus. 355

V. 326. Quae Elmsleius ad hunc versum in subiecta adnotatione de elisionibus ante penultimam arsin in iambicis et trochaicis versibus disputavit, non libet persequi. Satis ducimus monere, non ipsas esse elisiones per se spectandas, sed verborum quoque in loco et interpunctionum rationes. Aliter et caeca manet haec diligentia, et corrumpendis aliquot locis ansam praebet.

V. 328. Laudandum quidem censemus Elmsleium, qui, quod Matthiae quoque fecit, librorum scripturam revocaverit, *πονοῦμεν ἡμεῖς κοὐ πόνων κεχρήμεθα*, neque admiserit coniecturam Musgravii, quam non modo Brunckius, sed, quod mirere, Porsonus ut certissimam recepit, *πόνος μέν· ἡμεῖς δ' οὐ πόνων κεχρήμεθα;* sed quem sibi frigidum in his verbis iocum invenire Elmsleius videtur, ab eo alienissimus fuit Euripides. Fraudem scilicet fieri sibi passus est V. D. a scholiasta et Buchanano, qui vertit, *curae premunt me, nec egeo curis novis*. Mirum profecto, latuisse viros doctos usitatissimam dicendi rationem, qua Graeci, ut quid confirment et corroborent, idem iterum dicunt negando contrario, qualia sunt *γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτα*, et millena alia. Itaque quum Creon dixisset, *desine mihi laborem facessere*, respondet Medea, *ego vero laboro, neque indiga sum laborum*, i. e. immo ego, et quidem plus satis laborum habeo. Similiter in Herc. fur. 1245. 361 L

γέμω κακῶν δή, κοὐκ ἔτ' ἔσθ' ὅπου τεθῇ.

V. 335. "Nescio," inquit, "an legendum *οἳ φευξούμεθα*." Cur vero, quum *ᾗ φευξούμεθα* hic potius, quam *οἳ φευξούμεθα* dicendum fuerit? Quid intersit, diximus ad Herc. fur. 1236.

V. 348. Iterum hic, ut supra ad v. 87., soloecum videtur Elmsleio *εἰ οὐ:* unde in Herc. fur. 1315. ubi legebatur, *ἀοιδῶν εἴπερ οὐ ψευδεῖς λόγοι*, recte in Matthiae editione repositum dicit *ἀψευδεῖς*. Monuimus iam ad v. 87. esse, ubi recte dicatur *εἰ οὐ*. Sed ne exempla requirantur, en quaedam. Homerus Od. *β*. 274.

εἰ δ' οὐ κείνου γ' ἐσσὶ γόνος καὶ Πηνελοπείης.

Antiphanes ap. Athen. III. p. 99. A.

ἐκ τοῦ γὰρ εἶναι γέγονεν· εἰ δ' οὐκ ἦν, ὅθεν,
πῶς ἐγένετ' ἐξ οὐκ ὄντος;

Herodotus VII. 9. *καὶ γὰρ δεινὸν ἂν εἴη πρᾶγμα, εἰ Σάκας μὲν καὶ Ἰνδους καὶ Αἰθίοπας καὶ Ἀσσυρίους, ἄλλα τε ἔθνεα πολλὰ καὶ μεγάλα, ἀδικήσαντα Πέρ-*
356 *σας οὐδέν, ἀλλὰ δύναμιν προσκτᾶσθαι βουλόμενοι, καταστρεψάμενοι δούλους ἔχομεν· Ἕλληνας δὲ, ὑπάρξαντας ἀδικίης, οὐ τιμωρησόμεθα.* Eodem modo Andocides de myster. p. 13. (51. Reisk.) *οὐκοῦν δεινόν, εἰ ὑπὸ μὲν τούτων διὰ τοῦτ' ἂν ἀπωλόμην, ὅτι εἰς τὴν πόλιν οὐδὲν ἥμαρτον, ὥσπερ καὶ ἑτέρους ἀπέκτειναν, ἐν ὑμῖν δὲ κρινόμενος, οὓς οὐδὲν κακὸν πεποίηκα, οὐ σωθήσομαι;* et Aeschines c. Ctesiph. p. 641. seq. ed. Reisk. cuius locum, quia longior est, nolo adscribere. Andocides de myster. p. 5. (17. Reisk.) *εἰ δὲ οὐδὲν ἡμάρτηταί μοι.* Pythagoreus incertus in Galii Opusc. p. 725. *ἀλλὰ γὰρ φαντὶ ὡς ταῦτα μὲν λέγοντι, ὅταν τις αὐτοὺς ἐρωτῇ· ἀλλὰ τοὶ μὲν σοφοί, τῷ δέοντι· τοὶ δὲ μαινόμενοι, εἰ οὐ δεῖ.*

V. 409. Facile accedimus viro doctissimo, futurum reponendum iudicanti. Sed quod *στρέφουσι* in *στέψουσι* mutari vult, non probamus, multoque melius esse censemus, quod, si illud displiceat, proponit, *στρέψουσι*. Nam non solum mutatio minor est, sed ipsum etiam verbum huic loco longe est convenientius, ut in quo id ipsum dicere velit poëta, conversum iri contemptum mulierum in laudem.

V. 420. Adscivit Elmsleius, quod Porsonus ex sola Aldina posuit, *πατρίων* pro *πατρῴων*, eodem argumen- 362
to, quo v. 428. *μένει* potius quam *μίμνει* legendum L
sit. Negamus vero, parem utriusque verbi conditionem esse. Nam *μένει* et *μίμνει*, praeterquam quod durissima foret correptio ante *μν*, neque significatu, neque colore differunt: quod non est in *πάτριος* et *πατρῷος*, quae quum significatu differant, differunt etiam colore, i. e. potestate, quam ad animi affectionem habent per ea, quae adsignificantur, etiam ubi ad rem ipsam idem est, utro vocabulo utare. Obscure differentiam indicavit grammaticus in Bekkeri Anecd. T. I. p. 297, 30. *πατρῷα λέγουσιν οἱ ῥήτορες χρήματα καὶ κτήματα καὶ τόπους, πάτρια δὲ τὰ ἔθη καὶ τὰ νόμιμα καὶ τὰ μυστήρια καὶ τὰς ἑορτάς, πατρικὸν δὲ φίλον ἢ ἐχθρόν.* Differunt haec ita: *πάτρια* sunt, quae sunt patris; *πατρῷα*, quae veniunt a patre; *πατρικά*, qualia sunt patris *). Ita Pindarus proprie dixit *πατρία ὅσσα, πατρία ὁδὸς* Ol. VI. 106. Nem. II. 9. *Πατρῷα* autem tantum abest ut eadem sint quae *πάτρια*, ut sint ea, quae sunt *κατὰ τὰ πάτρια*. Vt ad Euripidem revertar, ad rem ipsam quidem idem est, utrum *ἐκ πατρίων* an *ἐκ πατρῴων οἴκων* profuga dicatur Medea, sed vim tamen non eamdem utrumque verbum habet. Nam patris domum qui relinquit, non videtur suam relinquere domum; patria domo autem qui excedit, sua domo caret, in qua habitare eum ius erat.

*) Exstat *πατρικὸς* in Eurip. Ione v. 1304.

Ita spurio filio *πάτριος οἶκος* est, genuino *πατρῷος*, si proprie verba usurpamus. Quod autem ad mensuram mediae syllabae attinet, quid impedit, quin, si *γεραιός*, 357 *δείλαιος*, atque alia, media correpta dicuntur, idem etiam in vocabulo *πατρῷος* fieri potuerit? Modo apte fiat. Neminem autem opinamur tam invenustum esse, ut non sponte sentiat, eam correptionem in vocabulo primam syllabam natura brevem habente non aliter sine elegantiae detrimento admitti posse, nisi si ictus in ultimam incidat, prima autem licet propter duplicem consonantem produci possit, brevis maneat. Quare nihil offensionis habent talia,

σὺ δ' ἐκ μέν οἴκων πατρῴων ἔπλευσας·
ξείνου πατρῴου φυλακαῖσιν.

At turpissimus foret versus Glyconeus Pindari Nem. II. 9. si sic scriptus esset:

ὀφείλει δ' ἔτι πατρῴαν.

V. 431. Quum pro vulgato *τῶν δὲ λέκτρων* Porsonus *σῶν τε λέκτρων* coniecisset, (sentiebat enim et articulum languidum esse, et praegresso *οὔτε* respondere aliquid debere) recepit eam coniecturam Elmsleius. Et *σῶν* quidem nemo erit quin verum esse intelligat, *δὲ* autem nollemus mutatum, quod recte et apte hic ad *οὔτε* refertur. Saepe sibi *τε* et *δὲ* respondent, ubi singula membra et verbum suum habent, et res eiusmodi est, ut quae 363 per *τε* et partes disiungi coeperant, etiam opponi sibi L possint. Sophocles Oed. Col. 367.

πρὶν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἦν ἔρως Κρέοντί τε
θρόνους ἑᾶσθαι, μηδὲ χραίνεσθαι πόλιν.

Vide Brunckium ad Aesch. S. c. Theb. 835. Sic etiam Latini *et* et *autem* coniungunt. Est autem in his rebus illa quam dicunt grata negligentia posita, quae libera ab exili grammaticorum severitate ita quoque in loco conformat orationem, uti sententia postulat. Eo fine enim inventa est oratio, ut id, quod sentiamus, apte accommo-

dateque exprimat. Et hoc in genere saepius videmus Elmsleium veteres scriptores ad eum modum corrigere, quo ludimagistri pueros solent, quum primum scribere discunt. At illi regulas discere debent: sed has qui iam didicerunt, his licet eas etiam aliquando prudenter negligere.

PARS III.

(Diar. classic. fasc. XLIV.)

Quod instituimus, ut ex P. Elmsleii adnotationibus ad Euripidis Medeam ea potissimum afferremus, in quibus dissentiendum ab editore doctissimo putamus, in eo iam pergemus, ut coepimus, omissis quae vel leviora sunt, 403
vel, qualia multa esse iam alio tempore diximus, praeter necessitatem tentata nobis videntur.

V. **438**. "Apud Euripidem," inquit, "Hec. **1028**. (**1011**. Pors.) non optime Graece dictum videtur *ἐκπέσῃ*, quod defendit Porsonus." Verba sunt, *Ἀλίμενόν τις ὡς ἐς ἄντλον πεσὼν λέχριος ἐκπέσῃ φίλας καρδίας*. Miramur vero, non optime Graece dicta videri viro doctissimo, quae Homeri exemplo dixit Euripides. Ita Iliad. *χ*. **93**. *ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένησιν*. Et saepe alibi. Sed saepius videtur Elmsleius iniuria reprehendere Porsonum.

V. **472**, **473**. Medea se dicit Peliam occidisse his verbis: *Πελίαν τ' ἀπέκτειν', ὥσπερ ἄλγιστον θανεῖν, παίδων ὑπ' αὐτοῦ*. "Immo" inquit, "*παίδων ὑφ' αὐτοῦ*." Et ita edidit: recte sane, si haec verba ad *θανεῖν* retulit. At quid cogit id facere, quum etiam ad *ἀπέκτεινα* referri possint? Ita vero recte se habebat

librorum scriptura. Eaque nescio an etiam fortior sit ad sententiam.

V. 477, 478. Disputat hic de verbis, *εἰ γὰρ ἦσθ' ἅπαις ἔτι, σύγγνωστ' ἂν ἦν σοι τοῦδ' ἐρασθῆναι λέχους*, 364 scripturamque librorum nonnullorum, *σύγγνωστον ἦν* L *σοι*, defendi posse ait Sophoclis verbis in Oed. R. 255. *οὐδ' εἰ γὰρ ἦν τὸ πρᾶγμα μὴ θεήλατον, ἀκάθαρτον ὑμᾶς εἰκὸς ἦν οὕτως ἐᾶν*, sed rectius addi *ἄν*, ut in Eurip. El. 1024. *κεἰ μέν πόλεως ἄλωσιν ἐξιώμενος, ἢ δῶμ' ὀνήσων, τἄλλα τ' ἐκσώζων τέκνα, ἔκτεινε πολλῶν μίαν ὕπερ, σύγγνωστ' ἂν ἦν.* Cur tandem rectius? In Sophoclis quidem exemplo non recte adderetur particula; in Euripidis autem locis et addi eam et omitti potuisse, qui huius particulae vim et potestatem perspexerit, intelliget. Sed de hac re alio loco dicemus.

V. 480. Non audemus nos quidem quaestionem difficillimam, quam hic movit Elmsleius, dirimere, sed illud videmus, eum neque recte satis, neque caute iudicasse. Verba sunt: *οὐδ' ἔχω μαθεῖν, ἢ θεοὺς νομίζεις τοὺς τότ' οὐκ ἄρχειν ἔτι, ἢ καινὰ κεῖσθαι θέσμι' ἀνθρώποις τανῦν.* Quum lib. Put., Reiskius, Musgravius, Porsonus, *εἰ θεοὺς* dedissent, vulgatam *ἢ θεοὺς* revocavit Elmsleius. Nam pro *πότερον* in priore membro etiam *ἤ* dici. At quibus tandem id exemplis confirmavit? Mul- 401 torum haec res, si quidquam, exemplorum erat, eorumque et certorum et accommodatorum. At Elmsleius quinque tantum exempla dedit, quorum duo plane aliena sunt, unum Aeschyli Prom. 779. *ἑλοῦ γὰρ, ἢ πόνων τὰ λοιπά σου* (ita scribit) *φράσω σαφηνῶς, ἢ τὸν ἐκλύσοντ' ἐμέ.* Nam ut *πότερον* hic dici potuerit, non tam de hoc, quam de eo quaerebatur, an *εἰ* et *ἤ* permutari liceret. Atqui *εἰ* hic dici non potuit. Alterum Homeri est Il. *ε*. 671. *μερμήριξε δ' ἔπειτα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν, ἢ προτέρω Διὸς υἱὸν ἐριγδούποιο διώκοι, ἢ ὄγε τῶν πλεόνων Λυκίων ἄπο θυμὸν ἕλοιτο.* Neque in Matthiae Gr. Gr. §. 609. quem auctorem citat, aliud quam unum

huic simillimum exemplum profertur ex Iliad. *α.* **190.** Vtroque in loco, pariterque in Aeschyli exemplo plane abesse prius *ἦ* poterat: ex quo satis patet, non posse haec exempla cum Euripidis verbis comparari, nisi quis apud hunc praeferendam censeat elegantissimam lectionem, quae apud scholiasten Aeschinis exstat, *ἦ θεοὺς νομίζω*, quam mirum est neque Porsono neque Elmsleio aliqua commendatione dignam visam esse. Caetera, quibus Elmsleius utitur, exempla haec sunt. Aeschyli in Choephoris **783.** *οὐ γάρ τι φωνεῖ παῖς ἔτ' ὢν ἐν σπαργάνοις, ἢ λιμός, ἢ διψῇ τις, ἢ λιψουρίαν ἔχει.* Ita Elmsleius scribit. Nobis *εἰ*, ut Porsono aliisque, requiri videbatur, nec caetera recte constituisse Elmsleium putamus. Deinde Sophoclis in Oed. C. **79.** *οἵδε γὰρ κρινοῦσί γε, ἢ χρή σε μίμνειν, ἢ πορεύεσθαι πάλιν.* Vbi particula *γε* offensus, cuius vim non perceperat, *κρινοῦσιν εὖ* scribendum putat, quo nihil fingi potest frigidius. Sed *ἢ χρὴ* veteres libri: at iam Turnebi et Stephani edd. *εἰ χρή*, quod nobis verum videtur. Denique apud Homerum Iliad. *β.* **299.** *τλῆτε, φίλοι, καὶ μείνατ' ἐπὶ χρόνον, ὄφρα δαῶμεν, ἢ ἐτεὸν Κάλχας μαντεύεται, ἠὲ καὶ οὐκί*, recte sic Heynium pro *εἰ ἐτεόν* scripsisse dicit. 365
Quid vero his tribus, iisque tam dubiis exemplis efficitur? L
Apertum est, ea toto caelo ab illis, quae ante commemorata sunt, differre. Praeterea quum nihil neque facilius neque frequentius sit commutatione particularum *εἰ* et *ἤ*, eiusmodi exempla proferenda erant, in quibus aut certo non esse *εἰ* positum credi posset, aut, quod optimum fuisset, neutra particula in priore membro inveniretur. Hoc enim solum genus idoneam hac in re probandi vim habet.

V. **487.** Non intercedimus, quominus, quod scho- 405
liastes quoque habuit, *δοκοῦσα μέν τί πρός γε σοῦ πρᾶξειν καλῶς* scribatur, ut id sit, *nihil a te quidem commodi* exspectans: sed illud miramur, quod scribit Elmsleius: "Par. D. pro var. lect. Burn. *δοκοῦσα μή τι*, quod admisit Musgravius. Male. Non dicitur *δοκῶ μὴ πρά-*

ξειν καλῶς, sed δοκῶ οὐ πράξειν καλῶς." Idque confirmat duobus exemplis, quibus tertium in auctario addidit. Silet vir doctissimus de Porsono, reverentia quadam. Nam etiam Porsonus μή τι recepit. At itane imperitum Graecae linguae fuisse Porsonum, ut, si δοκῶ μὴ non dicatur, id nescierit? Immo Elmsleius, exempla, quorum forte meminerat, non rationem linguae, respiciens, novam illam, sed falsissimam regulam commentus est. Nam ubi οὐ dicendum, οὔ; ubi μή, μὴ cum hoc verbo coniungitur. Aeschylus Prom. 740. εἶναι δόκει σοι μηδέπω ἐν προοιμίοις. Sept. ad Th. 621. δοκῶ μὲν οὖν σφε μηδὲ προϐαλεῖν πύλαις.

Simile nobis videtur, quum ad v. 496. πολλαῖς μακαρίαν ἀν' Ἑλλάδα non putavit stare posse, nisi etiam πολλοῖς legatur. Vnde Ἑλληνίδων recepit, quod facilius quis interpretibus deberi suspicetur. Hic quoque nollemus a Porsoni acutiore iudicio recessisset.

Etiam ad v. 513. diligentiam desideramus, quum notandum dicit καὶ λίαν, quod paullo maiorem vim habeat, quam λίαν. Neque enim καὶ λίαν coniunctim dicuntur, ut saepe καὶ δή, sed καὶ ad totam sententiam pertinet. Eadem ratio est, ubi καὶ πολύ dicitur, de qua re infra dicit ad v. 871.

Acute disputat Elmsleius de v. 552. in quo εὐδαιμονοῖμεν ab Euripide scriptum coniicit, quod non diffitemur maiorem quamdam humanitatis speciem praebere, quam quod libri habent εὐδαιμονοίην. Non videtur tamen haec satis idonea caussa esse reponendi pluralis, probamusque, quod non est in textum receptus. Eodem versu quum libri habeant, σοί τε γὰρ παίδων τί δεῖ, ἐμοί τε λύει τοῖσι μέλλουσιν τέκνοις τὰ ζῶντ' ὀνῆσαι, perelegans est Elmsleii coniectura, σοί τε γὰρ παίδων μέλει. Sed non putamus tamen quidquam mutandum esse. Nam qui est mos Graecorum, ut sine ambagibus dicant, quae hodie
406 si quis dicat, rudis et parum elegans videatur, eo hic

quoque Iasonem uti voluit poëta, idque tanto magis, ut 366
ex ipsius oratione eluceret, eum sui ipsius maxime stu- L
diosum esse. Vt igitur propter hanc caussam etiam illud *εὐδαιμονοίην* defendendum putamus, ita non offendimur, si, quo initum ab se novum connubium excuset, his duobus argumentis utitur, neque Medeam, ut cui iam sint liberi, prole indigere, et se, quos ex ea susceperit liberos, eos praesidium habere velle ab iis, qui ipsi ex novo illo coniugio nascituri sint. Quid quod ipsa Medea, ubi se in Iasonis sententiam concedere simulat, v. 850. utrumque argumentum repetit: *οὐκ εἰσὶ μέν μοι παῖδες, οἶδα δὲ χθόνα φεύγοντας ἡμᾶς καὶ σπανίζοντας φίλων;* Non debebat autem Elmsleius, qui sine interpunctione scripsit, *ἐμοί τε λύει τοῖσι μέλλουσιν τέκνοις τὰ ζῶντ' ὀνῆσαι*, illud praeterire, male a Porsono, et repugnante sensu loci comma post *τέκνοις* positum esse, quum alii recte post *λύει* distinxissent. Hoc quoque confirmat Medea infra v. 847. dicens, *καὶ κασιγνήτους τέκνοις ἐμοῖς φυτεύων.* Caeterum in adnotatione ad h. l. sine idonea ratione Elmsleius in Aeschyli Prom. 81. scribit *προμηθίας*, atque in eiusdem poëtae Eumen. v. 94. *τί δεῖ* corrupta putat.

V. 581. Acute coniicit, *γῆμαί με λέκτρα βασιλέων*, quia vulgatum *βασιλέως* potius uxorem regis, quam filiam significaturum esset. Sed prorsus alienum est, quod affert, *βασιλῆς* interdum reginam significare. Neque enim id hoc loco fieri potest, sed *λέκτρα βασιλέων* regum, i. e. regium torum notat.

V. 587. Librorum scripturam, *οἶσθ' ὡς μετεύξει καὶ σοφωτέρα φανεῖ*, sic mutandam censuit, eamque mutationem in textum recepit, *οἶσθ' ὡς μέτευξαι (καὶ σοφωτέρα φανεῖ)*. Idque praeceperat iam ad Soph. Oed. R. 543. At ut ita loqui soliti sint Attici, ex eo non sequitur, ubique ita loquutos esse. Quin ipsa cogitandi celeritas, cui haec formula originem debet, suadet, ut pro diversa sententiarum coniunctione aliis in locis aliter

loquutos esse censeamus. Atque ut Euripides in Iph. Taur. 759. scripsit, ἀλλ' οἶσθ' ὃ δράσω, ita quid est quare non potuerit dicere, οἶσθ' ὡς μετεύξει καὶ σοφωτέρα φανεῖ? Neque movet me, quod ex Troad. 721. affert Elmsleius, ἀλλ' ὡς γενέσθω, καὶ σοφωτέρα φανεῖ. 407 Nemo enim non videt diversissima haec esse, siquidem illic primarium est ὡς γενέσθω, hic autem σοφωτέραν φαίνεσθαι.

V. 614. In carmine chorico non videtur Elmsleius satis perspectas habuisse leges numeri Dorii. Aliter non recepisset coniecturam Porsoni, inserto ἐν versum praebentis heroicum,

οὐδ' ἀρετὰν παρέδωκαν ἐν ἀνδράσιν, εἰ δ' ἄλις
ἔλθοι.

Est enim is alienus ab hoc genere numeri. Id quod et tragicorum et maxime Pindari exempla docent. Debebant in duos versus, sive κῶλα appellare mavis, dividi,

οὐδ' ἀρατὰν παρέδωκαν
867 ἀνδράσιν, εἰ δ' ἄλις ἔλθοι,
L

et in antistropha,

μηδέποτ' ἀμφιλόγους ὀρ-
γὰς, ἀκόρεστά τε νείκη.

Vltima enim syllaba anceps est. Eadem metri ignoratione in Aeschyli Prom. 531. versus ita distinguit:

βουφόνοις παρ' Ὠκεανοῖο πατρὸς
ἄσβεστον πόρον.

At talibus numeris isto in carmine non erat locus.

Neque vero in Medeae v. 640. ᾤκτισεν probandum erat, quod ex Musgravii coniectura admisit Porsonus. Nam vel brevis syllaba, quae praeter morem in Porsoni descriptione utrubique praecedentem versum ter-

minat, de prava distinctione metrorum debebat admonere. Versus isti sic constituendi sunt:

τὸν ἀμαχανίας ἔχουσα δυσπέ-
ρατον αἰῶν᾽.
σὲ γὰρ οὐ πόλις, οὐ φίλων τις ὤκτει-
ρεν παθοῦσαν.

Denique aliter quidem, quam Porsonus, sed non hercle melius, ultimos strophae versus disposuit Elmsleius:

ἀμέραν, τάνδ᾽ ἐξανύσα-
σα. μόχθων οὐκ ἄλλος ὕπερ-
θεν, ἢ γᾶς πατρίας στερέσθαι.

Qui numeri, ita distributis vocabulis, pessimi sunt, omninoque a colore huius carminis videntur alieni esse. De- 408
bebant ita distingui:

ἀμέραν τάνδ᾽ ἐξανύσασα· μό-
χθων δ᾽ οὐκ ἄλλος ὕπερθεν, ἢ
γᾶς πατρίας στερέσθαι.

Vt τὶς pro οὐκ coniiceretur, non erat idonea caussa. Illud recte factum, quod v. 632. οἰκτροτάτων, et v. 641. δεινότατον revocatum est.

V. 633. Non immerito haeret Elmsleius in explicanda vulgata, θανάτῳ, θανάτῳ πάρος δαμείην, ἀμέραν τάνδ᾽ ἐξανύσασα, quum dici debuisse videatur, ἢ vel πρὶν ἐξανύσαι τήνδε ἡμέραν. Nihil tamen caussae est, quare hunc locum de vitio suspectum habeamus. Eadem enim dicendi forma usus est poëta, qua δείξω γεγὼς et similia saepissime dicuntur, quae proprie conversio quaedam est sententiarum. Ita ἀμέραν τάνδ᾽ ἐξανύσασα, θανάτῳ πάρος δαμείην, proprie est, *hoc die perfuncta, prius moriar*: quod nihil aliud esse apparet, quam *moriar potius, quam hunc diem exegerim.* Nam πάρος, πρίν, et similia, ut apud Germanos, saepe nihil aliud 368

quam *potius* significant. Ita Homerus: *τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω· πρίν μιν καὶ γῆρας ἐπεισιν ἡμετέρῳ ἐνὶ οἴκῳ.* Simili forma dicendi, ut in Medea, etiam in Alcestide v. 900. ed. Monk. usus est Euripides: *τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μεῖζον, ἁμαρτεῖν πιστῆς ἀλόχου.* In quo loco frustra haeserunt interpretes et critici. Hoc dicit: *ἁμαρτεῖν πιστῆς ἀλόχου, τί τούτου μεῖζον ἀνδρὶ κακόν;*

V. 659. Dedit Elmsleius cum Porsono, *θέμις μέν, ἡμᾶς χρησμὸν εἰδέναι θεοῦ;* quae est librorum prope omnium scriptura. Ald. male, *θέμις δ' ἄν.* At non satis erat, quod nullo pacto dici potuit, damnasse; ostendendum erat etiam, quo pacto stare posset, quod grammaticae quidem non repugnaret, sed sensum tamen non videretur idoneum praebere. Nam quid *μέν* sibi velit, vereor, ut quisquam docere queat *). Nobis et *δ' ἄν* et *μέν* supplementa videntur a grammaticis illata ad versum sustinendum, quum *θέμις* scribi coepisset. Euripidem dedisse putamus:

θεμιστὸν ἡμᾶς χρησμὸν εἰδέναι θεοῦ;

Quod mox dicit Medea v. 661. *τί δῆτ' ἔχρησε; λέξον, εἰ*
409 *θέμις κλύειν*, in eo tantum abest, ut abundet *εἰ θέμις κλύειν*, ut verissima sit Brunckii observatio, *εἰ* ratiocinantis esse. Nam quum Aegeus ad superiora verba respondisset *μάλιστα*, recte infert Medea, *ergo, si fas est me scire, edissere.* Non magis verum est, quod vult Elmsleius, eodem modo v. 1287. *εἰ* abundare: *εἰ δ' ἐμοῦ χρείαν ἔχεις, λέγ', εἴ τι βούλει.* Quis enim non videt, horum verborum hunc esse sensum: *si me indiges, dic, quod vis dicere.*

V. 667. Distinxit Elmsleius cum Porsono, *παῖς, ὡς λέγουσι, Πέλοπος εὐσεβέστατος*, quod mavult, quam cum Aldo et Lascari post *Πέλοπος* distingui, quia melior

*) At vide infra ad v. 1098.

sit ea ratio, quae Pittheum non solum *εὐσεβέστατον*, sed Pelopis filiorum *εὐσεβέστατον* faciat. Eam rationem nos quidem minime meliorem esse putamus. Nam hic non agitur de eo, qui Pelopis filiorum magis minusve pius sit, sed illud quaeritur, an is sit pius, ad quem devertere vult Aegeus: quem nihil cogebat ad Pelopis filiorum aliquem accedere, quem non putaret impium esse, sed quaerere virum bonum, quicum communicare oraculum posset, sive is Pelopis, sive alius viri esset filius. Quare omnino probanda distinctio illa, *παῖς, ὡς λέγουσι, Πέλοπος, εὐσεβέστατος*. Duo enim respondet, et qui sit, ad quem eat, et cur eum adeat.

V. **672**. *Τί γὰρ σὸν ὄμμα χρώς τε συντέτηχ' ὅδε.* "An dicitur *ὄμμα συντέτηκε?* Non opinor. Supplendum igitur *τέγγεται* vel aliquid huiusmodi." Cur vero? Non hic, quid diceretur, sed quid esset, quaeri debebat. Quod est autem, quidni dicatur esse? Afflicti enim et oculis et colore corporis languescunt.

V. **673**. *Αἰγεῦ κάκιστός ἐστί μοι πάντων πόσις.* "Rom. A. ut Aldus *κάκιστός ἐστί μοι*. Lego: *κάκιστος ἐστί μοι*. Ita Brunckius, quem sequuntur Porsonus et 369
Matthiae." Et iure quidem sequuntur. Nam quum duo L
hic dici possint, *est mihi maritus, qui pessimus est*, et *maritus meus pessimus est*, prius illud non modo aperte melius convenit ordiendae orationi, sed etiam ex pronomine *μοι* verum esse intelligitur. Alterum enim si voluisset poëta, *κάκιστός ἐστ' ἐμὸς πόσις* dixisset.

Ad v. **676**. Elmsleius in scholiasta Sophoclis ad Phil. 1. aliud agens, ut videtur, *διὰ τοῦτον οἰκονομεῖται* dedit, ubi libri, quod solum recte habet, *διὰ τούτου* praebent. Notandum hoc putavimus, quia nihil in corrigendis monitum.

V. **678**. Etsi iam ad v. **14**. diximus, neque hoc 410
loco, neque ad v. **1275**. satis accurate de particulis

ἦπου disputatum esse, tamen valde laudandum putamus Elmsleium, qui hic alienas eas particulas esse viderit, et pro iis ἦ γάρ, licet nullo in libro repertum, reposuerit. Vellemus vero, qui hic praeclare, quid verum esset, intellexerit, eodem iudicio usus esset v. 686.

σύγγνωστα μὲν γὰρ ἦν σε λυπεῖσθαι, γύναι.

Non minus enim ab hoc loco μὲν γάρ, quam ab illo ἦπου, alienae sunt. In promptu vero est facillima emendatio, μεντἄρ'.

Difficillimus locus est v. 712. quem Elmsleius cum Porsono ita scriptum dedit:

Πέποιθα. Πελίου δ' ἐχθρός ἐστί μοι δόμος,
Κρέων τε. τούτοις δ', ὁρκίοισι μὲν ζυγείς,
ἄγουσιν οὐ μεθεῖ' ἂν ἐκ γαίας ἐμέ.
λόγοις δὲ συμβάς, καὶ θεῶν ἀνώμοτος,
φίλος γένοι' ἄν, κἀπικηρυκεύμασι
τάχ' ἂν πίθοιο. τἀμὰ μὲν γὰρ ἀσθενῆ,
τοῖς δ' ὄλβος ἐστὶ, καὶ δόμος τυραννικός.

Ἀνώμοτος est ex coniectura Musgravii, legiturque pro varia lectione in duobus codd. Vulgo ἐνώμοτος. Dein κἀπικηρυκεύματα olim lectum fuisse, ex scholiis cognoscitur. Τάχ' ἂν πίθοιο debetur Porsono. Libri omnes οὐκ ἂν πίθοιο. Elmsleius, commemorata varietate lectionis et virorum doctorum coniecturis, praeterita tamen coniectura Schaeferi, κἀπὶ κηρυκεύμασι νοῦν ἂν τίθοιο, quam ille Porsoni adnotationi subiecit, denique in eo acquiescit, ut videndum dicat, an πίθοιο potius, quam οὐκ ἄν corruptum sit. Non postulamus, ut quis omnia emendet: sed illud tamen iure videtur ab editore postulari posse, ut, quae adsunt praesidia, iis quam accuratissime utatur. Atqui animadvertit quidem Elmsleius, apud scholiastas duplicem exstare posteriorum Medeae verborum explicationem, sed neque collegit inde, quod debebat colligere, et neglexit, quam utraque difficultatem haberet, indicare. Nam quum alii

scholiastae posteriorem partem Medeae dictorum in hanc sententiam interpretati essent, in quam vulgo accipitur: *si non iuraveris, amicus fies hostibus meis, flecterisque* 370
eorum legationibus, quam interpretationem etiam ipse L
probat Elmsleius: primo monere debebat de ambiguitate 411
verborum λόγοις δὲ συμβὰς καὶ θεῶν ἀνώμοτος. Ea ipse videtur cum Mureto sic intelligere: *si nudis tantum sermonibus mecum conveneris, neque deos testes adhibueris.* At demonstrandum erat, λόγοις ita nude positum, posse hanc vim habere: de qua re et nos dubitamus, et alios dubitaturos credimus. Vix enim aliud verba λόγοις δὲ συμβὰς videntur significare posse, quam *si dictis accedis*, i. e. *si facere vis, quod postulatur.* Cuius vero dictis, Medeaene, an Creontis? Non sane Medeae, si sententia haec est, *non iuratus, illis obtemperabis.* Nam quum oppositum sit ὁρκίοισι μὲν ζυγείς, in quo iam inest illud λόγοις συμβὰς ἐμοί, non poterunt sibi opponi ὁρκίοισι μὲν ζυγεὶς et λόγοις δὲ συμβάς. Itaque τούτοις, Peliae et Creonti, συμβὰς λόγοις dici putabimus. At ne sic quidem recte procedit oppositio, quia quod iurato et iniurato fiat, opponi sibi debet. Quod senserunt quum alii, tum Wyttenbachius, qui λόγοισι δὲ ξυμβὰς θεῶν ἀνώμοτος coniiciebat. "Sed numerosior est," respondet Elmsleius, "vulgata, cuius eadem est sententia." Numerosiorem esse, concedimus; non concedimus, sententiam esse eamdem. Nam si illud θεῶν ἀνώμοτος per copulam adnectitur prioribus, λόγοις συμβὰς iam per se debet opponi posse illis, ὁρκίοισι μὲν ζυγείς. At non est ita, nisi diserte quis dicatur iniurato λόγοις συμβῆναι. Itaque si numerorum elegantiam servari vellet, certe coniicere debebat, λόγοις δὲ συμβάς, ὧν θεῶν ἀνώμοτος. Tantis difficultatibus quum haec interpretatio prematur, accedit denique plura mutandi necessitas, quam quae corrupta esse credibile sit. Nam et ὧν pro καὶ scribendum erit, et plerorumque omnium librorum scriptura ἐνώμοτος cum ἀνώμοτος permutanda, et denique οὐκ ἂν in τάχ' ἂν aut aliud quid convertendum. Videamus vero alteram interpretationem, quae in scholiis his verbis perscripta est: εἰ

δὲ ἔλθοις εἰς τὴν σύμβασιν τῶν ἐμῶν λόγων, καὶ συνθήκας ἐνωμότους ποιήσαιο πρὸς ἐμέ, εὖ οἶδα ὅτι μοι φίλος γένοιο καὶ ἐπίκουρος ἀσφαλής, καὶ οὐκ ἂν τὴν πρὸς ἐκείνους φιλίαν προκρίναις. ἐπικηρυκεύματα γάρ εἰσι τὰ διὰ τῶν κηρυγμάτων γινόμενα πρὸς φιλίαν. "Certum est," inquit Elmsleius, "hunc grammaticum in exemplo suo habuisse ἐνώμοτος et οὐκ ἂν πίθοιο." De ἐνώμοτος
412 nemo refragabitur. Sed οὐκ ἂν πίθοιο illum habuisse, quo tandem argumento vincetur? Immo quum interpretatio ista accusativum ἐπικηρυκεύματα, quam veterem lectionem esse alia scholia testantur, agnoscere videatur, verbumque προκρίναις habeat, quidni potius legisse illum censeamus, κἀπικηρυκεύματα οὐκ ἂν προθεῖο? Ita mediam formam προθέσθαι usurpavit Sophocles Oed. C. 419. Damnat autem Elmsleius hanc interpretationem, quia sic nulla maneat oppositio inter haec verba et supe-
371 riora, ὁρκίοισι μὲν ζυγείς. At quis credat, grammati-
L cos, qui hanc interpretationem in medium attulere, adeo caecos fuisse, ut non modo oppositionem illam corruere hac ratione non animadverterent, sed ne illud quidem viderent, ineptissime idem eidem opponi, ὁρκίοισι μὲν ζυγείς, et λόγοις δὲ συμβὰς καὶ θεῶν ἐνώμοτος, eodemque modo etiam utramque apodosin idem continere? Immo certissimum illa interpretatio indicium praebet, qui sic explicabant, ita legisse:

τούτοις δ', ὁρκίοισι μὴ ζυγείς,
ἄγουσιν ἂν μεθεῖ' ἂν ἐκ γαίας ἐμέ,
λόγοις δὲ συμβὰς καὶ θεῶν ἐνώμοτος,
φίλος γένοι' ἄν, κἀπικηρυκεύματα
οὐκ ἂν προθεῖο.

Ita vero recte illud habet, καὶ θεῶν ἐνώμοτος. Iam enim iure opponuntur, ὁρκίοισι μὴ ζυγείς, et λόγοις δὲ συμβάς, quia illud λόγοις συμβῆναι in eo ipso positum est, ut quis se ὁρκίοις ζυγῆναι patiatur, et propterea addita est explicatio καὶ θεῶν ἐνώμοτος. Vnde vero tantae turbae in hoc loco? Nolo hic quidem abuti commemoratione duplicis recensionis. Omnis enim et scri-

pturae et interpretationis fluctuatio a duobus facillimis repeti potest erroribus. Fac enim in primo versu pro *μὴ* scriptum ab aliquo librario fuisse *μέν*, in ultimo autem *πίθοιο* pro *προθεῖο*, et caetera sponte videbis sequi debuisse *).

V. 735. Quum libri praeberent, *ὄμνυμι γαῖαν, λαμπρὸν ἡλίου τε φῶς*, vel *λαμπρὸν θ' ἡλίου φάος*, vel *λαμπρὸν ἡλίου φάος*, nostra sententia critici erat, postremum illud praeferre, quum caeterae lectiones interpretibus et correctoribus deberi videantur. Et ita censuit etiam Porsonus, qui tamen *ἡλίου θ' ἁγνὸν φάος* dedit, quod Musgravius, quum pro varia lectione ad v. 729. adscriptum esset in nonnullis libris, huc pertinere animad- 413
vertit. Et inclinat quidem ad hoc probandum etiam Elmsleius: quod etsi minime reprehendimus, tamen, si altera lectio in textu servaretur, servandam eam ita fuisse existimamus, ut *λαμπρὸν ἡλίου φάος* scriberetur. Caeterum quid illud, quod v. 1076. legitur, *καὶ δὴ γὰρ ἄλις βίοτόν θ' εὗρον, σῶμά τ' ἐς ἥβην ἦλυθε τέκνων*, ad confirmandam particulae *τε* post duo verba collocationem conferat, non intelligere nos confitemur.

V. 750. *νῦν δ' ἐλπὶς ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς τίσειν δίκην*, quum Pseudogregorius *τῖσαι* habeat, ansam ea scriptura dedit Elmsleio exempla afferendi, in quibus *ἐλπὶς* infinitivos vel futuri, vel aoristi, vel praesentis adiunctos

---

*) Non haec mihi hodie satisfaciunt. Durum est, quod placet Porsono, genitivum ad *μεθεῖο* intelligi, licet id probet Schaeferus, qui quum in novissima editione mihi contradixit, permiscuit diversa. Apud Euripidem quidem nescio an servandum sit *μεθεῖς*, contractum ex *μεθείης*. *Καπικηρυκεύματα* antiquam lectionem esse, ex scholiis cognoscitur. Sed non minus antiquum vitium est *πίθοιο*, quod verbum corruptum esse etiam Elmsleius et Matthiae suspicati sunt. Scribendum videtur: *τούτοις δ', ὁρκίοισι μὲν ζυγείς, ἄγουσιν ἂν μεθεῖς ἂν ἐκ γαίας ἐμέ· λόγοις δὲ συμβὰς μὴ θεῶν ἐνώμοτος, φίλος γένοι' ἂν καπικηρυκεύματα τάχ' ἂν ποιοῖο.*

habet. Laudamus hanc diligentiam, sed lucri ex ea nihil percipi putamus, quin in errorem inducere potest tirones, nisi addatur, quibus conditionibus singuli hi infinitivi adhiberi possint. Id quod non fecit Elmsleius. Multum autem interesse, quo eorum quis utatur, facile animad-
372 vertant, qui bene imbutum Graecae orationis elegantia
I. sensum habent. Aoristi enim infinitivus de re exigui temporis eaque instante usurpatur; futuri de re diuturniore vel olim futura; praesentis de re praesenti aut praesens complexa. Exempla ipsa, quibus utitur Elmsleius, hoc docere poterant. Ex iis pauca attingemus. Recte dixit Aeschylus Ag. 684. *Μενέλεων πρῶτόν τε καὶ μάλιστα προσδόκα μολεῖν.* Nam et unius momenti est advenire, et brevi futurum significat. Recte vero etiam idem v. 688. *ἐλπίς τις αὐτὸν εἰς δόμους ἥξειν πάλιν;* Nam *ἥκειν* constat non *venire*, sed *venisse* significare. Quare diuturnitatis notio inest, quum *ἥξειν* dicit, i. e. *ecquid spei est, eum affore?* Euripides in Medea v. 1000. *εἶχον ἐλπίδας πολλὰς ἐν ὑμῖν γηροβοσκήσειν τ' ἐμέ, καὶ κατθανοῦσαν χερσὶν εὖ περιστελεῖν.* Non potuit *γηροβοσκῆσαι* dicere: diuturnum est enim, simulque olim futurum, ut illud, quod per se exigui temporis est, *περιστελεῖν.* Vnde licuerat ei dicere *κατθανοῦσαν περιστεῖλαι*, re a mortis tempore suspensa. Aeschylus autem in Ag. 1443. *οὔ μοι φόβου μέλαθρον ἐλπὶς ἐμπατεῖν, ἕως ἂν αἴθῃ πῦρ ἐφ' ἑστίας ἐμῆς Αἴγισθος*, recte usus est praesenti, quia hoc vult, *nec metuo vivo Aegistho, nec metuam,*
414 *quamdiu ille vivet.* Caeterum miror, quum Elmsleius alias valde ad coniectandum inclinet, quod in his versibus non *φόβον* ei scribere in mentem venit.

V. 760. Bene defendit Elmsleius versum, quem Porsonus, cuius, ubi ei adversatur, saepius nullam mentionem facit, cum Brunckio deleverat. Sed quum *ἔχειν*, ut ipse fatetur, ex sola coniectura natum videatur, veremur, ne rectius fecisset, si servata librorum scriptura *ἔχει* diversas recensiones Medeae distinxisset, quarum in una, *ὡς καὶ δοκεῖ μοι ταῦτα καὶ καλῶς*

ἔχει, in altera pro hoc versu illi duo, qui sequuntur, scripti fuissent.

Versum 768. recte tuetur Elmsleius, sed omisit illum, λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον, quem infra v. 919. ubi iterum legitur, aptiorem esse censet. Sed quum saepius in Medea eadem verba repetita sint, eo potius uti argumento debebat, quod hic versus in cod. Par. A. non, ut vulgo, post v. 768. sed ante eum legeretur: quod indicio esse potest, ex margine eum in texta venisse. Fatemur tamen non displicere nobis illum versum, quum ea, quae sequuntur, κἄνπερ λαβοῦσα κόσμον ἀμφιθῇ χροΐ, quodammodo requirere videantur, ut quale donum mittere velit, antea indicaverit. Ordo versuum is, qui est in cod. Par. A. elegantior videtur.

Ad v. 770. miramur, quod verba ὃς ἂν θίγῃ κόρης Euripidea quidem esse, sed librariorum oscitatione ex alia fabula in hanc invecta putat: hic enim longe praestare ὃς ἂν θίγῃ νεκροῦ, propter v. 1171. πᾶσι δ' ἦν φόβος θιγεῖν νεκροῦ. Primo enim, quid opus alia ex fabula haec sumpta putare, quum una tantum vocula discrepent, facillimeque librarius, universe sententiam in animo ha- 373
bens, ut fit, κόρης pro νεκροῦ scribere potuerit? At nihil L
peccarunt librarii: immo ipse Euripides κόρης posuit. Minatur enim Creonti, vel ipsi etiam Iasoni mortem Medea, si Glaucen attigerit, opem laturus. Mortuam attingere timebant, qui videbant, quomodo esset mortua: idque dici debuit v. 919. Hic vero mirum, ne dicam absonum foret, non de ope morienti ferenda potius, quam de mortuae tactione cogitari. Nam ubi semel periisset, nemo tam stultus futurus erat, ut veneni contagionem non reformidaret.

V. 774. Permira sunt, quae scribit ad h. l. "Futurum κατακτανῶ Atticis omnino abiudicavit Porsonus. 415
Recte fortasse, licet ei responderi posset, non magis absurdum esse verbo κτείνω duo futura κτενῶ et κτανῶ tri-

buere, quam duos aoristos ἔκτεινα et ἔκτανον." Scire vero vellemus, qua analogia futurum κτανῶ tueri velit. Magis autem miramur, quod ἀπέκτανε ab solo Rhesi scriptore, ut ait, usurpatum, si in comico versus iste legeretur, audacter in ἀπέκτονε se mutaturum dicit, Aeschyloque in Eum. 590. κατέκτανες obtrudit, quod, etsi ἀπέκτονα comici et prosae orationis scriptores dicant, tamen κατέκτονα, quantum meminerit, nemo usurpaverit. Quid vero? Num vir doctissimus temporum rationem pensi habuit?

V. 775. οὔτις ἐστὶν ὅστις ἐξαιρήσεται. Huius constructionis alterum exemplum se reperisse negat. Nam οὐκ ἔστιν, οὐδείς ἐστιν, τίς ἐστιν, ὅστις dici solere, οὔτις autem plerumque ὅς, non ὅστις sibi habere subiectum. Vtriusque constructionis exempla affert. Tam singularis observatio aut ad casus ludibria ablegaṇda erat, aut advertere virum doctissimum debebat, ut caussas eius indagaret. Atqui apparet, si usus iste non casui debetur, rationem eius a differentia repetendam esse, quae et inter οὐδείς et οὔτις, et inter ὅστις et ὅς, eorumque pronominum diversas consociationes intercedat. Atque Elmsleius quidem caussam, quare οὔτις non soleat cum ὅστις coniungi, in repetito pronomine τὶς posuisse videtur, ut colligi licet ex locis, quibus defendi hanc constructionem putat. Habent enim ii loci omnes τὶς ὅστις. Et est sane hac in re aliquid veri. Nam quum iam οὔτις infinitum sit, non opus est ei aliud pronomen infinitum ὅστις addi. Sed non satis hoc est, latiusque patet harum constructionum ratio. Eam paucis conabimur adumbrare. Οὔτις est *non aliquis*, et negat quid de uno aliquo; οὐδείς est *non ullus*, negatque de omnibus. Itaque οὔτις infinitum, οὐδείς finitum est. Similis ratio est pronominum ὅς et ὅστις: vide quae diximus in Erfurdtii ed. min. Oedipi R. ad v. 688. Ὅς enim finitum est, et ad certum aliquem refertur; ὅστις infinitum, referturque ad unum aliquem de multis quemcumque. Iam si rem universe spectamus, qui dicit, *non est aliquis*, *qui*, οὔτις ἐστὶν ὅς dicere de-

bebit, quia de illo aliquo, quem esse negat, aliquid 374
praedicaturus est, non de uno alterove ex pluribus. Qui L
autem *non est ullus qui* dicit, etsi recte uti poterit eodem 416
pronomine *ὅς*, quia ne unum quidem, qui talis sit, qualem dicere vult, esse contendit, tamen recte etiam *οὐδείς ἐστιν ὅστις* dicet, quia, quum de omnibus neget, praedicaturus est aliquid de quolibet ex istis omnibus. Recte ergo Sophocles in Aiace v. **724**. *εἶτ' ὀνείδεσιν ἤρασσον ἔνθεν κἄνθεν οὔτις ἔσθ' ὃς οὔ*. Neque vero perperam idem in Oed. R. **372**. *ἃ σοι οὐδεὶς ὃς οὐχὶ τῶνδ' ὀνειδιεῖ τάχα*. Vsitatius tamen, ut Euripides Hel. **932**. *Ἑλένην γὰρ οὐδεὶς ὅστις οὐ στυγεῖ βροτῶν*. Haec quidem universe. Sed multae sunt conditiones, quae vel alteram constructionem efflagitent, vel utramque admittant, vel ambas coniungi postulent. Rem exemplis quibusdam declarabimus. Recte Aeschylus et necessario in Eum. **739**. *μήτηρ γὰρ οὔτις ἐστὶν, ἥ μ' ἐγείνατο*, h. e. *non est aliqua mater, quae me peperit*. Est enim, qui vere genuit Minervam: quare *ἥ* dicit, non *ἥτις:* sed unde nata est, non mater, sed pater est: itaque *οὔτις μήτηρ* dicit. Ineptissime dixisset, *μήτηρ οὐδεμία ἐστὶν, ἥτις μ' ἐγείνατο*. Significaret enim, *non est ulla mater*, (i. e. nulla est ex iis, quae matres sunt) *quarum aliqua me pepererit*. Saepe vero utraque constructio admitti potest. Quum enim, quod nullus faciat, id recte non facere aliquem concludamus, iure *οὔτις* pro *οὐδείς* poni potest. Vt quum Euripides in Alcest. **505**. dicit, *ἀλλ' οὔτις ἐστὶν, ὃς τὸν Ἀλκμήνης γόνον τρέσαντα χεῖρα πολεμίαν πότ' ὄψεται*, quis offenderetur, si dixisset *οὐκ ἔστιν οὐδείς, ὅστις Ἀλκμήνης γόνον τρέσαντά ποτ' ὄψεται?* Quod si coniungitur aliquando utrumque, et *οὔτις ὅστις* atque *οὐδεὶς ὃς* dicitur, non solet hoc temere, sed subtili quadam cum notatione eius, quod res quaeque requirit, fieri. Valde similia sunt haec Aeschyli in Choeph. **170**. *οὐκ ἔστιν ὅστις πλὴν ἐμοῦ κείραιτό νιν*, et illud Xenophontis in Mem. S. III. **5**, **3**. *καὶ μὴν προγόνων γε καλὰ ἔργα οὐκ ἔστιν οἷς μείζω καὶ πλείω ὑπάρχει ἢ Ἀθηναίοις*. Sed alter rectius dixit *ὅστις*, alter *οἷς*. Etenim Electra non

absciderat sibi cincinnum: itaque pronomine isto quum utitur, mirabunda significat, *qui eum absciderit, quisquis ille fuit, praeter me nemo est.* Sed apud Xenophontem *οἷς* scriptum est, quia rem certam in mente habet: *qui maxime omnium gloriantur maioribus, Athe-*
417 *nienses sunt.* Eleganter distincteque Lucianus Dial. deor. II. 1. *ὥστε μηδέν ἐστιν ὃ μὴ πεποίηκάς με, σάτυρον, ταῦρον, χρυσόν, κύκνον, ἀετόν· ἐμοῦ δὲ ὅλως οὐδεμίαν ἤντινα ἐρασθῆναι πεποίηκας.* Apparet *μηδέν ὃ* dici, quia definita est et certa sententia, *πάντα ταῦτά με πεποίηκας*: contra *οὐδεμίαν ἤντινα* dicit, quia infinitum est atque incertum, quod vult: *quamcumque feminam circumspiciam, ab nulla me expeti fecisti.* Hinc ap-
375 paret, etiam praegresso *τις*, aliquando *ὅστις* vel posse
L vel debere inferri. Exempla exstant apud Elmsleium: v. c. in Eurip. Androm. 915. *σοὶ δ' ἦν τις ὅστις τοῦδ' ἐκοινώνει φόνου;* quae est oratio nescientis an adiutor caedi affuerit: *ecquis tibi adiutor, quisquis sit, affuit?* Quod si ex huiusmodi exemplis Elmsleius colligit, non esse mutandum, quod in Medea legitur, *οὔτις ἐστὶν ὅστις ἐξαιρήσεται*, vereor ut satis idonea ratione usus sit. Nam in illis exemplis omnibus et *τὶς* necessarium, *ὅς* autem non aptum erat. In illo Medeae vero proprie *ὅς* dici debebat: *non est aliquis, qui eos servet.* Itaque aut sic statuendum est, ea quam supra diximus ratiocinatione *οὔτις* pro *οὐδείς* dictum esse, aut, quod magis placet, hic quoque *ὅστις* hanc vim habere, ut significetur, *non est aliquis, qui, quisquis sit, eos servet.* Singulare est, sed nequaquam corrigendum quod in Alcestide v. 80. legitur *ἀλλ' οὐδὲ φίλων τις πέλας οὐδείς, ὅστις ἂν ἐνέποι* *).

V. 798. Miro argumento sprevit Elmsleius *σῶ παῖδε*, quod, quum saepissime Medeae liberi *παῖδες* et *τέκνα* appellentur, tamen nusquam *παῖδε* dicantur vel *τέκνω*.

---

*) Schaeferus ad Demosth. T. II. p. 619. *οὐδ' εἷς* scribendum censet.

Hoc ita demum aliquid valeret, si dubium esset, an Euripides eos plures, quam duo fuisse, statuisset. At duali, tametsi non in illis vocibus, alibi utitur, ut v. 939. 989. 1041.

V. 800. Iure quidem tuetur Elmsleius praeeunte Porsono particulam *γε*, quam removerat Brunckius: sed quod ait, significare hanc particulam, chorum iis, quae a Medea dicta sunt, aliquatenus assentiri: sensum esse enim, *δηχθείη μὲν ἂν Ἰάσων, σὺ δὲ γένοι' ἂν ἀθλιωτάτη γυνή*, id nihil neque ad vim particulae, neque ad sententiam illustrandam facit. Nam etiam omissa particula idem ille sensus prodiret. Similia dicit de loco quodam Plutarchi. Res haec est. Duplicem vim habet particula, alteram minuendi, *quidem*, *certe;* alteram augendi, *quin*, *vel.* Vtriusque unus communis fons est, qui positus est in restrictione, qua quid nunc ad minora, nunc ad maiora 418
reiicitur. In Medeae loco, prouti quis rem considerat, utravis ratio admitti potest. Nam quum se liberos suos interficere velle dicit, ut Iasoni dolorem faceret, chorus autem ei respondet, *σὺ δ' ἂν γένοιό γ' ἀθλιωτάτη γυνή*, haec verba aut hoc significant: *at tu certe infortunatissima mulier eris;* aut hunc sensum habent: *quin tu eris infortunatissima mulier.* Quorum alterum est, *si Iason dolebit, tu non vacabis dolore;* alterum, *si Iason dolebit, tu dolebis magis.* Hoc postremum volebat Porsonus, et recte, quia ipsum verbum *ἀθλιωτάτη* gravius quid significari prodit, quam quod Medea dixerat. Elmsleius vero utramque potestatem particulae commiscuit, ut ex eo apparet, quod, quum altera quae affert exempla augendi vim confirment, unum ad minuendi significationem pertinet, ideoque alienum est, Herculis furentis dico v. 1248. s.

V. 804. Recte putamus Elmsleium dedisse *λέξῃς δὲ* 376
μηδέν, pro *λέξεις δὲ μηδέν;* recte etiam sentire de Ari- L
stophanis loco, Av. 130. seqq. sed quod haec in eiusdem Pluto v. 487. *ἀλλ' ἤδη χρῆν τι λέγειν ὑμᾶς σοφόν, ᾧ*

νικήσετε τηνδὶ ἐν τοῖσι λόγοις ἀντιλέγοντες· μαλακὸν δ' ἐνδώσετε μηδέν, sic interpretatur, ut *χρῆν τι λέγειν ὑμᾶς* idem esse velit quod *ὅπως τι λέξετε ὑμεῖς*, et inde pendere *ἐνδώσετε*, in eo veremur ne sibi neminem habiturus sit consentientem. Immo commate post *ἀντιλέγοντες* posito, *ᾧ* etiam ad *ἐνδώσετε* referendum erat, quo facto et *μηδέν* recte se habet, neque in constructione difficultas est. *Meditatam vos orationem habere oportet*, inquit, *qua et vincatis hunc, neque ei latus nudum praebeatis.*

V. 897. Nullo pacto accedere possumus Elmsleio in his, quae de formis femininis, quales *ἀπορθήτας, ἀθανάτας* sunt, disputat: quae quum summis viris, Valckenario et Porsono, sincerae visae essent, ab Elmsleio non damnantur tantum, sed violentissime exstirpantur. Nobis quidem usus poëtarum persuasit, ita has formas a poëtis omnibus usurpari, si vel metrum eas requirat, vel aliquid ad elegantiam et gravitatem dictionis, tum etiam aliquando ad homoeoteleuton hiatumve vitandum conferant. Ad haec si volet vir doctissimus attendere, ubique, ubi tales formae reperiuntur, idoneam rationem, quare praelatae
419a poëtis sint, inveniet. Nunc quidem satis habemus, de quibusdam emendationibus dicere, quas hac opportunitate profert. Et primo *ἀπορθήτοι'*, *καλλιδίφροι'*, *κιρκηλάτοι'*, quae Euripidi et Aeschylo obtrudit, prorsus inaudita Graecis auribus esse, et pridem ad Orpheum p. **722.** seq. diximus, et hodie asseveramus. In Aeschyli quidem versibus etiam illud neglexit, *Τηρεΐας* scribendum esse, quo uti poterat ad v. **806.** In subiecta adnotatione bis infeliciter reprehendit Porsonum, semel in Agam. **1534.** *πολυκλαύτην* corrigentem, ubi ipse *τὴν πολύκλαυτον ἀνάξια δράσας* scribi iubet, deleto nomine Iphigeniae, quo nihil neque durius, neque insolentius, neque ab Aeschyli dictione alienius excogitari potuit; iterum in Choeph. **654.** *εἴπερ φιλοξένη 'στὶν Αἰγίσθου βία* scribentem, qua coniectura etsi gravius quam quis credidisset lapsus est Porsonus, tamen haud melior est Elmsleii emendatio, *εἴπερ*

φιλόξενός τις Αἰγίσθου βία. Nam etsi aliquot exemplis munire istud τὶς studuit, tamen, qui ea attentius considerare voluerit, omnia aliena esse videbit, nec, quem plura attulisse dicit, Matthiae in Gr. gr. §. 487. talia, qualibus hic opus foret, aut dedit, aut dare voluit. Vnum tamen attulit Elmsleius, quod coniecturae ipsius convenit, modo certum esset, ex Eurip. Hel. 911. ἐατέος δ' ὁ πλοῦτος ἔκδικός τις ὤν. Sic quidem ipse tacite scripsit. Vulgo, ἐατέος ὁ πλοῦτος ἄδικός τις ὤν. Δ' ex MS. additum. Matthiae, ἄδικος ὥς τις ὤν, ex Porsoni adversariis. Vereor ego quidem, ne hic versus nihil sit, nisi adnotatio 377
librarii, metro politico scriptus in margine. Certe, si L
cui genuinus videbitur, aliter eum emendare debebit, quam vel Porsonus vel Elmsleius fecerunt. Caeterum ad eamdem quaestionem de formis femininis pertinet etiam Boeckhii parum pensitata disputatio ad Pind. Nem. IX. 16. Nam neque ἀνδροδάμαν illo loco sollicitandum, neque Isthm. IV. 75. (v. 66. ed. Boeckh.) γυιοδάμαις aliter quam cum χερσὶ construendum; denique in Fragm. Pindari inc. 60. de cuius metro recte iudicavit Boeckhius, non ἀνδροδάμαντα, sed ἀδάμαντα legendum est, de quo non dubitabit, qui Athenaeum inspexerit.

V. 813—819. putat ob oculos fuisse Sophocli in Oed. C. 685. Nam apud utrumque poëtam Veneris, Musarum, et Cephissi mentionem fieri. Vereor vero, ut cuiquam persuasurus sit, Sophoclem eum fuisse, qui Eu- 420
ripidem imitaretur. Immo veri similius est, loci ipsius conditionem, delubraque, quae ibi erant, utrumque poëtam monuisse, ut ista commemorarent. Simul emendat Elmsleius locum Sophoclis, scribens ex Aldina, οὐδὲ χρυσήνιος Ἀφροδίτα, et in strophico versu θεαῖς monosyllabum reponi iubens. At codd. certe οὐδ' ἁ χρυσήνιος. Videndum ne οὐδὲ μὰν scribendum sit. Nam de θεαῖς vel metri caussa non vincet Elmsleius. Postremos enim versus eum non recte disposuisse, apertum est.

V. 814. Aliena nobis videntur, quae Elmsleius de littera σ in ἀφυσσαμέναν duplicata affert. Talia recen-

tiores poëtae ab epicis accepta in quibusdam verbis constanti usu servarunt. Si ἤφυσσα dixisset Euripides, non abs re fuisset aliquid adnotari. Sed ubi non est augmentum in hoc verbo, usus stabilivit geminatam litteram. Neque νάσσασθαι ex Aeschylo afferendum erat, quod etiam ex Euripide confirmari potuisset: nam quis νάσασθαι uno σ dixit? Quod autem vir doctissimus ex Aeschyli Sept. ad Th. **1064**. γένος ὠλέσσατε πρέμνοθεν οὕτως affert, quae ipsius correctio est, id est profecto μεῖζον προσάψαι τῆς νόσου τὸ φάρμακον. Nam ut facile ὀλέσσαι tragicus dicere audeat, tamen vix dicere ausit ὤλεσσα.

Metri scientia quam necessaria sit critico, docere potest v. **816**. in quo Elmsleius ἡδυπνόους αὔρας sine vitii suspicione servavit. Spondeus hic, etiam si nullus exstaret versus antistrophicus, qui de dactylo admoneret, in hoc genere metri, quod leges habet certissimas, non magis ferri potest, quam dactylus in sexta sede versus heroici. Conveniret et metro et sententiae ἡδυπνόους τε πνοάς; sed quum ἡδυπνόους in aliquot codd. desit, videndum ne verba ἡδυπνόους αὔρας grammaticis debeantur, lacunam, quae hic in antiquis libris erat, utcumque explere conantibus. Etiam v. **817**. quod dicit Elmsleius,
378 "Matthiae χαίταις: vulgata metro convenientior est,"
L ostendit eum metri huius leges minime cognitas habuisse. Nullo pacto enim χαίταις metro convenit; et si in omnibus id libris legeretur, tamen χαίταισιν reponendum foret.

Impeditissima est pars carminis chorici, quae est a v. **820**. Elmsleius ἱερῶν ποταμῶν πόλιν, duce scholia-
421 sta, de Athenis intelligit: sed manet tamen praeter insolentiam dicendi, implicata collocatio verborum ἱερῶν ποταμῶν ἥ πόλις. Nobis Porsonus, qui τις ad ποταμῶν addi volebat, non longe a vero abfuisse videtur, modo πῶς in τὶς mutavisset, quae quantillum in libis differant, neminem fugit. Legimus enim, τὶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν, ἥ πόλις, ἢ φίλων πόμπιμός σε χώρα τὰν παιδολέτειραν ἔξει; *Ecquis te sacrorum fluminum, an urbs, an ami-*

corum prosecutrix regio prolis tuae interfectricem habebit? Sane enim Athenae, fluviique Ilissus et Cephissus intelliguntur: aliter inutiles forent duae quae praecedunt strophae. De τίς, *ecquis*, speramus mutasse Elmsleium sententiam, quam in Diario Classico fasc. XVII. p. 64. protulit. Posset tamen hic quidem etiam τίς scribi, modo ne mente repeteretur ad πόλις et φίλων.

V. 823. Probamus quod verba μετ' ἄλλων non sequentibus iungenda censet: sed quod τὰν οὐχ ὁσίαν μετ' ἄλλων interpretatur, τὰν οὐχ ὁσίαν ὡς οἱ ἄλλοι πολῖται, languidum nobis videtur, praesertim quum post τὰν παιδολέτειραν gravius quid inferri debeat. Scribendum putamus, τὰν οὐχ ὁσίαν μέγ' ἄλλων, i. e. τὰν μέγα ἀνοσίαν ἄλλων, positivo, ut saepe, superlativi vicem sustinente.

V. 827. Si nos aliquem sensum eorum, quae numeri sibi postulant, habemus, non recte scripsit τέκνα φονεύσῃς pro μὴ τέκνα φονεύσῃς. Anacrusin enim in hac metrorum compositione efflagitare videtur numeri concinnitas.

V. 828. qui locus vexatissimus est, e mala scriptura meliusculam effici dicit Elmsleius scribendo, πόθεν θράσος ἢ φρενὸς ἢ χειρὶ, τέκνοις σέθεν, καρδίαν τε λήψει, δεινὰν προσάγουσα τόλμαν; Ordinem verborum esse vult, τέκνοις σέθεν δεινὰν προσάγουσα τόλμαν. At, ne quid dicamus de constructione, quae tam impedita est, ut vix intelligi queat, valde otiose putamus καρδίαν τε λήψει additum esse. Nobis quidem scribendum videtur, πόθεν δὲ θράσος φρενὸς ἢ χειρὶ, τέκνοις σέθεν, καρδία τε λήψει, δεινὰν προσάγουσα τόλμαν; *Unde vero audaciam animi vel manui vel cordi capies, dirum admovens liberis tuis ausum?* Ἤ et τε copulari pro ἢ — ἢ vel τε — τε, non opus est ut exemplis demonstremus. At, inquiat aliquis, non minus haec impedita verborum collocatio est. Minime vero. Nam quia praegressum ἢ

422 nondum absolutam esse constructionem indicat, sine offensione deinde in medio ponitur reliqua eius pars, *καρδίᾳ τε λήψει*, quod secus est in Elmsleii ra-
379 tione, in qua illud *καρδίαν τε*, quod nullo modo
L exspectabatur, turbat et confundit animum legentis vel audientis.

V. **833**. "Quidquid legerit scholiastes," inquit, "scripsit Euripides *ἄδακρυν μοῖραν σχήσεις φόνου;*" et mox: "dicitur *μοῖραν φόνου*, ut *μοῖραν θανάτου* v. **957**." Versus hi sunt:

πῶς δ' ὄμματα προσβαλοῦσα
τέκνοις ἄδακρυν μοῖραν
σχήσεις φόνου; οὐ δυνάσει

etc. Iam si quaerimus, quid illa adnotatione voluerit vir doctissimus, haeremus, neque invenimus quod respondeamus. Nam primo, quod ita confidenter, quid scripserit Euripides, indicat, tanto minus probamus, quo certius nobis persuasum est, rudem istum hiatum *φόνου οὐ* non esse ab Euripide admissum. Habent autem multi libri *φόνον*. Deinde non putamus lectoribus bene consultum esse comparando v. **957**. qui nobis plane ab hoc loco alienus videtur. Vellemus vero sensum loci declarasset Elmsleius. Nam, ut ipse edidit, verba significant: *quomodo liberos intuens lacrimis carentem sortem caedis cohibebis?* At quid hoc est? Si, ut v. **957**., *μοῖρα θανάτου* pro *θάνατος* dictum, ita hic *μοῖρα φόνου* pro *φόνος* positum est, chorus, qui interrogare vult, an Medea, liberos occidens, a lacrimis temperatura sit, hoc potius quaereret, an sine lacrimis temperatura a caede sit, i. e. siccis oculis liberos non occisura. Id vero absonum est. Nimirum credas Elmsleium *σχήσειν* idem esse, quod *ἕξειν*, putavisse. At hoc eum quis fugisse adducatur? Quae quum ita sint, quid aliud quam tantum abesse dicamus, ut emendatus hic locus explanatusque sit, ut eum sensu carere, ideoque pro corrupto habendum esse appa-

reat. Neque vero dubitamus, quin scripserit Euripides: *πῶς δ' ὄμματα προσβαλοῦσα τέκνοις ἄδακρυν μοῖραν σχήσεις φόνου;* Quae satis usitata tragicis figura dicendi est, idem significans, quod *πῶς οὐ δακρύσεις φόνον.* Vide Porsonum ad Eur. Phoen. **300**. Seidlerum ad Iph. Taur. **1061**. et quae nos ad Vigerum diximus p. **899**. Aptissime comparari potest Aeschylus in Agam. **822**. *δίκας* 423 *γὰρ οὐκ ἀπὸ γλώσσης θεοὶ κλύοντες, ἀνδροθνῆτας Ἰλίου φθορὰς ἐς αἱματηρὸν τεῦχος οὐ διχορρόπως ψήφους ἔθεντο*, i. e. *φθορὰς ἐψηφίσαντο.* Ita hic *ἄδακρυν μοῖραν σχήσεις φόνου* idem est ac si dixisset, *πῶς ἀνέξει μὴ δακρύουσα τὸν φόνον*, sive explicatius mavis, *πῶς σχήσεις μοῖραν τὴν σήν, ὥστε ἀδάκρυτον φόνου εἶναι*, vel *ὥστε μὴ δακρύουσαν εἶναι τὸν φόνον.* Nam *ἄδακρυν μοῖραν* dicit, effectum complexus, quum satis fuisset dicere *σχήσεις δάκρυα.* Simillime Sophocles in Electra v. **141**. *γονέων ἐκτίμους ἴσχουσα πτέρυγας ὀξυτόνων γόων*, quem locum recte explicuit Seidlerus ad Eur. El. **442**. Vt Euripides *φόνον*, ita Sophocles potuerat etiam *γονέας* scribere.

V. **835**. Quum quidam libri praeberent *ἐν τλάμονι* 380 *θυμῷ*, Elmsleius cum Porsono omisit *ἐν*, quod propter L metrum, de quo ad v. **827**. diximus, non probamus. Scribendum vero putamus *εὐτλάμονι θυμῷ.* Eadem scripturae varietas in Aeschyli Persis v. **28**.

V. **836**. Non audemus quidem plane improbare *οὐτἄν*, quod Porsono auctore pro plerorumque librorum scriptura *οὐκ ἄν* reposuit Elmsleius: sed non satis fuisse putamus, de confusione istarum particularum admonere, vellemusque fecisset vir doctissimus, quod ad Aiacem v. **1318**. cuius adnotationis mentionem facit, suasimus, ut de vi et potestate particularum *οὐτἄν* disputaret. Nam illud ipsum hic requirebatur, ubi Aldinae scriptura, *οὐκ ἄν γ' ἁμάρτοις*, ad sensum aptissima est, ut ostenderetur, quomodo, quum *καὶ γὰρ οὖσα δυσμενὴς* praecessisset, etiam *οὐτἄν* recte potuisset dici. De qua re etiamnum

dubitamus: non dubitaremus, si praecessisset *καὶ γὰρ φίλη οὖσα* *).

V. 848. In his, *οὐκ ἀπαλλαχθήσομαι θυμοῦ*; imperativum primae personae, si ita loqui liceat, notari iubet Elmsleius. Negamus quidem in hac formula talem imperativum esse, quae potius interrogatio est: et ipse Elmsleius interrogandi signum apposuit: nam si imperativus esset, *μὴ θυμώσομαι*, vel potius *μὴ θυμοῦμαι* dici deberet, licet non sim nescius, etiam *οὐ* imperativo iunctum inveniri apud Theocritum, posseque iungi, certa quidem conditione. Sed imperativum primae personae, ut *μὴ θυμοῦμαι*, non esse somnium putamus, velimusque viri docti attendant, si qua iis exempla occurrant. Nobis alibi fortasse de hac re coniectandi opportunitas dabitur.

424 V. 864. *δεῦτε*, quod cum *δεῦρο* commutavit Elmsleius, ut non Atticum, satius fuisset, ut nos quidem censemus, notari, praesertim agnitum a Pseudogregorio. Non putamus in hoc genere nimis caute procedi posse.

V. 871. Quid sentiamus de iis, quae de verbis *καὶ πολὺς* adnotata sunt, paucis indicavimus iam ad v. 513. Ne longi simus, ex ipsis Euripidis verbis sententiam nostram declarabimus. Qui quum dicit, *ἆρ', ὦ τέκν', οὕτω καὶ πολὺν ζῶντες χρόνον φίλην ὀρέξετ' ὠλένην*, non retulit *καὶ* ad *πολύν*, sed ad totam sententiam. Poterat enim dicere, *ἆρα καὶ δαρὸν οὕτω φίλην ὀρέξετ' ὠλένην*. Alia plane ratione *καὶ πολὺς* in illis locis, quos ex Aristophane Archytaque affert Elmsleius, dicta sunt, sed in nullo, quin *καὶ* aut *et* aut *etiam* significet.

V. 872. Diversa sibi videri dicit *ἀρίδακρυς* et *ἀρτίδακρυς*; prius illud esse, qui multum, alterum, qui fa-

*) De G. Dindorfii coniectura, *ἄν* particulam ancipiti mensura esse putantis, dicetur in dissertatione de ea particula.

cile lacrimetur. De priore nemo non assentietur. At qui multum, idem etiam facile lacrimatur. Nec novimus aliud ab ἄρτι compositum vocabulum, quod facilitatem potius, quam recens quid factum esse indicet. Atqui quum 381
Medea dicit, ὡς ἀρτίδακρύς εἰμι καὶ φόβου πλέα, non L
illud significare potest, se modo lacrimase, sed pronam esse ad lacrimas. Vnde quis non coniiciat scripsisse poëtam, ὡς καὐρίδακρύς εἰμι καὶ φόβου πλέα? Comparet quis Aristotelis verba, ab Elmsleio ad v. 898. allata. At et libri omnes ὡς ἀρτίδακρυς, et Pseudogregorius, et hunc ipsum, ut videtur, locum respiciens Hesychius, qui ἀρτίδακρυς, εὐχερὴς πρὸς δάκρυον interpretatur. Velimus tamen doceri, quomodo haec explicatio defendi possit, idque ipsum agere debebat Elmsleius, aut usitatam significationem, si fieri posset, tueri.

V. 875. Quum libri τερείνην vel τερεινὴν haberent, Elmsleius recte quidem ad leges grammaticas ὄψιν τέρειναν τήνδ' ἔπλησα δακρύων scripsit. Sed aegre tamen desideramus viri doctissimi diligentiam in eo, in quo praecipue versatur interpretis officium, sensus explicationem dicimus. Quid enim grammatica prodest, nisi ut recte intelligamus, quae scripta legimus? Sic ad v. 870. cuius duplicem scholiastae interpretationem protulerunt, nihil videmus adnotatum esse, etsi multum refert, quomodo hic versus intelligatur. Hoc autem loco non satis erat, formam reponere grammaticae legibus convenientem, nisi etiam sensui accommodata esset. Atqui quis non offende- 425
tur, ubi Medeam, ira, odio, dolore agitatam, ocellos suos audiat τέρειναν ὄψιν appellantem? Adeone hebetem atque insulsum fuisse credamus Euripidem, ut non senserit, nihil tali epitheto hic alienius atque ineptius inveniri posse? At nimirum non sic ille, sed ὄψιν τερείνων τήνδ' ἔπλησα δακρύων scripsit *). Molles enim illa et misera-

*) Irascor mihi ipse, qui et formam reponi voluerim, quam inusitatam esse iure dixit Elmsleius, et non viderim τερὲν δάκρυ ab hoc loco multo magis abhorrere, quam quod iniuria reprehendi τέρειναν ὄψιν.

tione prolectas lacrimas dicere volebat, ut, quemadmodum Homerus loquitur, *τερὲν κάτα δάκρυ χέουσα*.

V. 876. *χλωρὸν δάκρυ* qua ratione humidas lacrimas significare velit Elmsleius, non intelligimus. Huius quoque vocis veram explicationem monstrare poterat, qui fons est uberrimus scientiae, Homerus, cuius quis non meminit *θαλερὸν δάκρυ*? Comparari potest etiam Pindari illud Nem. VIII. 68. *χλωραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρεον ἄσσει*. Quod non minus obscurum videtur Elmsleio, *πολιὸν δάκρυον* in Herc. fur. 1209. nos non magis obscurum esse putamus. Significat enim *senilem lacrimam*. Eadem significatione dicta lusit interpretes *πολιὰ γαστὴρ* apud Pindarum Pyth. IV. 175. ut ibi indicavimus.

V. 880. Quod ex scholiis colligit, fuisse qui legerent, *γάμους παρεμπολῶντας ἀλλοίους ἐμοῦ*, errore typographi ita scriptum videtur pro *παρεμπολῶντος*. Nobis recte codicum scripturam tueri videtur Gaisfordius, cuius sententia in Addendis affertur, modo ne signa parentheseos apponantur.

V. 884. *ὑμῖν δὲ παῖδες οὐκ ἀφροντίστως πατὴρ πολλὴν ἔθηκε σὺν θεοῖς προμηθίαν*. Porsonus ex Val-
382 ckenarii coniectura, *ὑμῶν*. Sed docte monet Elmsleius,
L ita requiri *ἔθετο*. Pauci libri *σωτηρίαν*, quod si probamus, et *ὑμῖν* et *ἔθηκε* recte se habebunt. Elmsleius, ut de scriptura incertus, vulgatam servavit, sed in Addendis animadvertit, hanc quoque, si recte intelligatur, defendi posse. Hunc enim praebet sensum: *vobis effeci ut sedulo prospectum sit*, sive, ut aliis verbis dicamus, *vobis paravi praesidium*.

V. 912. *σὺ δ' ἀλλὰ σὴν κέλευσον αἰτεῖσθαι πατρὸς γυναῖκα*. "Id est," inquit, "*si ipse hoc a Creonte petere dubitas, uxorem a patre petere iube*. Hoc *ἀλλὰ* nostra lingua valet *then*." Non videtur haec interpretatio,
426 quae rectius in particulam *τοίνυν* quadraret, exhau-

rire potestatem particularum δ' ἀλλά, quae significant *at saltem.*

V. 940. Quae hic docte disputat Elmsleius de usu particularum τέ et δέ, quod ad summam rei attinet, valde probamus; sed quum non satis distincte rem exponeret, factum putamus: ut in quorumdam locorum explicatione a vero aberraret. Nimirum ubi describere aliquem et qui sit indicare volumus, necessario μέν et δέ adhibendae sunt, quarum μέν quidem omitti potest, παῖδα σήν, ἐμὴν δ' ὅμαιμον. At non omnes, quos attulit, loci eiusmodi descriptionem continent. Et quidem statim ipse Medeae versus, sic ille in libris scriptus, πατρὸς νέαν γυναῖκα, δεσπότιν τ' ἐμήν, non δεσπότιν δ' ἐμήν, ut edidit Elmsleius, requirebat: nihil enim caussae erat, quare mulierem satis notam liberis suis ita describeret: sed potius, quod etiam ad mutationem facilius est, δεσπότιν γ' ἐμήν. Argumento enim opus est, cur exorare illam debeant: *orate novam patris uxorem, quae quidem hera mea est, potestatemque habet concedendi, quod petetis.* Eadem ratio est in Euripidis Androm. 25. ubi Brunckius recte γε reposuit. Neque Sophoclis illud in Trachiniis v. 741. afferri debebat, τὸν ἄνδρα τὸν σὸν ἴσθι, τὸν δ' ἐμὸν λέγω πατέρα, κατακτείνασα, ubi descriptio quidem est, sed, ut λέγω indicat, diversissimi generis. Illud scribi debet, τὸν ἄνδρα τὸν σὸν ἴσθι τόνδ', ἐμὸν λέγω πατέρα, κατακτείνασα. Nam etiam de absente interdum dicitur ὅδε, ut apud Aeschylum Sept. ad Th. 637. Aeschyli locum in Choëphoris v. 187. ἀλλ' οὐδὲ μήν νιν ἡ κτανοῦσ' ἐκείρατο, ἐμὴ δὲ μήτηρ, οὐδαμῶς ἐπώνυμον φρόνημα παισὶ δύσθεον πεπαμένη, in quo Porsonus ἐμή γε μήτηρ dedit, adhibere quidem Elmsleius ad confirmandam sententiam suam poterat, sed non ita ut fecit. Nam si hic aliqua descriptio est, ad eam non pertinet ἡ κτανοῦσα: neque apte quis haec, quae diversissima sunt, ita coniungat, ἡ κτανοῦσα, ἐμὴ δὲ μήτηρ. Debent enim, quae ita copulari volumus, consimilia esse, et unius generis diversae formae. Hic vero ἡ κτανοῦσα nominandae

ei, de qua iam dicendum sit, inservit: postea demum de-
383 scribenda est. Nos quidem non dubitamus, quin ante illa
L verba *ἐμὴ δὲ μήτηρ* exciderit versus hac ferme sententia, *ἡ τοῦ μὲν αἰσχυντῆρος Αἰγίσθου δάμαρ*. Denique de Euripidis Iphig. A. **1455**. etsi assentimur Elmsleio, *πόσιν*
427 *γε σὸν* scribenti, tamen, quod ait, Reisigii coniecturam, *πατέρα τὸν ἀμὸν μὴ στύγει, πόσιν δὲ σόν*, significaturam esse, *μὴ πατέρα τὸν ἐμόν, ἀλλὰ σὸν πόσιν στύγει*, iniquius dictum est. Quidni enim etiam hoc significetur, *μὴ στύγει πατέρα μὲν τὸν ἐμόν, σὸν δὲ πόσιν*?

V. 950. metra ita disposuit:

ξανθᾷ δ' ἀμφὶ κόμᾳ
θήσει τὸν Ἅιδα κόσμον αὐ-
τὰ ταῖν χεροῖν λαβοῦσα.

Non potest dubium esse, qui haec et tragicis et Pindaro usitatissima metra satis cognita habeat, describi versus hoc modo debere:

ξανθᾷ δ' ἀμφὶ κόμᾳ θή-
σει τὸν Ἅιδα κόσμον αὐτά γ'
ἐν χεροῖν λαβοῦσα.

Vltima ita emendavit Porsonus. Elmsleius nihil certi pronunciare ausus est, quia antistrophae verba, *ἅταν δ' οὐχ ὑπεκφεύξεται*, non congruant. At illud tamen, non Pindari quidem, sed tragicorum usus docet, stropham huius generis finiri versu ithyphallico, ita ut de strophici versus scriptura non videatur dubitandum esse. In antistropha valde nobis blanditur Porsoni coniectura, *ἅταν δ' οὐχ ὑπεκδραμεῖται*, vulgatam ex interpretatione ortam putantis. Ita Hesychius, *ὑπεκδράμω, φεύγω*, per compendium scribendi, ni fallor, pro *ὑπεκφεύγω*.

V. 954. Laudamus Elmsleium, qui, quum Reiskius *πέπλους χρυσεότευκτόν τε στέφανον* coniecisset, *τε* adsciverit, et *χρυσότευκτον* scripserit, repudiata Porsoni coniectura *χρυσεόπλεκτον*. Sed quod scripsit, *πείσει*

χάρις ἀμβρόσιός τ᾽ αὐγὰ πέπλον, χρυσότευκτόν τε στέφανον περιθέσθαι, eo non satisfecit nobis, nec dubitamus, quin, si accuratius locum considerasset, ipse, quod displiceret, deprehensurus fuisset. Libri omnes *πέπλων* vel *πέπλου*. Quumque haec praecedant, *ξανθᾷ δ᾽ ἀμφὶ κόμᾳ θήσει τὸν Ἅιδα κόσμον, αὐτά γ᾽ ἐν χεροῖν λαβοῦσα*, quid attinebat iterum dicere, vestem eam coronamque indui? Illud satis erat, indutum vere ista iri. Quare scripsisse poëtam putamus: *πείσει χάρις ἀμβρόσιός τ᾽ αὐγὰ πέπλων χρυσότευκτός τε στέφανος περιθέσθαι: ut illa induat, pulcritudo suadebit et splendor divinus vestium, ex auroque facta corona.* Apparet iam, opinor, offensos librarios nudo infinitivo *περιθέσθαι*, quum praecedentes versus non respicerent, accusativos posuisse. 428

V. 961. Quum legeretur, *παισὶν οὐ κατειδὼς ὀλέθριον βιοτὰν προσάγεις, ἀλόχῳ τε σᾷ στυγερὸν θάνατον*, Elmsleius, reperto in uno libro, cui duos alios postea addidit Matthiae, *ὄλεθρον*, in alio varia lectione *βιοτᾷ*, utrumque recepit, ita habuisse scholiasten ratus. Et *βιοτᾷ* quidem sane habuit scholiastes, sed *ὄλεθρον* minime: nam quum dicit, *ὄλεθρον τοῖς αὐτοῦ παισὶ καὶ τῇ νύμφῃ κατασκευάζεις*, verbum *θάνατον* interpretatur: *ὀλέθριον* vero se legisse ostendit his verbis, *οὐ συνεὶς τὸ ἐπ᾽ ὀλέθρῳ μηχάνημα*. Quae sane ineptissima interpretatio est, sed tamen, ut illud, *ὄλεθρον τοῖς αὐτοῦ παισὶ καὶ τῇ νύμφῃ παρασκευάζεις*, partem veri continet. Nam Elmsleii correctio vel propterea displiceat necesse est, quod frigide idem bis dicitur, *παισὶν ὄλεθρον βιοτᾷ*, et *ἀλόχῳ θάνατον*, quasi haec diversa sint. Recte se habet vulgata, modo recte interpungatur: *παισὶν, οὐ κατειδὼς ὀλέθριον βιοτάν, προσάγεις ἀλόχῳ τε σᾷ στυγερὸν θάνατον. Liberis tuis, ignarus letalis eorum vitae,* (i. e. morti a Medea destinatae) *paras uxorique diram necem.* 384 L

V. 964. Verba *μοίρας ὅσον παροίχῃ* interpretatur, *quantum a pristina fortuna excidisti.* Videtur hoc ve-

rum esse: ne quem enim offendat, quod illud *pristina* non est in Graecis, reputet id tantum perspicuitatis caussa additum esse. Proprie enim dici debebat *a fortuna tua*. Caeterum comparari poterat Aeschylus in Suppl. 461. καὶ κάρτα νείκους τοῦδ' ἐγὼ παροίχομαι. Ita ibi legit scholiastes.

V. 967. Dedit Elmsleius τέκνα sine articulo cum plerisque libris. Alii ex Brunckii coniectura σὰ τέκνα. Si, ut nos existimamus, in strophico versu ὀλέθριον genuinum est, a paeone quarto incipere debet versus. Recte tamen articulum deletum censemus. Nam vel numerorum elegantia τέκεα scribi postulat.

Sed haec hactenus. Alio tempore reliquam libri utilissimi partem persequemur.

PARS IV.

Reliquum est ut postremam partem Medeae perlustremus, et, quemadmodum instituimus, potiora ex iis commemoremus, in quibus vel dissentimus a P. Elmsleio, vel habemus, quod addi cum aliquo fructu posse videatur. Ac primo adverterunt nos verba, quae v. 1021. leguntur: χωρεῖτε, παῖδες, εἰς δόμους· ὅτῳ δὲ μὴ θέμις παρεῖναι τοῖς ἐμοῖσι θύμασιν, αὐτῷ μελήσει· χεῖρα δ' οὐ διαφθερῶ. Quorum postrema quum Elmsleius recte Heathio et scholiastis quibusdam ducibus sic interpretetur, ut Medea nolle se misericordia irritum reddere facinus
385 suum dicat, anceps animi fuisse videtur, quomodo quae
L praecedunt interpretanda essent, siquidem quid alii senserint, dicit, non etiam, quid ipse censeat. Atqui perdifficilia sunt haec verba, et maxime indigent idonea expli-

catione, praesertim quum permirum sit, quod in plerisque libris *δώμασιν* pro *θύμασιν* legitur, scholiastae autem adnotatio ex parte plane non quadret ad hunc locum. Sed haec quidem infra alio loco attingemus. Nunc satis habemus, monere lectorem, aposiopeseos figura usum esse poëtam post *θύμασιν*, et deinde apodosin aliter conformatam subiicere. Nam quum hoc vellet Medea: *quem nefas est adesse meo sacrificio, absit*, quod debebat per imperativum exprimere, ut *ἐκποδὼν ἔστω*, non per futurum, in quo nulla plane vis foret, si esset pro imperativo positum: ita loquitur: *quem nefas est adesse meo sacrificio, — ipse viderit: facinus ego non reddam irritum.* Intelligit Iasonem: sed quum non possit iubere hunc abesse, quid, inquit, ad me attinet, adveniat ille an absit: videat ipse de hac re: ego perpetrabo, quod destinavi.

Ad v. **1024.** affert Elmsleius versus Neophronis ex Medea, servatos a Stobaeo, qui ei duarum observationum opportunitatem praebuerunt, in quibus uti diligentiam laudamus, ita dubitamus tamen, an non sint verae. Vnam hic expromit, *διαφθεροῦσα ἔρχομαι* ut vix Atticum notans. Sed hoc quidem ipse in Addendis Platonis auctoritate retractavit. Enimvero etiam si nullum exemplum in promptu esset, non debebat haec constructio ab Atticis abiudicari. Quum enim *εἶμι, ἐλεύσομαι, ἦλθον* cum participio futuri coniungant, quidni etiam *ἔρχομαι?* Sed si rara sunt exempla, caussa haec est, quod omnino rarus est usus praesentis *ἔρχομαι*, ut non sit mirum, si in tanta paucitate exemplorum verbum hoc habentium multo rarius etiam inveniantur loci participium futuri adiunctum habentes. Eiusdem generis altera observatio est, prolata ad v. **179.** quod Neophron dixerit, *τί δράσεις, θυμέ; βούλευσαι καλῶς, πρὶν ἢ ξαμαρτεῖν*. Euripidem *πρὶν ἐξαμαρτεῖν* dicturum fuisse, siquidem Attici poëtae non videantur *πρὶν ἢ* dixisse. At etiam in prosa oratione rarum est *πρὶν ἤ*, si ad exempla nudi *πρὶν* compares. Cur vero? Nempe quia plerumque *πρὶν*

dici res postulat, rarius *πρὶν ἤ*. Differunt enim. Similiter non idem est, utrum *priusquam* dicas, an *prius*, *quam* *). In Neophronis verbis si *πρὶν* nudum positum esset, ante capiendum esse salutare consilium diceretur, quam quis peccaret: quasi is peccaturus esset capto consilio. At hoc vult, potius esse, rectum consilium capere, quam peccare: ita enim non peccatum iri. Ita in Aristophanis Pace v. **273.** Buttmannum accepimus coniecisse *πρὶν ἤ γε τὸν μυττωτὸν ἡμῖν ἐγχέαι*, quae perelegans coniectura est, et loco illi accommodatissima. Nam *εἰ πρίν γε*, quod scholiastes legit, friget.

386 L Aegre desideratur interpretatio ad v. **1024.** *ἐκεῖ μεθ' ἡμῶν ζῶντες εὐφρανοῦσί σε.* Nihil Elmsleius, nisi glossam attulit, *ἐν Ἀθήναις.* Sed etsi verba ipsa, si sic intelliguntur, *Athenis te*, *anime*, *liberi mecum viventes oblectabunt*, sensum aliquem praebent, tamen valde dubitari potest, an is iam non aptus sit. Petierat Medea, ut liberis, qui cum ipsa in exilium abituri erant, manere Corinthi concederetur, idque impetraverat. Itaque etsi id non ea mente fecerat, ut vere eos manere vellet, sed ut occideret, tamen nunc, quum haesitat facinus illud perpetratura, non recte potest eo argumento a caede facienda se revocare, quod liberi sui Athenis secum habitaturi sint: non sunt enim ituri istuc, nisi iterum contrarium atque antea petat atque impetret. Deinde, ut putet se abducere secum posse liberos, non aptum tamen argumentum adhibet ad refutandam hanc sententiam, quum statim dicit, *οὗτοι πότ' ἔσται τοῦθ', ὅπως ἐχθροῖς ἐγὼ παῖδας παρήσω τοὺς ἐμοὺς καθυβρίσαι.* Nam hoc in manentes quadrat, non autem in abductos, quum ne ex-

*) Theocritus I. 50. *τὸ παιδίον οὐ πρὶν ἀνήσειν φατὶ πρὶν ἢ 'κράτιστον ἐπὶ ξηροῖσι καθίξῃ.* Plutarch. Artax. 3. *τὴν μὲν ἰδίαν ἀποθέσθαι στολήν, ἀναλαβεῖν δ' ἣν Κῦρος ὁ παλαιὸς ἐφόρει πρὶν ἢ βασιλεὺς γενέσθαι.* Sed tamen verum videtur, Atticis illud *πρὶν ἤ* non placuisse.

silium quidem pro iniuria haberi possit, ut in quod liberatos ab exsulandi necessitate ipsa ultro secum ductura sit. Quae quum ita sint, non videtur hic versus vitio carere. Nisi aliud quid latet, putem scribendum esse, *κεἰ μὴ μεθ' ἡμῶν, ζῶντες εὐφρανοῦσί σε. Eo, quod vivent, etiamsi non mecum, me oblectabunt.*

Valde ingeniosam emendationem protulit Elmsleius ad v. **1053.** ubi quum in edd. legeretur *παῦρον δὴ γένος ἐν πολλαῖσιν*, in codd. autem fere *παῦρον δὲ δὴ* vel *δέ τι γένος ἐν πολλαῖς εὕροις ἂν ἴσως κοὐκ ἀπόμουσον τὸ γυναικῶν*, inserto *μίαν* ita scribendum iudicavit, *παῦρον δὲ γένος (μίαν ἐν πολλαῖς εὕροις ἂν ἴσως) οὐκ ἀπόμουσον τὸ γυναικῶν*, adductus maxime tum eo, quod semper post *μὲν οὖ* sequatur *δέ*, quare non probat Porsonum *παῦρον γὰρ δὴ γένος* scribentem, tum simili Heraclidarum loco, v. **328.** *ἕνα γὰρ ἐν πολλοῖς ἴσως εὕροις ἄν, ὅστις ἐστὶ μὴ χείρων πατρός.* Laudare hanc coniecturam quis dubitet: non puto tamen in textum recipiendam fuisse. Nam neque parenthesis ista valde placet, nec quod de particula *δὲ* post *μὲν οὖ* scribit: „ita si semper locuti sunt tragici, quis non videt, neque *παῦρον τόδε δὴ γένος* cum Musgravio, neque *παῦρον γὰρ δὴ γένος* cum Porsono scribendum esse?" idoneum mihi argumentum videtur. Est illud ex eo genere, cui mea sententia nihil plane tribuendum. Non enim sequitur, si saepe *δὲ* post *μὲν οὖ* ponitur, semper id fieri debere: quid prohibet enim, quominus alio modo conformetur oratio, modo id apte fiat? Atqui aptissime dictum, quod Porsonus posuit *γάρ*. Nam si accuratius perpendas, videbis sententiam, quae per *δὲ* opponi debebat, omissam esse, quia sponte ex eo, quod in medio positum est, intelligi poterat. Plena oratio haec foret: *nos quoque sapimus: omnes quidem non: nam rara est apud feminas sapientia: sed quaedam.* Comparari potest Sophocles
387 Oed. R. **227.** *κεἰ μὲν φοβεῖται τοὐπίκλημ' ὑπεξελὼν* L. *αὐτὸς καθ' αὑτοῦ· πείσεται γὰρ ἄλλο μὲν ἀστεργὲς οὐδέν· γῆς δ' ἄπεισιν ἀβλαβής.* Praeterea exquisitius di-

ctum videtur *παῦρον γένος ἐν πολλαῖς*, quam quod cum illo nimis humili, *μίαν ἐν πολλαῖς εὕροις ἂν ἴσως*, commutari velis. Denique pro *κοὐκ* nolim *οὐκ* positum esse, Reiskio et Porsono ducibus. Certissime enim eadem ratione *παῦρον κοὐκ ἀπόμουσον* dictum est, qua usitatissimum illud *πολλὰ καὶ μεγάλα*.

1069. *ὅπως θρέψωσι* non damnandum.

Quum plerumque insignem diligentiam in usu particularum observando adhibeat Elmsleius, tamen v. **1088.** seqq. accidit ei, ut aliquam in hoc genere culpam admitteret. Porsonum enim sequutus, edidit: *καὶ δὴ δέδορκα τόνδε τῶν Ἰάσονος στείχοντ᾽ ὀπαδῶν, πνεῦμά τ᾽ ἠρεθισμένον δείκνυσιν, ὥς τι καινὸν ἀγγελεῖ κακόν.* Alii *δείκνυσι δ᾽*, interpunctione ante posita. Praestare nos quoque putamus *δείκνυσιν*, sed *τε* prorsus negamus hic locum habere. Non poterat homo Graecus aliter, quam *πνεῦμα δ᾽ ἠρεθισμένον δείκνυσιν* dicere. Eamque veram puto scripturam esse. Nam quod Musgravius coniecit, *πνεῦμά γ᾽ ἠρεθισμένον*, parum apte dictum videtur. Quod autem aliis placuit, *πνεῦμά τ᾽ ἠρεθισμένον· δείκνυσι δ᾽*, plane ferri non potest. Longe diversum ab eo, quod mox sequitur, v. **1090.** *ὦ δεινὸν ἔργον παράνομόν τ᾽ εἰργασμένη*, quod merito placuit Elmsleio pro vulgato *παρανόμως εἰργασμένη*, vellemusque recepisset. Ferri fortasse posset *πνεύματ᾽ ἠρεθισμένον*, etsi vereor ut exempla pluralis numeri hoc significatu apud tragicos inveniantur. Sed si *δείκνυσι δὲ* scripsisset poëta, *ἀγγελῶν* potius, opinor, quam *ἀγγελεῖ* subiecisset.

1091. In verbis nuncii, *φεῦγε, φεῦγε, μήτε ναΐαν λιποῦσ᾽ ἀπήνην, μήτ᾽ ὄχον πεδοστιβῆ*, quum Musgravius non sane temere participio *λιποῦσα* offensus esset, Elmsleius satis habuit dicere recte sibi haec explicata videri a scholiasta, *εἴτε διὰ νηός, εἴτε δι᾽ ὀχήματος, εἴθ᾽ ὁπωσοῦν φεῦγε*, ac deinde docet *ναΐαν ἀπήνην* navem esse. Bene quidem, sed hoc si omisisset, aequius fer-

rent lectores, quam quum illud omisit, quomodo participium λιποῦσα intelligi deberet. Neque enim intelligi potest, quomodo is ei sensus inesse possit, quem dicit scholiastes, nisi quis λιποῦσα velit *negligens* vertere, quod inauditum est. Nobis, si vitio caret locus, hyperbolice loqui videtur nuncius: *fuge*, *nec navi ulla*, *nec curru relicto*, quo ne quis persequi te possit.

1098. Non attenderam, quum in parte tertia huius censurae de v. **659.** dicerem, ad ea, quae hic de μὲν interrogativo attulit Elmsleius, illum ipsum versum et recte quidem ad hoc genus referens. Vellem tamen distinctius dixisset de ea re vir doctissimus. Quantum enim colligi potest, non ita, uti debebat, hoc μὲν intelligit, qui illud Aristophanis, ὑγιαίνεις μέν; interpretetur, *sanusne es?* Si sic esset, etiamnum contenderem, non po- 388
tuisse μὲν poni v. **659.** Sed lubens confiteor errorem L
meum, qui non reputaverim, posse versum istum etiam sic explicari, ut μὲν recte se habeat. Et haec est illa ipsa ratio, quae commemorata hic est ab Elmsleio, sed, ut videtur, non recte explicata. Nam μὲν illud non ita interrogativum est, ut rectae interrogationi conveniat, i. e. ei, qua nescientes aliquid interrogamus, sitne an non sit: ut in isto versu **659.** θέμις μὲν ἡμᾶς χρησμὸν εἰδέναι θεοῦ, si hic sensus est, *estne fas me cognoscere oraculum*, *an non?* non potuit μὲν poni. Sed ponitur haec particula tantum in interrogatione figurata, qua significamus, opinari nos illud esse, de quo interrogamus. Vt isto in loco: *opinor certe fas esse cognoscere oraculum?* Itaque ὑγιαίνεις μέν; non est, *sanusne es?* sed, *certe non insanis*, *opinor?* Apertum est autem, cur hoc genus interrogationis μὲν requirat. Nam si explices, quae in breve contracta sunt, hoc habes: *opinor quidem ita esse, sed dubitare cogor.* Id egregie declarat locus Euripidis in Ione, quem attulit Elmsleius. Continet enim plenam sententiam, addito opposito: εὖ φρονεῖς μέν, ἤ σ' ἔμηνέ τις βλάβη; *sanum quidem te esse opinor*, *nisi quid mentem tuum perturbavit?*

Leve est, sed tamen non praetereundum, quod de πῶς et similium vocabulorum usu in obliqua interrogatione dicit Elmsleius ad v. **1103**. „hanc constructionem si „comici sibi permittunt, exempla e tragicis afferre supervacaneum est." De istis quidem vocabulis nulla dubitatio est. Sed ne quis abutatur auctoritate viri doctissimi, quem haec putamus minus circumspecte scripsisse, quum ipse optime sciat, multa vulgaris sermonis propria esse, quae non liceat eo, quod in comoedia reperiuntur, etiam in tragoediam inferre, monendum putamus, esse hunc communis sermonis usum, ut πῶς et similia etiam in obliqua interrogatione ponat, sed eam etiam in tragoedia admitti. In subiecta adnotatione tractat Elmsleius haec ex Ione v. **958**. *ΠΡ. καὶ πῶς ἐν ἄντρῳ παῖδα σὸν λιπεῖν ἔτλης; ΚΡ. πῶς δ'; οἰκτρὰ πολλὰ στόματος ἐκβαλοῦσ' ἔπη.* Quo in loco ὡς οἰκτρὰ legendum censet, fretus iis, quae ad v. **596**. dixerit. Ibi ὡς in responsione graviter affirmare ostendit. Recte sane: sed ea affirmatio plane aliena ab hoc loco est, ubi nihil est, quod affirmetur, sed narrandum est, quod interrogatum erat. Concedimus viro doctissimo, soloecum esse πῶς δέ, sed ita tantum, si dictum accipiatur pro ὅπως. At id vetat adiectum δέ, omninoque frigidum hic esset ὅπως, ut quod significet: *quomodo causa sim interrogas?* Nisi fallor, multo gravior hic est interrogatio, repetens ipsum senis verbum, *quomodo vero?* i. e. *tu vero dicere potes*, „*quomodo*." Similis, sed tamen alius generis repetitio est apud Aeschylum in Choeph. **764**. si Canterus recte
389 emendavit eum locum *Χ. πῶς οὖν κελεύει νιν μολεῖν*
L *ἐσταλμένον; ΤΡ. τί πῶς; λέγ' αὖθις, ὡς μάθω σαφέστερον.*

1118. Laudabili diligentia etiam ad collocationem verborum attendit Elmsleius, quae res nimium neglecta est a criticis. Non assentimur tamen ei, quum certas huius rei regulas inveniri negat. Sunt illae plerumque certissimae, et pleraeque quidem rhetoricae, quibus etiam in prosa oratione sua auctoritas constat; quaedam vero

etiam ex numeris versuum pendent, ut hoc in versu, ad quem haec adnotavit: *ὀργάς τ' ἀφῄρει καὶ χόλον νεάνιδος*. Quam collocationem Porsonus recte praetulit alteri, *καὶ νεάνιδος χόλον*. Nam quum in trimetro, cuius membra non per interpunctiones mutantur, prima, tertia, quinta arsis potissimos locos habeant, consentaneum est, in eos locos etiam verba potiora, et quidem etiam syllabas eorum verborum potiores incidere: ex quo intelligitur, parum suaviter ita collocari verba *καὶ νεάνιδος χόλον*, non secunda prioris verbi syllaba, quae potissima est, sed ultima, quae nihil est nisi terminatio casum designans, in quintam arsin deposita. Multo gravius est alterum genus. Affert Elmsleius ex Hecuba v. 55. *ἐκ τυραννικῶν δόμων*, et aliquot alios locos, in quibus sunt *δόμοι τυραννικοί*. Nihil in his arbitrarium: nam in omnibus, etiam sine metro, necessaria erat haec collocatio. Etenim *δόμοι τυραννικοὶ* ita dicuntur, ut primarium sit domus, quae deinde amplius describitur addito adiectivo. *Τυραννικοὶ δόμοι* autem cum oppositione dicuntur, domus, quae regum, non aliorum est. Itaque necessario in Hecuba dicendum erat, *ἥτις ἐκ τυραννικῶν δόμων δούλειον ἦμαρ εἶδες*, quia regia conditio servili opponitur. Nolo hanc rem pluribus explicare: permulta enim dicenda essent, in iisque etiam hoc, quibus conditionibus adiectivum ad oppositionem faciendam etiam post nomen poni debeat.

Ad v. **1120**. recte observat Elmsleius, voculas *οὐ μὴ* cum futuro coniunctas proferendas esse cum interrogatione. Exemplorum in eam rem magnam vim adiicit: sed ex his illa tantum observationem istam veram esse demonstrant, in quibus duo membra orationis unam negationem *οὐ* communem habent, *μὴ* autem in altero tantum membro est. Vt in Aristoph. Nub. **505**. *οὐ μὴ λαλήσεις, ἀλλ' ἀκολουθήσεις ἐμοί;* Eurip. Hipp. **498**. *ὦ δεινὰ λέξασ', οὐχὶ συγκλείσεις στόμα, καὶ μὴ μεθήσεις αὖθις αἰσχίστους λόγους;* In cuiusmodi exemplis quia *οὐ* sine *μὴ* aperte interrogativum est, ne-

cesse est etiam *μή*, quod pendet ex isto *οὔ*, interrogativum esse. Hac igitur observatione motus Elmsleius differentiam inter *οὐ μὴ μενεῖς* et *οὐ μὴ μείνῃς* ita constituit, ut futurum significet *μὴ μένε* vel *μὴ μείνῃς*, coniunctivus autem *οὐ μενεῖς*. Similia dixerat in Commentariis trimestribus VII. p. 454. Ibi vero tres sibi locos occurrisse ait, quibus nesciat quid faciendum sit, quod in iis *οὐ μὴ* non sint prohibitivae. Hi loci sunt So-
390 phoclis in Oed. Col. 176. *οὗτοι μήποτέ σ' ἐκ τῶνδ'*
I. *ἑδράνων, ὦ γέρον, ἄκοντά τις ἄξει.* In Electra 1052. *ἀλλ' εἶσιθ'· οὔ σοι μὴ μεθέψομαί ποτε, οὐδ' ἢν σφόδρ' ἱμείρουσα τυγχάνῃς.* Aristophanis in Ran. 508. *μὰ τὸν Ἀπόλλω; οὐ μή σ' ἐγὼ περιόψομ' ἀπελθόντα.* Intelligi potest hic, quam nihil lucis sit, ubi non caussas rerum indages. Quamvis enim ingenti exemplorum copia ad Medeam demonstraverit Elmsleius, futurum cum *οὐ μὴ* constructum vim prohibendi habere, tamen, ut aperte dicam, nihil in ea re veri inest. Nimirum non in futuro illa vis est, sed in secunda persona, quam ista exempla habent omnia. Itaque non verior est illa observatio, quam si quis contendat, *οὔ* cum futuro iunctum iubendi significationem habere, quia *οὐχὶ συγκλείσεις στόμα* et similia iubentis sint. Quod si ad id attendisset Elmsleius, in quo cardo rei versatur, nihil offensus esset tribus illis exemplis, sed vidisset, prohibendi significatum ab iis propterea abesse, quia non secundam personam verbi habent. Nihilo minus illud verum manet, interrogativam esse eam formulam. Interrogatio enim non ex persona verbi, sed ex negatione *οὔ* pendet. Itaque sensus in illis tribus exemplis proprie hic inest: *non te quisquam ex his sedibus non abducet invitum?* i. e. non te sinet manere? Sinet vero. *Non te ego non sequar umquam, quamvis flagitantem?* i. e. non ego tibi resistam? Resistam vero. *Non ego te non abire sinam?* i. e. non ego te retinebo? Immo retinebo.

Est vero operae pretium etiam de *οὐ μὴ* cum coniunctivo quaerere. Cui formulae recte sane futuri signi-

ficationem inesse contendit Elmsleius. Et quamquam ea formula videri possit elliptica esse, quae plena talis sit, ut saepius apud Herodotum, v. c. I. 84. *οὐ γὰρ ἦν δεινόν, μὴ ἁλῷ ποτέ*, tamen, quum valde dura sit huiusmodi ellipsis *), quid impedit, quin eadem illa analogia, qua futurum, etiam coniunctivum cum *οὐ μὴ* coniunctum interrogantis esse censeamus? Notum est coniunctivum interrogative prolatum quaerentis esse quid fieri debeat: *ἴω; οὐκ ἴω;* **) Itaque addita altera negatione, *οὐ μὴ ἴω* necesse est significet, *non non eam?* i. e. non maneam? Hoc est autem eius, qui esse manendum significat, ex quo consequitur mansurum esse. Habet hoc autem in omni persona locum. Aeschylus S. ad Th. 38. *καὶ τῶνδ' ἀκούσας οὔ τι μὴ λῃφθῶ δόλῳ; His auditis, non ego non capiar dolo?* i. e. non sim tutus a dolo? Omnino vero. Ibidem v. 287. *οὐ γάρ τι μᾶλλον μὴ φύγῃς τὸ μόρσιμον*; *Non magis non effugias fata?* i. e. minus patiare quod in fatis est? Immo aeque patieris. Sophocl. Ai. 560. *οὗτοι σ' Ἀχαιῶν οἶδα μή τις ὑβρίσῃ; non te non laedat quis?* i. e. *non te quis illaesum sinat?* Sinet profecto.

Apertum est, sive cum futuro, sive cum coniunctivo construantur voculae *οὐ μή*, *οὔ* interrogationi inservire, *μὴ* autem facere ut verbi notio negativa fiat: ideoque negatio illa non *οὔ*, sed *μὴ* est, quia *μὴ* non 391
rei, sed cogitationis negans est. Itaque *οὐ μὴ μενεῖς;* L

*) Videtur ea tamen vera esse. V. ad Sophocl. El. 1041. et ad Oed. Col. 1028.

**) Hanc constructionem Schaeferus ad Demosth. vol. V. p. 668. perinique exprobat F. V. Fritzschio. Non enim ille omnino in istis Luciani locis *οὔ* cum coniunctivo coniunxerat. Sed abripuit virum moderationis et modestiae commendatorem tumens difficili bile iecur, ut et hoc incautius scriberet, et illud confidentius, non esse se appetentem soloecismorum. Huius quidem soloecismi ego me reum fatebor, ubi esse soloecismum ostenderit, removeritque quae eius exempla inveniuntur.

idem est quod *οὐκ εἶ;* et *οὐ μὴ μείνω;* idem quod *οὐκ ἴω;* Iam intelligi potest, cur quum *οὐ μὴ* iunctae cum secunda persona futuri prohibendi vim habeant, eaedem particulae coniunctivo consociatae, quaecumque sit verbi persona, vi illa prohibendi careant, et nihil nisi simplex futurum significent. Nam *οὔ* cum futuro mirantis est, si quid non futurum sit. Quod quum secunda persona dicimus, *non tu facies?* exspectare nos indicamus, facturum esse eum, cui id dicimus. Id est autem monere, ut faciat. Quum autem *οὔ* iungimus coniunctivo, eius formulae longe alia ratio est. Nam nudus coniunctivus, ut *ἴω;* deliberantis est, i. e. dubitantis an non sit eundum, sive ire verentis. Addita negatione, dubitantis est an sit eundum, i. e. non ire, sive manere verentis. Id est autem in omni persona idem. Nam omnis deliberatio interrogatio est nostrummet ipsorum, quae etiamsi oratione ad alium directa profertur, tamen re ad nos ipsos pertinet. Nam *οὐκ ἴῃς;* et *οὐ μὴ ἴῃς;* postremo nihil aliud est, quam *οὐ δόξω ἰτέον σοί;* et *οὐ δόξω μὴ ἰτέον σοί;* Quibus verbis neque iubemus neque vetamus, sed coniicimus, quid futurum sit.

Caeterum errare puto eos, qui aoristum coniunctivi ita in hac formula necessarium esse existimant, ut negent aliorum temporum coniunctivis locum dari. Nam quod fere ubique aoristum usurpari videmus, nihil mirum, quum fere omnis deliberatio ad futura spectet, cui tempori aoristi coniunctivus propterea congruus est, quia futuri exacti notionem continet. At fieri potest, ut etiam de re praesente deliberetur, quum quidem quaerimus, quale esse iam nunc debeat id, quod nondum compertum, quale sit, habemus. Eiusmodi videtur illud esse, quod in Soph. Oed. Col. **1023.** veteres libri praebent: *ἄλλοι γὰρ οἱ σπεύδοντες, οὓς οὐ μήποτε χώρας φυγόντες τῆσδ' ἐπεύχωνται θεοῖς.* Correxerunt eo in loco grammatici, alii *ἐπεύξωνται,* alii *ἐπεύξονται.* Quorum neutro opus videtur. Loquitur Theseus de iis, qui Oedipi filias per vim abduxerant. Eos alii, inquit, persequuntur, quos

quod effugerint, et ex nostris finibus evaserint, non, opinor, vota faciunt diis. Si ἐπεύξονται vel ἐπεύξωνται scribitur, hoc dicit: *non agent diis gratias, quod evaserint.* Praesentis autem coniunctivus eam vim habet, ut iam nunc captos esse, ideoque diis non gratulari indicet. Id per aoristi coniunctivum non potest nisi per huiusmodi ambages exprimi, *οὐ μὴ εὑρεθῶσιν ἤδη ἐπευχόμενοι* *).

V. 1138. Quam nos ad Vigerum proposueramus huius loci interpunctionem atque explicationem, non probat Elmsleius: idque recte videtur facere, licet non dixerit, qua ratione ductus faciat. Putamus autem hoc eum, et iure quidem, sensisse, non apte haec coniungi: *vix illa in lecto procubuerat, quum anus quaedam clamorem sustulit.* Nihil enim ad rem, utrum statim an aliquanto post anus ista clamaverit. Tametsi vero recte 392
vulgo post *πεσεῖν* plenam distinctionem poni dicit, tamen L
in eo non possumus ei accedere, quod ordinem verborum hunc esse vult: *καὶ θρόνοισιν ἐμπεσοῦσα, μόλις φθάνει [τὸ] μὴ χαμαὶ πεσεῖν.* Nam ita distinctis verbis tamen, si Graecam esse orationem volumus, ad *φθάνει* repetendum est *ἐμπεσοῦσα.* Itaque cur non potius statim coniungemus, *μόλις φθάνει ἐμπεσοῦσα μὴ χαμαὶ πεσεῖν?* Nam sensum esse apparet: *vix in lectum inciderat, quum in eo fuit, ut, nisi in lectum incidisset, humi procumberet.*

Ad v. 1141. vellemus praetulisse Elmsleium vulgatae accentus adiectionem, *δόξασά που ἢ Πανὸς ὀργὰς ἢ τινὸς θεῶν μολεῖν,* cui tuendae Schaeferum citat in indice ad Lamb. Bos. v. *ἄλλος.* Hanc enim vocem suppleri vult, addens ex Actis Apostolorum, *Πέτρος καὶ οἱ ἀπόστολοι.* At hoc quidem longe alius generis esse, facile quivis intelligat. In Euripidis loco si ellipsis ista admittetur,

*) Vide ad Soph. Oed. Col. 1028.

nullum usquam erit tam necessarium vocabulum, quod non omitti posse censeamus. Quare nobis considerate Porsonus ἢ τινὸς θεῶν ex ed. Lasc. recepisse videtur, quod est *alicuiuspiam deorum:* quod contra ex vulgata scriptura necessario consequeretur, Panem non in diis numerari.

V. **1143**. ad verba, ὀμμάτων τ' ἄπο κόρας στρέφουσαν, Heathii sententiam commemorat Elmsleius, ἄπο per tmesin a verbo disiunctam censentis. Ipse quid sentiret, non indicavit, sed assentiri eum Heathio putamus. Nam quod anastrophen accentus in praepositione servavit, quum alii in tmesi aut prorsus omittant accentum, alii in ultima collocent, non videtur inconsiderate fecisse. Nos quidem, ut alibi demonstravimus, nihil putamus certius esse, quam praepositiones per se non esse oxytonas, ideoque, ubi aut post nomen, ad quod pertinent, aut ante nomen quidem, sed cum singulari quadam vi, aut pro adverbiis, aut, quod eodem redit, in tmesi ponantur, retinere naturalem accentum suum, qui in disyllabis est in penultima. Nam quod ἀνὰ et διὰ grammatici excipiunt, merae sunt nugae. Nam quis credat, Homerum, nisi δία pronunciasset, talem versum fecisse,

δία μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄμβριμον
ἔγχος.

V. **1150**. In iis, quae ad hunc versum in ima pagina adnotata sunt, verissime dictum putamus, Atticos, etsi πεντέπους, ἕκπους, ὀκτώπους dixerint, tamen non dixisse πεντεπλοῦς, ἑκπλοῦς, ὀκτωπλοῦς, πεντεπλάσιος ἑκπλάσιος, ὀκτωπλάσιος. Sed quod addit Elmsleius, ubi ὀκταπλάσιος ex Aristophane attulit, fatemur, nos non intelligere: „idem tamen ὀκτωδάκτυλον dixit Lys. **109**. „Caussa huius diversitatis est, quod ὀκτωδάκτυλον com„positum est, secus atque ὀκταπλάσιον. Nulla enim pars „orationis est, quae cum ὄκτω coniuncta ὀκτωπλάσιον
393 „facere potest." Videtur hoc dicere voluisse, numero-
L rum vocabula primitivam formam non nisi in compositione

cum nominibus rerum numeratarum servare. Nam etiam ὀκταπλοῦς et ὀκταπλάσιος origine composita sunt, sed eiusmodi, ut nomen numero adiectum non rem numeratam, sed multiplicationem numeri ipsius significet. Caeterum si Attici in quibusdam compositionibus primitivam numeri formam servarunt, non sunt id existimandi fecisse in omnibus: sed spectandus in his usus est. Neque ita facile crediderim, dixisse Atticos etiam ἓκ πόδες divisim, quod ex inscriptione apud Chandlerum affert Elmsleius. Multa enim in inscriptionibus vel ab iis, qui eas descripserunt, vel ab ipsis sculptoribus peccata esse constat.

V. 1163. πῦρ δ', ἐπεὶ κόμην ἔσεισε, μᾶλλον δὶς τόσῳ τ' ἐλάμπετο. Quum hic alii libri δὶς τόσον τ', alii δὶς τόσῳ, omisso τ', habeant, quaerit Elmsleius, utrum retinenda sit an delenda copula, quam, ut ex nota marginali colligi licet, deletam malebat. Si deletur, sensus est: *ubi comam movere coepit, potius duplicata vi exarsit flamma.* At cur illud *potius* hic addatur, nulla plane caussa est. Quare praestat, servari copulam: *magis, et bis tanta exarsit flamma.* Nam quum eam magis emicare dixisset, auget hoc etiam, non paullo maiorem, sed bis tantam factam esse indicans.

Ad v. 1185. quum probat Elmsleius, quod Matthiae in Gram. Gr. §. 521. dixit, usitatius esse imperfectum quam aoristum in eiusmodi sententia, qualis haec est: εἰ δὲ πρὸς βίαν ἄγοι, σάρκας γεραιὰς ἐσπάρασσ' ἀπ' ὀστέων, non abs re fuisset, adiicere, eamdem, quam ubique, horum temporum rationem esse, ut aoristus de re cito transeunte, imperfectum de durante dicatur. Hinc recte utrumque tempus coniunxit Thucydides VII. 71. quem affert Matthiae: εἰ μέν τινες ἴδοιέν πῃ τοὺς σφετέρους ἐπικρατοῦντας, ἀνεθάρσησάν τε ἄν, καὶ πρὸς ἀνάκλησιν θεῶν μὴ στερῆσαι σφᾶς τῆς σωτηρίας ἐτρέποντο. Spem enim concipere brevis momenti est; longius, orare deos. Saepe vero imperfectum etiam saepius repetitae rei rationem habet, ut in hoc Medeae

loco. Homerus Iliad. γ. 232. quum dicit, πολλάκι μιν ξείνισσεν ἀρηΐφιλος Μενέλαος οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ, ὁπότε Κρήτηθεν ἵκοιτο, si πολλάκι omisisset, dixisset ξείνιζεν.

V. 1205. libri praebent: φίλαι, δέδοκται τοὔργον ὡς τάχιστά μοι παῖδας κτανούσῃ τῆσδ' ἀφορμᾶσθαι χθονός, καὶ μὴ σχολὴν ἄγουσαν ἐκδοῦναι τέκνα ἄλλῃ φονεῦσαι δυσμενεστέρᾳ χερί. Ibi quod Elmsleius κτανούσῃ in κτανοῦσαν mutari vult, pariterque in simili loco Sophoclis El. 958. ἐστερημένῃ in ἐστερημένην, non magis probo, quam quod nonnulli apud Aeschylum Prom. 216. προσλαβόντα scripserunt contra plerosque libros in his verbis: κράτιστα δή μοι τῶν παρεστώτων
391 τότε ἐφαίνετ' εἶναι προσλαβόντι μητέρα, ἑκόντ' ἑκόντι
L Ζηνὶ συμπαραστατεῖν. Nam quum utraque constructio recte se habeat, quid impedit ambas coniungi? Talia corrigere, id est, mea sententia, libertatem, in qua maxima venustas est, ereptum ire sermoni Graecorum.

Ad v. 1209. speciosius nobis, quam verius disserere videtur Elmsleius de constructione verbi μέλλειν. Quod ubi cunctari significat, ne futuri quidem infinitivum, nedum aoristi adsciscere contendit: ideoque in Phoenissis v. 306. θιγεῖν in θιγγάνειν, et in Rheso v. 674. σῶσαι in σώζειν nulla adiuvante librorum auctoritate mutat. Nos primo quaerimus, cur aoristi infinitivum magis etiam, quam futuri ab isto verbi μέλλειν significatu alienum putet. Aoristus enim cur excludendus sit, caussa nulla apparet: cur autem futurum non adhibeatur, satis planum est. Μέλλειν quum proprie esset *curare*, *deliberare*, duas accepit significationes pro iis, quae opposita cogitantur. Nam qui deliberat, aut cupit facere, aut facere dubitat. Si cupit, facturum credibile est: unde μέλλω ποιεῖν idem fere est quod ποιησείω: quare non est mirum saepe in hoc significatu infinitivum futuri adiungi. Sin dubitat quis facere, consentaneum est, eum non esse facturum. Hunc igitur si dicere volumus quid

agat, non recte futuro utemur, quia nihil facturus est, sed nominare debebimus id, quod nunc agit: id est autem deliberare. Itaque quem cunctari isto verbo indicamus, eum semper deliberare, numquam facere dicimus. Ideoque praesentis infinitivo utimur, *μέλλει ποιεῖν* dicentes, quod est, *οὐ ποιεῖ, ἀεὶ μέλλων.* Nihil vero obstat, quin etiam aoristi infinitivo locus concedatur, ubi quidem de re cito transeunte sermo sit. Ita in duobus illis exemplis, quae corrigi vult Elmsleius, apertum est recte positum esse aoristum, ut in caeteris, quae attulit, recte est praesentis infinitivus positus, quum omnia rei diutius durantis significationem admixtam habeant, nisi illud unum velis excipere in Heraclidis v. **1045.** *τί δῆτα μέλλετε κτείνειν τὸν ἄνδρα τόνδε.* At hoc quoque recte dictum, quia *κτείνειν* saepe nihil aliud est quam *parare caedem:* unde paullo ante v. **1026.** similiter *κτεῖνε*, non *κτεῖνον* scriptum videmus. Quod existimare videtur Elmsleius, longe alio sensu aoristi infinitivum adiungi, motus videtur uno tantum, quod affert, exemplo ex Aristoph Av. **365.** *εἰπέ μοι, τί μέλλετ', ὦ πάντων κάκιστα θηρίων, ἀπολέσαι παθόντες οὐδέν, ἄνδρε καὶ διασπάσαι, τῆς ἐμῆς γυναικὸς ὄντε συγγενέε καὶ φυλέτα;* At ibi aoristus propter illam, quam dixi, rei cito transeuntis notionem positus est, quae si aliena ab hoc loco esset, praesentis infinitivum adhibuisset Aristophanes, quemadmodum fecit Aeschylus Suppl. v. **1065.** *τί δὲ μέλλω φρένα Δίαν καθορᾶν, ὄψιν ἄβυσσον;* Sed veniam nunc ad Euripidis locum, ad quem illa adnotavit Elmsleius. In eo loco quum haec verba legantur: *τί μέλλομεν τὰ δεινὰ κἀ-* 395
ναγκαῖα μὴ πράσσειν κακά; Elmsleius ad aliorum exem- I.
plorum similitudinem *μὴ* in *μὴ οὐ* mutandum censet. Ita dici potuisse, non est dubium: sed si ita scripsisset Euripides, sensus foret: *quid cunctamur, quo minus dirum illud et necessarium malum perpetremus?* Quum autem omisit *οὔ*, multo est fortius loquutus: *quid cunctamur, ut illud malum ne faciamus?* i. e. quid cunctor, tamquam non factura, quod fieri debet? De ea diversitate disputavi ad Vigerum p. **800.** Itaque tantum abest

ut μὴ οὐ reponendum sit, ut multum praestet μὴ sine οὔ.

V. 1212. In verbis, ἔρπε πρὸς βαλβῖδα λυπηρὰν βίου, Elmsleius βαλβῖδα interpretatur ἀγῶνα. Nobis rectius videtur scholiastes sensum verborum indicasse, quum dixit ἀρχὴν δυστυχοῦς βίου. Nam βαλβὶς limen significat: vide ad Antig. Sophocl. 131.

V. 1214. ita loquitur Medea: ἀλλὰ τήνδε γε λαθοῦ βραχεῖαν ἡμέραν παίδων σέθεν, κἄπειτα θρήνει· καὶ γὰρ εἰ κτενεῖς σφ' ὅμως, φίλοι γ' ἔφυσαν, δυστυχὴς δ' ἐγὼ γυνή. Ibi quum aliquot libri φίλοι τ' exhibeant, Elmsleio scribendum videtur, φίλοι τ' ἔφυσαν, δυστυχὴς τ' ἐγὼ γυνή, simulque ad eamdem normam tres alios locos in quibus τε et δὲ oppositae sunt, corrigi iubet. Atque hoc quidem saepe a nobis monitum est, recte inferri δὲ pro τέ, ubi quidem, quae ut partes disiungi coeperant, sibi opponuntur, quoniam aliquid continent, quo possint sibi opponi. Nam ubi nulla cogitari oppositio potest, nemo non videt, δὲ non posse admitti. Itaque vellemus abstinuisset vir doctissimus manum ab istis tribus locis, in quibus nihil est, quod τε et δὲ coniungi prohibeat. Ad Medeae autem verba quod attinet, ne ferri quidem posse geminum τε existimamus. Posset, si haec tantum diceret Medea: καὶ γὰρ φίλοι τ' ἔφυσαν, δυστυχὴς τ' ἐγὼ γυνή. Nam ita tum procederent sententiae; *postea luge: nam et illi cari sunt, et ego sum infelix.* Duplex enim caussa lugendi afferretur, et quod liberos, qui cari essent, amisisset, et quod ipsa esset infelix. Posset vero etiam secundo loco δὲ poni, quemadmodum Latine vertens recte diceres: *nam et illi cari sunt, ego autem infelix.* Inciperes enim orationem, ut partiturus lugendi caussam in duas partes, caritatem liberorum, et infortunium matris: sed exorsus partitionem, quoniam etiam oppositae sunt illae partes, opponeres, hoc modo: *nam illi cari sunt, ego autem misera.* At neutro modo loqui potuit Medea insertis illis εἰ κτενεῖς ὅμως, quia

utrovis modo perversa enasceretur sententia. Nam si bis ponatur τε, sensus erit: *nam etiamsi occidis, et illi cari sunt, et ego misera.* At illi quidem, etiamsi occiduntur, cari sunt; non autem ipsa, etiamsi occidit, misera est, sed potius ob id ipsum, quia occidit. Non melius res procedet, si τε et δὲ coniungas. Tum enim sensus hic erit: *nam, etiamsi occidis, et illi cari sunt, ego autem misera.* Hoc est enim idem, ac si dicas: *nam etiamsi occidis, cari sunt illi, ego vero misera.* Qua in senten- 396
tia eadem inest perversitas, quia mater interficiendo libe- L
ros, non, etiamsi interficiat, misera est. Nam quae tandem haec ratiocinatio est: interficiam vos, et deinde lugebo infortunium meum: nam etiamsi vos interficiam, misera ero. Immo si misera est, etiamsi occidat liberos, nece liberorum se indicat videri posse liberari a miseria, sed tamen non liberari. Quod si non liberatur, non opus habet interficere liberos, ut lugere infortunium suum possit. Apertum est alienissima haec esse ab huius loci natura. Itaque sola reliqua est vulgata, in qua nihil est quod reprehendas, ut quae hunc sensum praebeat, *postea lugebo: nam etiamsi vos occidam, cari certe fuistis, ego autem misera sum.* Ita duae quidem lugendi caussae, sed illae non coniunctae commemorantur, una, quod liberi, etiamsi eos interficiat, tamen cari fuerint, altera, quod interfectis miseram se fore sentiat.

Non satisfecerunt nobis viri docti in carmine melico, quod est a v. **1218**. quod qui consideraverit, facile videbit, quum iam antiquitus corruptum esset, a metricis utcumque correctum esse. Sed ut aliquot versuum insolentes numeri de vitio admonere poterant, ita magis etiam, quod primum omnium respici debet, sed saepe a criticis aut postremum, aut non respicitur omnino, sensus verborum, quid corrigi debeat, ostendit. Ad eum ipse in Elem. d. metr. p. **257**. ubi hunc locum attigi, non satis attendi. Versu **1219**. Elmsleius Seidlero auctore *ἀελίου* prima brevi esse putat, eamque ob caussam in antistrophico dedit *μάταν ἄρα γένος*. De ista correptione pau-

cis dixi ad Soph. Trach. 832. quod exemplum vereor ne unicum sit, quod iure afferri possit. At non eadem in omnibus numeris licentia conceditur, nec quod in trimetro solutionibus pleno fieri licet, continuo etiam ad alios versus transferri poterit. Hic quidem tanto magis dubia est illa correptio, quod in antistrophico versu alii libri solum *μάταν*, alii *ἄρα μάταν*, alii *καὶ μάταν*, nullus *μάταν ἄρα* habet. *Ἄρα* quidem si admittitur, recte omnino *μάταν ἄρα* scripsit Elmleius. Nam *ἄρα μάταν*, quod Seidlerus recepit, ne ipsi quidem hodie probari puto. Durum autem foret, si quis ita vellet interpungi:

μάταν μόχθος ἔῤῥει τέκνων
ἄρα, μάταν γένος φίλιον ἔτεκες.

Mihi codicum discrepantia nihil nisi correctiones metricorum videtur continere, quum excidisset particula, quae a poëta posita fuerat. Is ita, nisi fallor, scripserat: *μάταν τοι γένος φίλιον ἔτεκες*. Ex quo verisimile est, *Ἀλίου* in stropha scribendum esse. Sequuntur mox haec:

σᾶς γὰρ ἀπὸ χρυσέας γονᾶς
397 *ἔβλαστεν. θεῶν δ'*
L *αἷμα πίτνειν φόβος ὑπ' ἀνέρων.*

Ita versus distinctos praebuit Elmsleius. Respondent his in antistropha:

δειλαία, τί σοι φρενῶν βαρὺς
χόλος προσπίτνει,
καὶ δυσμενὴς φόνος ἀμείβεται.

Metra haec ex parte apparet et insueta esse et corrupta. Libri nihil variant, nisi quod nonnulli *αἵματι* praebent, quod et Seidlerus recepit, et praeferre videtur Elmsleius. Ac Seidlerus quidem duos primos versus ita scripsit:

τᾶς σᾶς γὰρ ἀπὸ χρυσέας γονᾶς
ἔβλαστεν· θεῶν δ' αἵματι πιτνεῖν,

quibus respondeant haec:

δειλαία, τί σοι φρενῶν βαρὺς
χόλος προσπιτνεῖ, καὶ δυσμενής.

At nec libris firmatur τᾶς σᾶς, et languet articulus, versusque ex dochmio et dipodia iambica constantes, non, uti decebat, singulis inter se syllabis congruunt, omninoque parum venusti sunt. Aliam memini, audaciorem quidem, sed multo elegantiorem coniecturam Seidleri:

σᾶς γὰρ χρυσέας
ἀπὸ γονᾶς ἔβλαστεν· θεῶν δ'.
δειλαία, τί σοι
φρενοβαρὴς χόλος προσπιτνεῖ.

At quocumque modo ista scribantur, utraque in stropha sensus laborat. Primum αἷμα πιτνεῖν cum parte librorum et scholiastes legit et scriptor Christi patientis, estque ea certissime vera scriptura. Nam hoc dicere debet chorus, metuendum esse, ne liberi Medeae, divinitus ortum genus, pereant. Illud vero inepte diceret, liberis metum esse, ne pereant. Nam et nesciunt illi, quid mater agitet, et si scirent, ac metuerent, nihil aliud diceret chorus, quam sibi mortem timere eos, qui ab diis oriundi essent, non illud, quod debet, indignum esse, perire genus divinum. Quum ergo αἵματι omnino prava scriptura sit, nihil aliud relinquitur, quam, si quid in ea scriptura veri est, syllabam τι alius vocabuli vestigia continere. Alia dubitatio de antistrophicis est. Nam quid hoc est: δειλαία, τί σοι φρενῶν βαρὺς χόλος προσπιτνεῖ, καὶ δυσμενὴς φόνος ἀμείβεται; Scholiastes: φόνος τῶν παίδων ἀμείβεται καὶ διαδέχεται τὸν χόλον. Patet necessitate, propter inopiam melioris explicationis, extortam esse hanc interpretationem. Inepta enim sententia est. Neque enim caedes dici potest in irae locum succedere, 398
cum eaque vices permutare, quia in occidendo ira ut quum L
maxime viget. Itaque quis non, semel hac de re admonitus, statim videat, longe aliud quid hic requiri: quod quid sit, non potest obscurum esse: nam Glaucae necem excipit caedes ipsius Medeae liberorum:

δειλαία, τί σε φρενῶν
βαρὺς χόλος προσπιτνεῖ,
καὶ δυσμενὴς φόνον
φόνος ἀμείβεται;

Primus horum versuum et tertius iambici ischiorrhogici sunt. Hinc strophicos ita, opinor, licebit refingere:

σᾶς γὰρ ἀπὸ χρυσέας
γονᾶς ἔβλαστεν * *
θεῶν δ' αἱμά τοι πιτνεῖν
φόβος ὑπ' ἀνέρων.

Quid exciderit post ἔβλαστεν, non ausim coniectare. Si liber aliquis ἔβλαστεν γονᾶς praeberet, elegantissimum et aptissimum foret, σᾶς γὰρ ἀπὸ χρυσέας, ἄναξ, ἔβλαστεν γονᾶς.

Versu **1226. 1227.** miramur, quod Elmsleius quam probat Seidleri transpositionem verborum φονίαν τάλαινάν τ' in textum recipere dubitaverit, qua nihil nec facilius nec certius inveniri potest.

V. 1235. quae leguntur, explicatu perdifficilia sunt: χαλεπὰ γὰρ βροτοῖς ὁμογενῆ μιάσματ' ἐπὶ γαῖαν αὐτοφόνταις ξυνῳδὰ θεόθεν πιτνοῦντ' ἐπὶ δόμοις ἄχη. Ea Elmsleius sic construenda putat: χαλεπὰ γὰρ βροτοῖς ἐστὶν ὁμογενῆ μιάσματα, τουτέστι, ἄχη ξυνῳδὰ θεόθεν ἐπὶ γαῖαν πίτνοντα αὐτοφόνταις ἐπὶ δόμοις. Vltima eo modo dicta censet, ut λίθος ἔπεσέ μοι ἐπὶ κεφαλῇ, nihil tamen obstare monens, quo minus αὐτοφόνταις pro adiectivo accipiatur. Nobis hac in explicatione illud non placet, quod ἄχη θεόθεν ἐπὶ γαῖαν ἐπὶ δόμοις πιτνεῖν dicuntur. Insuetum est enim tragicis, in huiusmodi quidem re, quae ab diis veniunt, in terram venire dicere. Potius ἐπὶ γαῖαν πιτνοῦντα ad μιάσματα pertinere, et sanguinem humi profusum intelligi, permultis confirmari exemplis potest. Itaque sic videntur haec verba intelligenda esse: χαλεπὰ γὰρ βροτοῖς ἐστὶν ὁμογενῆ μιάσμα-

τα ἐπὶ γαῖαν πιτνοῦνα, ἄχη θεόθεν ξυνῳδὰ ἐπὶ δόμοις αὐτοφόνταις: gravis est enim mortalibus cognatus sanguis humi profusus, dolor divinitus congruus expetens in parricidam domum. Ad *ξυνῳδὰ* intelligendum *αὐτοῖς* ex *δόμοις*: non enim haec vox cum particula *ἐπὶ* construitur, sed ipsa *μιάσματα* dicuntur *ἄχη* esse *ἐπὶ δόμοις αὐτοφόνταις*, i. e. in dolorem vertere expetentem in parricidas.

V. **1263**. librorum scripturam, *δεῖ γάρ νιν ἤδη γῆς σφε κρυφθῆναι κάτω*, Elmsleius, quum alii *νυν* pro *νιν* posuissent, ita mutandam censet, ut pro *σφε* scribatur *γε*, 399
multisque exemplis confirmat consociationem particularum L
ἤτοι — γε — ἤ, illas autem voculas, *γάρ νυν*, qui coniunxerit neminem se reperire ait. Nobis, an *γάρ νυν* hoc loco scribi possit, ex illa quaestione pendere videtur, an *νὺν* correptum temporis significationem recipiat. Id quod non putamus negandum esse. Sed missam facere possumus hanc quaestionem, quum neque *νιν* neque *σφε* ab hoc loco removendum videatur. Multis enim modis pronomina mutato tenore orationis iterari a Graecis solent: quorum unus est notissimus ille, cuius exemplum est apud Sophoclem Philoct. **315**. *οἷς Ὀλύμπιοι θεοὶ δοῖέν ποτ' αὐτοῖς ἀντίποιν' ἐμοῦ τυχεῖν.* Eo autem modo, quo Euripides hic pronomen iteravit, saepius usus est Pausanias, ut II. **3**, **6**. *ὧν ὀνόματα μέν σφισι Μέρμερος καὶ Φέρης.* Et VIII. **11**, **2**. *ταύτας φασὶν οἱ Μαντινεῖς μετοικῆσαι σφᾶς τὰ ἐπὶ τῷ θανάτῳ τοῦ πατρὸς ὀνείδη φευγούσας.* Et cap. **28**, **2**. *τούτους ἐγὼ φημι παρέχειν σφᾶς ὕδωρ ψυχρόν.* Iterum dicetur de hac loquendi ratione ad v. **1332**. Sed haec quidem minima est, aut nulla potius in Euripidis loco difficultas. Aliam, quae vere difficultas dici potest, ne animadvertisse quidem videntur critici. Vide enim, quid dicat Iason:

δεῖ γάρ νιν ἤτοι γῆς σφε κρυφθῆναι κάτω,
ἢ πτηνὸν ἆραι σῶμ' ἐς αἰθέρος βάθος,
εἰ μὴ τυράννων δώμασιν δώσει δίκην.
πέποιθ', ἀποκτείνασα κοιράνους χθονός,
ἀθῷος αὐτὴ τῶνδε φεύξεσθαι δόμων;

Quem enim in his non offendat illud *εἰ μὴ τυράννων δώμασιν δώσει δίκην*, quod saltem ita rectius diceretur, *εἰ τυράννων δώμασι μὴ δώσει δίκην*? quem autem porro non interrogatio illa, *πέποιθε φεύξεσθαι*, male habeat, quam opportebat per *ἤ* superioribus adnecti? Denique quid *αὐτῇ* sibi vult, quod plane hic otiosum et supervacaneum vocabulum est? Ab libris parum auxilii accedit. Nam quod unus codex a prima manu, alius a correctore praebet, *ἤ μὴν* pro *εἰ μή*, iure damnasse videtur Elmsleius. Est illa, ut ego quidem puto, correctio cuiuspiam, qui sentiebat laborare hunc locum. Aliud legisse videtur scholiastes, cuius interpretatio eam ipsam sententiam praebet, qua hic opus esse apparet: *δεῖ γὰρ αὐτὴν ἢ καταταρταρωθῆναι, ἢ ἀναπτῆναι, εἰ μὴ ἄρα πέποιθε μὴ δώσειν δίκην*. Quem quum *εἰ μὴ πέποιθε* coniunxisse pateat, quo facto tollitur inepta ista interrogatio, facile intelligi potest, in verbis *τυράννων δώμασιν δώσει δίκην* aliquid latere, ad quod *ἀθῷος αὐτῇ* tanquam appositum referendum sit. Poterit id, nisi fallor, lenissima mutatione restitui, loco ita reficto:

δεῖ γάρ νιν ἤτοι γῆς σφε κρυφθῆναι κάτω,
ἢ πτηνὸν ἆραι σῶμ' ἐς αἰθέρος βάθος,
400 *εἰ μή, τυράννων δώμαθ' ἵνα δώσει δίκην,*
L *πέποιθ', ἀποκτείνασα κοιράνους χθονός,*
ἀθῷος αὐτὴ τῶνδε φεύξεσθαι δόμων.

Oportet eam, inquit, aut terra occultari, aut in altum aetherem avolare, nisi, ubi regia domus poenas dabit, sperat, occisis regibus, ipsa immunis poena ex his aedibus evadere. Regiam domum quum dicit poenas dare, Glaucen et Creontem intelligit, qui poenas dent Medeae divortii atque exsilii.

Recte Elmsleius v. **1271**. vituperat eos, qui verba, *μή μοί τι δράσωσ' οἱ προσήκοντες γένει*, ita interpretati sunt, ut si *μή μέ τι δράσωσι* scriptum esset. Sed quod ipse existimat, haud dubie Euripidem scripsisse, *μή νίν τι δράσωσ'*, id nobis non persuadet. Nam ut conceda-

mus, paullo durius esse, *αὐτοὺς* intelligi, quamquam id non est eiusmodi, ut magnam offensionem habeat, quid obstat, quin nihil plane omissum statuamus, quum recte omnia procedant, si sic interpretamur: *veni ut vitam liberorum meorum conservarem, ne quid propinqui moliantur, caedem a matre eorum perpetratam vindicaturi.* Non magis in locis, quae ex Philocteta et Hercule furente affert, *ἦ* et *ἄν* in *νιν* mutari opus est.

V. 1306. legitur, *οὐκ ἔστιν, ἥτις τοῦτ' ἂν Ἑλληνὶς γυνὴ ἔτλη πόθ'.* Vbi quum duo codd. habeant, *οὐκ ἔστι τοῦθ' ἥτις ἄν,* praeferenda videtur fortior verborum collocatio, *οὐκ ἔστι, τοῦτ' ἂν ἥτις.*

V. 1319. scriptum est: *εἰ μὴ Ζεὺς πατὴρ ἠπίστατο, οἵ' ἐξ ἐμοῦ πέπονθας, οἷά τ' εἰργάσω.* Ibi Elmsleius, malim, inquit, *οἷα δ' εἰργάσω,* vel potius *οἷα δ' εἰργάσαι. Εἰργάσω* quidem ipse concedit non opus esse mutari. Concedet etiam, ut speramus, de particula *τε.* Nam si illa spectavit, quae ad v. **1039.** attulit, (iubet autem illa conferri) fallitur. Neque enim hic exaggeratio est, ut in illis locis, aut in Oed. R. **1224.** *οἵ' ἔργ' ἀκούσεσθ', οἷα δ' εἰσόψεσθ', ὅσον δ' ἀρεῖσθε πένθος,* sed, si hic *δὲ* scribitur, vere oppositio est, quam explicatius ita exprimas, *οἷα μὲν πέπονθας, οἷα δὲ εἰργάσω.* At quum haec non minus recte ut coniuncta, quam ut opposita proferri possint, *οἷα πέπονθας καὶ οἷα εἰργάσω,* patet, etiam *οἷά τε* recte se habere.

V. 1321. haec leguntur:

σὺ δ' οὐκ ἔμελλες, τἄμ' ἀτιμάσας λέχη,
τερπνὸν διάξειν βίοτον, ἐγγελῶν ἐμοί,
οὔθ' ἡ τύραννος, οὔθ' ὁ σοὶ προσθεὶς γάμους
Κρέων ἀνατεὶ τῆσδέ μ' ἐκβαλεῖν χθονός.

Elmsleius, illa opinione ductus, de qua in prima parte huius scriptionis ad v. **4.** disputavimus, edidit *οὐδ' ἡ τύραννος, οὐδ' ὁ σοὶ προσθεὶς γάμους,* contra omnes

libros. Non negamus, ex usitata construendi ratione ita
401 scribendum fuisse: sed tamen contendimus, non debuisse
L vulgatam corrigi. Est enim hoc in loco eadem, quae in multis aliis, negligentia orationis. Nam quum dicere vellet, *οὔτε σύ, οὔτε ἡ τύραννος, οὔτε Κρέων τερπνὸν διάξει βίοτον*, in media oratione mutat dicendi formas, addito alio infinitivo. Similem aliis in particulis negligentiam ipse Elmsleius ad v. 1283. in his notavit: *ὡς ἴδω διπλοῦν κακόν, τοὺς μὲν θανόντας, τὴν δὲ τίσωμαι φόνῳ.* Sed ut ad *οὔτε* redeam, iis, quae ad v. 4. attuli *), addam hoc Platonis de Rep. VI. p. 508. A. *οὐκ ἔστιν ἥλιος ἢ ὄψις, οὔτε ἐν ᾧ ἐγγίγνεται, ὃ δὴ καλοῦμεν ὄμμα.* Ita recte edidit Bekkerus, omissis codicum auctoritate verbis *οὔτε αὐτή*, quae vulgo post *ὄψις* inserebantur. Hoc enim dicit Plato: *neque visus sol est, neque oculus.* Simillimus locus est lib. III. p. 398. A. *εἴποιμεν δ' ἂν ὅτι οὐκ ἔστι τοιοῦτος ἀνὴρ ἐν τῇ πόλει παρ' ἡμῖν, οὔτε θέμις ἐγγενέσθαι.* Quae si ut coniuncta cogitantur, neque esse illic talem virum, nec tolerari, recte positum est *οὔτε* Sed ibi Bekkerus, codices, ut credi fas est, sequutus, *οὐδὲ* edidit **): quo facto haec ut disiuncta cogitantur, non adesse talem virum, neque vero posse adesse. Reisigius quum in commentationibus criticis ad Oedipum Coloneum p. 259. *οὐ* vel *μὴ* sequente *οὔτε* vel *μήτε* negat pro *οὔτε* et *μήτε* positum putari posse, quia sic etiam simplex *τέ* posset duplicis vim obtinere, argute dicto incautum lectorem fortasse fallat, cautum non fallet. Nam quod primo adspectu absurdum est, semel positam vocem duplicis vim habere, desinit absurdum esse, ubi reputaveris, in sermone vocem, qua verba pronunciantur, audientem de omissione admonere. Itaque iam ad v. 4. dixi, aliter pronunciari *οὐκ — οὔτε,*

*) Vide etiam ad Soph. Ai. 282. 1178.

**) Edita diversitate scripturarum, libros *οὔτε* habere cognovi. Etiam Stallbaumius *οὐδὲ* exhibuit, nihil ille de librorum scriptura dicens: ut Bekkerum videatur sequutus esse.

ubi *οὐ* pro *οὔτε* positum sit, quam ubi secus est. Sed ut etiam prius *τε* omissum, quod fieri posse negat Reisigius, confirmem, quis negabit id factum esse in his Aeschyli in Choeph. 756.

> *τούτων πρόμαντις οὖσα, πολλὰ δ' οἶομαι*
> *ψευσθεῖσα παιδὸς σπαργάνων φαιδρύντρια,*
> *γναφεύς, τροφεύς τε ταὐτὸν εἰχέτην τέλος.*

Nam prior vox, *γναφεύς*, quoniam sine altera, *τροφεύς*, nullum hic sensum praeberet, necessario aliter pronuncianda est, ac si *τροφεὺς* etiam omitti posset; atque ita quidem pronunciatur, ut et voce paullum erigatur, et brevi pausa facta indicetur partem tantummodo nominatam esse rei, cuius iam altera pars nominanda sit. Id vero idem est, ac si plene dicatur *γναφεύς τε τροφεύς τε*. Intelligi potest ex huiusmodi rebus, non satis esse, grammaticum rigentibus oculis litteras intueri, sed vivam animo suo vocem loquentium repraesentare. Maius enim quiddam atque divinius est sermo humanus, quam quod totum mutis litterarum figuris comprehendi queat.

V. **1326.** legitur, *καὶ Σκύλλαν, ἣ Τυρσηνὸν ᾤκησεν πέδον*. Vltimam vocem quum glossa codicis Par. A. 402 *σπήλαιον* explicet, *σπέος* cum Brunckio edidit Porsonus. L Probabilius Elmsleius *πέτραν*. Vereor tamen, ne non satis idonea caussa mutaverint librorum scripturam. Nihil videtur aliud dicere poëta, quam quod Apollonius Rhodius IV. 828. *Σκύλλης Αὐσονίης*.

Nec v. **1327.** opus fuisse puto, ut *χρὴ* ex Reiskii sententia in *χρῆν* mutaretur, si quidem adhuc oportere laedi Iasonem recte dicit Medea.

V. **1332.** quod legitur, *οὐ τοίνυν ἡ 'μὴ δεξιά σφ' ἀπώλεσεν*, ita corrigendum coniicit Elmsleius, *οὗτοι νυν ἡ 'μὴ δεξιά σφ' ἀπώλεσεν*, afferens Alc. **721.** *οὗτοι πρός ἡμῶν γ' ὤλετ'. οὐκ ἐρεῖς τόδε*. Recte eum putamus particulam *τοίνυν* ab hoc loco alienam iudicare, sed ne *νυν*

quidem ferendum videtur, quod non minus abhorret ab huius loci sententia. Erit fortasse, qui ad exemplum versus 1263. scribi posse coniiciat, *οὗτοι νιν ἡμῖ δεξιά σφ' ἀπώλεσεν*. Verum id hic quidem reponi non licet. Nam huiusmodi iteratio pronominis ibi tantum admitti potest, ubi ex duabus locutionibus conflata est oratio, quum aliter incepta aliter ad finem perducitur: ut isto in loco: *δεῖ γάρ νιν*, post quae verba paullum consistere vox debet, *ἤτοι δεῖ γῆς σφε κρυφθῆναι κάτω*. Similiterque in exemplis, quae ad eum versum ex Pausania attulimus. Itaque hic haud scio, an *σφε* debeatur librariis, quum *νιν* in *νυν* abiisset, ut sic potius scribendum videatur: *οὗτοι νιν ἡμῖ δεξιά γ' ἀπώλεσεν*. *Γε* ad *δεξιά*, non ad *ἡμῖ* addi debuisse, ex eo apparet, quod *δεξιὰ* opponitur *νόσῳ*.

V. 1334. Laudamus, quod repudiavit Elmsleius vulgatam scripturam, *λέχους σφέ γ' ἠξίωσας οὕνεκα κτανεῖν*. Sed quae hac opportunitate plurima affert exempla, in quibus *γε* in interrogatione positum deleri debeat, in iis non interrogatio caussam continet, cur delendum sit *γε*, sed quod in plerisque illorum exemplorum, etiam si abesset interrogatio, ferri ea particula non posset. Nihil enim interrogatio per se quidem impedit, quin *γε* ponatur. Vt in Antigona v. 502. *καίτοι πόθεν κλέος γ' ἂν εὐκλεέστερον κατέσχον, ἢ τὸν αὐτάδελφον ἐν τάφῳ τιθεῖσα:* et v. 736. *ἄλλῳ γὰρ ἢ μοὶ χρή γε τῆσδ' ἄρχειν χθονός;* Vbi non, ut Elmsleio videtur, *γε* ad sequentia pertinet, ut sit pro *τῆσδέ γε χθονός*, quod fieri per collocationem particulae non potest, sed ad ipsum verbum *χρή: oportet adeo alium, quam me, huic regioni imperare?*

Ad v. 1354. in Neophronis fragmento a scholiasta servato quaedam praeclare emendavit Elmsleius. Sed et lacuna, quam in versibus istis esse putat, uno verbo transposito removeri potest, et non satis eleganter *βρόχον τὸν ἀγχόνης* dictum videtur, et denique displicet *ἄλλοις*

μυρίοις ἐφημέροις, ubi potius aut *τοῖς ἄλλοις*, sine *μυρίοις*, aut *τοῖς μυρίοις* sine *ἄλλοις* exspectes. Quare emendationem fragmenti illius ita demum perfici putamus: 403 L

τέλος φθερεῖ γὰρ αὐτὸς αἰσχίστῳ μόρῳ,
βροχωτὸν ἀγχόνην ἐπισπάσας δέρῃ.
τοία σε μοῖρα σῶν κακῶν ἔργων μένει,
δίδαξις εἰς τοὺς μυρίους ἐφημέρους,
θεῶν ὕπερθε μήποτ' αἴρεσθαι βροτούς.

Probamus etiam v. **1355**. iudicium Elmsleii, qui hunc ordinem verborum, *πικρὰς τελευτὰς τῶν ἐμῶν ἰδὼν γάμων*, praeferendum viderit ei, qui est in aliis libris, *τῶν ἐμῶν γάμων ἰδών*. Non abs re fuisset, si placuisset viro doctissimo rationem reddere huius iudicii. Sunt enim non pauci, qui collocationem verborum in poesi ex metro pendere rati, non respiciunt leges rhetoricas, quas ut in omni culta oratione, ita etiam in poesi observari par est. Et hic quidem quum verbis illis finiatur oratio Medeae, exile foret verbum *ἰδών*, quod quum potiorem in illa sententia vim quam *γάμων* habeat, nimis breve est, quam ut apte numeroseque concludi orationem patiatur Mala enim conclusio est, quae, nisi propter aliquam singularem caussam, in ultimis syllabis erigi vocem atque intendi postulat.

V. **1358**. non dixerim in eo, quod Portus coniecit, *τίς δὲ κλύοι σοῦ*, salva constructione non posse *ἄν* abesse. Aliud est enim, *τίς δ' ἂν κλύοι σοῦ; quis te audiet?* aliud, *τίς δὲ κλύοι σοῦ; quis te audiat?* i. e. quemnam putas te auditurum esse?

V. **1362**. Non recte putamus Elmsleium in Aeschyli Eum. **353**. *ἄμμοιροι* scribendum coniicere. Neque enim haec forma Graeca esse videtur, quum tantummodo in *ἄμορος* ab epicis introducta sit metri caussa duplicatio consonantis.

Attulimus potissima eorum, in quibus a P. Elmsleio dissentiremus. Reliquum est, ut etiam de iis pauca adiiciamus, quae praetermissa sunt a viro doctissimo. Eorum illud satis est obiter commemorasse, quod Athenaeus refert ex Clearcho, ex Calliae tragoedia grammatica Euripidem in Medea cantica totamque dispositionem hausisse. Nam de hac re quid nobis quidem videretur, diximus in dissertatione, quae observationes de Graecae linguae dialectis continet. Aliud autem idque non minus dignum, de quo diligentius quaereretur, illud erat, utrum duplex exstitisset Medeae recensio. De qua re tanto magis videtur explicandum fuisse, quod et Porsonus ad v. 300. et 1314. correctam esse hanc fabulam ab Euripide iudicat, et Boeckhius in libro de tragicis Graecis cap. XIII. accuratius in eam rem inquisivit. Disseruerunt eadem de re etiam Hieronymus Müllerus in Medea, quem librum Erfordiae a. 1811. editum non vidimus, et Aug. Frider. Wolperus in dissertatione de Medea Euripidis
404 tragoedia correcta et denuo edita, quae dissertatio Got-
L tingae prodiit a. 1818. Est ea autem admodum lubrica materia, propterea quod valde ambiguum est, quid sit illud, correctam edere fabulam. Nam vel tota compositio fabulae mutari potest, vel partes aliquae refingi, vel hic illic verbum aliquod aut versus minus numerosus corrigi. Horum si aliquid, quid in Medeam Euripidis cadat, diversae videntur doctorum sententiae esse. Quum a quibusdam traditum sit quinque talenta a Corinthiis accepisse Euripidem, ut Medeam faceret suos ipsam filios interimentem, Boeckhius p. 167. ingeniose coniicit, in prima fabulae editione a Corinthiis occisos fuisse filios Medeae, nisi quis ab ipsis Corinthiis excitatum dicat poëtam, ut quod facinus alii Corinthiis tribuissent, a Medea perpetratum produceret. Sed hoc postremum minus probabile et Boeckhio visum est et Wolpero. Ac Boeckhius quidem eo utitur argumento, quod v. 1348. Medea dicat:

γῇ δὲ τῇδε Σισύφου
σεμνὴν ἑορτὴν καὶ τέλη προσάψομεν
τὸ λοιπὸν ἀντὶ τοῦδε δυσσεβοῦς φόνου.

Significari enim illa sacra, quae Corinthii ad expiandam caedem Medeae filiorum ab se factam celebraverint: quae ridiculum fuisse poëtam si ob Medeae facinus instituta tradidisset: nec Medeam, quae ipsa liberos suos trucidaverit, caedem illam tam foedo nomine appellare debuisse. Itaque hos versus, quos cum Boettigero in prima editione ab Iunone pronunciatos putat, sive incuria, sive alia quacumque de caussa in altera editione servatos existimat, Corinthum praeterea invidiose *γῆν Σισύφου* propter notos huius dolos appellari ratus. Nobis haec cupidius quam incorruptius, et speciosius quam verius disputata videntur. Vt a levioribus incipiamus, si Medea caedem a se factam *δυσσεβῆ φόνον* appellat, non foedo, sed eo, quo debet, nomine utitur. Neque enim adeo ferox est et humanitatis expers, ut, quod necessitate coacta fecit, etiam pie factum existimet. Quod autem summum est, hic, ubi sacra ad expiandam illam caedem se instituturam ait, etiam necessarium est, ut ipsa improbet illud facinus. Aliter enim cur expiari vellet? Porro in verbis, *γῆ τῇδε Σισύφου* non plus invidiae est, quam v. 399. in his, *οὐ γέλωτα δεῖ σ' ὀφλεῖν τοῖς Σισυφείοις*, sed Corinthii et nihil amplius intelliguntur. Illud ipsum autem, quod de instituendis illis sacris dicit, etsi fatemur melius Iunoni convenire, quam mulieri in exsilium abeunti, cuius nulla potest amplius apud Corinthios auctoritas esse: tamen eam ipsam ob rem negamus, hos versus ex prima editione servatos esse. Nam quae illa tanta esset incuria, quae servaret, quod pugnaret cum correctis? Omnino autem si quid veri est in illa narratione de pecunia a Corinthiis data, multo minus verisimile est, Euripidem, quum ante 405
a Corinthiis occisos fecisset Medeae pueros, id argento L
corruptum mutavisse, quam munere illo adductum esse, ut, quod alii isto modo tradidissent, ipse aliter in scenam produceret. Quin etiam Corinthios credibilius est, si ab ipsis occisos Medeae filios introduxisset Euripides, alium tragicum, ut ea se culpa liberaret, permovisse, quam Euripidem ipsum, ut iam contraria scriberet, adisse. Quare etiam si bis edidit Medeam Euripides, statim ab initio

eum ita, ut factum videmus, rem instituisse existimo. Quod quum faceret, consentaneum erat, ut etiam sacra illa, quae ad expiandam illam caedem fiebant, a Medeae facinore repeteret. Sed quum sentiret, opinor, nullam Corinthi potestatem habere Medeam, verbo ambiguo *προσάψομεν* usus est, quomodo illud effectura esset Medea, in incerto relinquens.

Alia ratione eadem, quae Boeckhius, efficere studet Wolperus, qui p. 42. Aristotelis testimonium adhibet in A. P. XVIII. 12. *φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μή, ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν.* Quae ille verba conferens cum his, quae sequuntur: *ἀλλὰ μηχανῇ χρηστέον ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος, ἢ ὅσα πρὸ τοῦ γέγονεν, ὃ οὐχ οἷόν τε ἄνθρωπον εἰδέναι, ἢ ὅσα ὕστερον, ἃ δεῖται προαγορεύσεως καὶ ἀγγελίας· ἅπαντα γὰρ ἀποδίδομεν τοῖς θεοῖς ὁρᾶν·* machinae usum in ea, quae hodie exstet Medea, vituperari potuisse negat: nam currum, quo Medea aufugiat, ad ipsam Medeae personam spectare, atque *ἐξ αὐτοῦ τοῦ μύθου συμβαίνειν*, neque *ἔξω τοῦ δράματος* esse. At ea in re magnopere fallitur. *Μῦθος* enim, quem dicit Aristoteles, non complectitur omnia, quae de aliquo fabulis narrantur, in quibus sane est illud, curru per auras vectam esse Medeam, sed actionem, quam poëta composuit, cuius singulae partes recte apteque cohaerere interque se nexae esse debent. At currus iste nihil est nisi adminiculum, ad quod confugit poëta, quum aliter eripere periculo Medeam nesciret. Estque illud tanto magis vituperandum, quod nemini non potest in mentem venire, cur Medea, quum talis currus copiam habeat, interficere liberos, quam una secum currui impositos abducere maluerit.

Illud levius est, quod a Boettigero allatum commovit alios, Medeam non esse fatidicam, nec proinde mortis genus praedicere posse Iasoni. Nam ut alibi Eu-

ripides, ubi vaticinantes introducit eos, qui non sunt rerum futurarum praescii, oracula eos aut vates commemorare faciat, ut in Hecuba Polymestorem et in Heraclidis Eurystheum, in Medea non opus habuit huiusmodi praetextu, ut quae tamquam dei omnia videntis neptis et magicarum artium perita facile supra alios sapere videatur. Quin omnino quid opus est, ut dicat, unde sciat illud, 406
quod futurum praedicit? Id an apud Neophronem fe- L
cerit, nescimus: sed apud hunc quoque praedixisse futura, fragmentum illud ostendit, quod supra emendatum dedimus.

Quod si non videtur insignem aliquam mutationem fecisse Euripides, consequitur, si correxit fabulam, constitisse eam correctionem fere in dictione expolienda. Haec Porsoni opinio fuit: qui ut leve sit quod ad v. 300. attulit, maioris ponderis argumentum expromit ad v. 1314. (1284. Elmsl.) Nam ex illo Aristophanis, *ὦ καινῶν ἐπῶν κινητὰ καὶ μοχλευτά*, ubi codices quidam *λόγων* habent; tum ex Heliodori allusione, *τί ταῦτα κινεῖς κἀναμοχλεύεις*, quod pariter ad orationem translatum est; denique ex eo quod scriptor Christi patientis bis hunc versum habet, *τί ταῦτα κινεῖς κἀναμοχλεύεις λόγους*, nisi quod altero in loco *καὶ* pro *τί* est, colligit, Euripidem, quum *τούσδε λόγους* scripsisset, idque ab Aristophane traductum vidisset, *τάσδε πύλας* posuisse. Elmsleius hanc scripturam librariis deberi existimat. Matthiae Aristophanem ad alium quempiam Euripidis locum respexisse putat: deridendum enim fuisse Euripidem, si hic *τούσδε λόγους* scripsisset, ubi Medea Iasonem non propter ea, quae dicat, sed quod fores effringere et impetum in aedes facere conatur, increpet. Quod ita est cogitate perspecteque dictum, ut, nisi Pseudogregorii auctoritas obstaret, facile videri possit vera dixisse. Hunc vero non est verisimile alium quam hunc ipsum locum in mente habuisse. Quamobrem assentior Porsono: ad ea autem, quae Matthiae obiicit, respondendum puto, ut multo aptius sit *τάσδε πύλας*, tamen, quum non ipse

Iason vim faciat foribus, sed ministros aperire valvas iubeat, recte potuisse Medeam dicere, *τί τοὐῤδε κινεῖς κἀναμοχλεύεις λόγους*, hoc sensu, *quid haec tanto impetu tantaque contentione vociferaris?* Quod quidem quum esset tumidius atque insolentius dictum, correctum postea est, praesertim quum etiam ab Aristophane notatum esset. Quaeritur vero, quis correxerit, poëta, an histriones, an grammatici, an denique librarii. Est haec perdifficilis disputatio, quum et histriones quaedam mutavisse scholiastes testetur ad v. 85. 383. 899. qui Elmsleio sunt 84. 375. 880. et grammaticos constet etiam tragicorum scriptis recensendis ingenia sua exercuisse. Ac faceret forsitan operae pretium, qui de utroque genere accuratius quaereret, si forte indicia quaedam reperirentur, quibus et deprehendi histrionum mutationes correctionesque grammaticorum et ab se invicem distingui possent. Poëtae ipsi an aliquid correxerint, nobis quidem ex eo maxime colligi posse videtur, si eiusdem loci duae ita diversae scripturae inveniuntur, ut caussa, cur altera alteri substituta fuerit, neque ab histrionum, vel errantium, vel commoditati suae aut temporibus inservientium, neque a
407 grammaticorum, dictionis potissimum puritatem spectan-
L tium, rationibus repeti possit. Versantur ea autem fere in his, quae ut quid magis perspicue, ut aptius, ut elegantius, ut ornatius, ut fortius dictum sit, mutata esse apparet. Cuiusmodi exempla in qua fabula reperta sunt, in ea veri simile est illorum quoque multa ab ipso poëta correcta esse, quae leviora sunt, et unius tantum aut paucorum verborum mutatione continentur. Atque in Medea quidem istiusmodi, quale diximus exemplum invenire nobis visi sumus illud, de quo diximus ad v. 760. Quumque etiam versus 1284. quoniam esset ab Aristophane irrisus, ab ipso esse Euripide correctus videatur, non temere, opinor, etiam aliae scripturarum diversitates, quae satis magnae in hac fabula inveniuntur, ex eodem fonte derivari poterunt. Eodemque pertinent fortasse etiam repetitiones quaedam eorumdem versuum. Sed haec res intricatior est, quam ut nobis ei disceptandae otium sup-

petat. Exempla scripturae insignius variantis exstant v. 240. 496. 518. 651. 689. 718. seqq. 729. (conf. 735.) 760. seqq. 798. 876. 880. 885. 974. 1012. 1016. 1030. seq. 1046. 1153. 1175. 1176. 1184. 1196. 1203. 1264. 1284.

Sed finienda iam nobis est haec dissertatio: in qua si fere ea tantum, in quibus dissentiremus a doctissimo editore huius fabulae, protulimus, fecimus id propterea, quod hanc scribendi rationem longe existimamus litteris fructuosiorem esse, quam commemorationes laudationesque earum animadversionum, in quibus nullam dubitandi materiam invenerimus. Est autem hic liber plenissimus talium observationum. Itaque tantum abest ut dissentiendo minuere laudem viri praestantissimi voluerimus, ut eum et ipsi valde admiremur, et dignum in primis putemus quem audiant omnes. Est enim P. Elmsleius, si quis alius, vir natus augendae accuratiori Graecae linguae cognitioni, ut cuius eximia ac plane singularis in pervestigandis rebus grammaticis diligentia regatur praeclaro ingenio, mente ab auctoritatibus libera, animo veri amantissimo, neque aut superbia, aut gloriae studio, aut obtrectandi cupiditate praepedito. His ille virtutibus id est consequutus, ut, quum doctrina eius maximi facienda sit, non minus ipse sit amandus atque venerandus. Ea autem maxima est et non interitura laus, non utilem tantum, sed etiam bonum virum esse.

DE RHESO TRAGOEDIA DISSERTATIO *).

Quum legenti mihi libellum, quem de Rheso tragoedia nuper scripsit C. Morstadius, veteris propositi renovaretur memoria, constitui, quam ante hos viginti annos primum de illa fabula pronunciavi sententiam, accuratius explicare, praesertim quum interim aucta potius esse dubitandi materia, quam finis controversiae factus videretur. Exstiterunt enim qui illam tragoediam vel minori Euripidi, vel maiori, vel saltem alicui horum aequali assererent: nisi solus quod sciam Morstadius, cui tamen non innotuit scholiastes Vaticanus, in meam sententiam inclinavit. Sed is id potissimum agebat, ut compositionem fabulae examinaret: quod fecit diligentissime. Illis igitur viris quae visa sunt, volo expendere: unde patebit, cur confirmata potius, quae a me dicta erant, quam labefactata esse putem. Praeterea (nolim enim culpa aliorum pro mea caussa uti) mendas removere studebo, quae adhuc in illa fabula et multae et nonnullae tales

*) Scribi coepta ut prolusio Academica, quum longior evasisset, non est ad eum usum adhibita. In citandis tragicorum locis numeros versuum sequutus sum in Aeschylo editionis Stanleianae, in Sophocle Brunckianae, in Euripide Dindorfianae.

relictae sunt, ut mirer, quod, qui iis non offensi sunt, scriptorem istum non vel infra Alexandrinos detrudendum censuerint. Sed negligi nonnumquam videmus, quod nemo non fatetur primum in omni disputatione esse debere, ut id, de quo disputetur, bene cognitum sit. Cognito autem, in eiusmodi praesertim quaestione, in qua pauca testibus, pleraque diligenti agenda sunt comparatione multarum rerum, quibus in singulis exiguum, magnum autem in coniunctis momentum est, non multum profeceris, nisi haec tria sedulo caveris, ne quid pro vero habeatur, quod non sit exploratum; ne quid statuatur, quod de iis, quae in mentem venire alicui possint, non sit veri simillimum; denique ne rationes non recte concludantur.

Tanta est tamque manifesta inter Rhesum et caeteras Euripidis fabulas dissimilitudo, ut iam inter antiquos grammaticos fuerint qui negarent Rhesum Euripidis esse. Obstare tamen videbatur, quod in didascaliis tributa esset Euripidi. Hinc nata M. A. Delrii suspicio, cum Mnesarchi filio Euripide confusum esse cognominem illi fratris filium, quae coniectura non absurda visa est Valckenario et Beckio. Veram iudicavit A. Boeckhius in libro, quem scripsit de tragicis Graecis. Huius igitur sententiam primo examinabimus. Sic autem scribit p. 228. „Didascaliarum gravissimi auctores fuerunt, Aristoteles „philosophus, Callimachus, Eratosthenes, Byzantius Ari„stophanes, Aristarchus, Crates, Carystius Pergamenus, „alii. Haud igitur dubium est, quin antiquitus obtinuerit „error, quasi Rhesus foret Euripidis: atque inde venit, „ut alterum eius prologorum adeo additum ab histrioni„bus fabulam agentibus nonnulli putarent secundum argu„mentum Rhesi in MS. Florentino.“ Didascaliarum auctoritatem ego quidem tantum abest ut in dubitationem vocare velim, ut nesciam an etiam maiorem esse putem quam is, cuius sententiam expendo. Sed videndum est et quas dicamus didascalias, et qualis earum sit auctoritas. Si illa publica monimenta fuissent, in quibus quae

quoque anno fabulae essent actae perscriberetur, non posset ullum certius magisque fide dignum documentum cogitari. Sed, quantum scimus, fuerunt didascaliae indices fabularum ab hominibus doctis secundum tempora digesti, quae tempora vel testimoniis vel ratiocinando essent inventa. Quare ipsi interdum grammatici de earum fide dubitarunt. Praeterea si magis credendum est illis testibus, qui tempore propiores sunt rebus illis quas testantur, multum interest, utrum quid in Aristotelis didascaliis, an in Cratetis, qui ab illo duobus paullo minus saeculis distat, adnotatum fuisse credamus. Quod si verum esset, quod putabat Casaubonus ad Athen. VI. 7. ubi didascaliae sine nomine auctoris commemorarentur, alicuiuspiam grammatici didascalias dici, adduci quis posset, ut Rhesum a Cratete demum in didascalias relatum opinaretur, si quidem de hoc solo nuper accepimus, eum Euripidi hanc fabulam tribuisse. Sed vereor ne erraverit Casaubonus. Nam sic potius existimandum videtur, nominari auctorem didascaliarum, ubi is vel ab aliis dissentiat, vel, ut Aristoteles, praecipue fide dignus sit; non adiici autem nomen, ubi conspirent auctores vel omnes vel plerique. Sic igitur etiam quae in argumento Rhesi scripta sunt accipienda puto: *τὸ δὲ δρᾶμα ἔνιοι νόθον ὑπενόησαν, Εὐριπίδου δὲ μὴ εἶναι· τὸν γὰρ Σοφοκλειον μᾶλλον ὑποφαίνειν χαρακτῆρα. ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις ὡς γνήσιον ἀναγέγραπται, καὶ ἡ περὶ τὰ μετάρσια δὲ ἐν αὐτῷ πολυπραγμοσύνη τὸν Εὐριπίδην ὁμολογεῖ.* Itaque hoc quidem certum est, didascaliarum testimonio Euripidem tragoediam docuisse, cui nomen esset Rheso. At ex eo non sequitur, quam hodie habemus tragoediam Rhesum, illam esse, de qua scriptum fuit in didascaliis. Quare si quis dicit, antiquitus obtinuisse errorem, quasi Euripidis esset Rhesus, ambiguum est, quid sit quod dicat, utrumne didascaliarum scriptores Euripidi tribuisse fabulam quae alius poetae fuerit, an errasse illos, qui memoratam in didascaliis Rhesum hanc esse, quae adhuc exstat, putaverint. Quum aperte voluerit prius illud, non intelligo, quod ait, inde venisse, ut alterum fabulae prologorum

nonnulli ab histrionibus additum putarent. Nam aut duos, aut unum, aut nullum prologum scripsit poeta. Quare aut neuter, aut alter, aut uterque sive ab histrionibus, sive ab aliis nescio quibus factus sit necesse est. Atqui neutrum ab ipso poeta factum putat. Pergit ita: „At „postea non historiae testimoniis, sed critico acumine fa„bula Mnesarchidae abiudicata est, quam ἀθέτησιν non „ad alium refero, quam ad ipsum Byzantium Aristopha„nem, qui operam in tragicis posuit, ut in Sophocle, ita „in Euripide, cuius in scholiis passim eius fit mentio. V. „ad Orest. 709. 1037. 1287. ad Hippol. 172. 612.“ Fortasse: sed frustra est omnis coniectura, ubi res testibus opus habet. Nihil enim prodest scire, quis potuerit de Rheso suspicionem movere, sed aliquid prodesset, quis primus movisset cognoscere, quia inde colligi posset, quo tempore fabula iam vulgo esset in Euripideis numerata. Ex quo in lucem protracta sunt scholia Vaticana, veri simile est, ut infra ostendam, Aristarchum fuisse eum, qui Rhesum ab Euripide abiudicaverit: quumque hic et Crates antiquissimi sint, quibus eam fabulam cognitam fuisse sciamus, patet aliquanto prius scriptam esse: nihil amplius. Nam quia non compertum habemus, eademne sit, quae in didascaliis cum Euripidis nomine erat inscripta, aliis testibus opus est, per quos quam antiqua sit certiores reddamur. His nondum repertis, videamus quibus argumentis minori Euripidi vindicetur. „Sane,“ inquit, „celebris Eu„ripidis Rhesus non est: eo iam magis quaerendum, qua„nam ratione eam didascaliae adscribere eidem potuerint, „quum in iis tempora fabularum accurate alias fuissent no„tata. Primum igitur ille error non potuit exsistere, nisi „vivente Euripide Mnesarchi acta Rhesus sit, deinde nisi „aut producta ab ipso hoc, etsi ab alio facta esset, aut „saltem a cognomine huic alio Euripide commissa fuerit.“ In his rationem non recte conclusam video. Procedit enim hoc modo: quia in didascaliis tempora accurate notata fuerunt, constare debuit, quo anno acta esset Rhesus: si de anno constabat, non potuit is non esse unus eorum, quibus docuit fabulas Euripides Mnesarchi f. quod

aliter annus ipse errorem coarguisset: si vivo Euripide actam esse huius Rhesum testabantur didascaliae, et tamen ea fabula non est ab hoc Euripide scripta, necesse est aut ab illo tamen ipso, quamvis alium auctorem haberet, aut saltem ab alio Euripide, qui tum viveret, esse commissam. Apertum est, sumi pro vero, quod neque demonstratum est, nec potest, ut nunc quidem se res habet, demonstrari, Rhesum, quam memorabant didascaliae, eam esse, quae aliquot saeculis post pro Euripidea est habita. Hoc igitur si non conceditur, concidit tota argumentatio, tantumque abest ut ostensum sit, quid non potuerit non fieri, ut nihil sit aliud monstratum, quam quomodo, si hic noster Rhesus a minore Euripide sit scriptus, potuerit tribui maiori illi. At multum interest inter ea quae facta sunt, et quae potuerunt fieri. Quid autem, si quis etiam hoc ereptum eat, contendatque non magis a minore, quam a maiore Euripide fabulam, qualis est Rhesus, doceri potuisse? In quam rem nunc quidem haec duo tantum afferam: unum, quod Euripides pessime consuluisset famae suae, si huiusmodi tragoediam sui nominis honore esset tutatus; alterum, ex scholiis Vaticanis etiam disertum testimonium in contrariam partem videri accedere. Iudicavit enim Crates, ab Euripide adolescente Rhesum esse in scenam productum. Id si dixit didascaliarum fide, quoniam in his tempora accurate notata esse volunt, non potuit Euripides, qui ipse adolescens esset necdum auctoritate polleret, aut filii sui, aut fratris filii, (dubium est enim, nec debuisse p. **226**. manifesti erroris accusari Valckenarium et Beckium Vita docet ab Elmsleio cum Bacchis edita, cuius verba ipse Boeckhius aliunde accepta p. **232**. posuit) aut cuiuscumque demum alius hominis fabulam producere. Itaque, si tamen illud factum esset, quod contenditur, ut minoris Euripidis fabulam suo nomine protegeret, nihil relinquetur, nisi ut annus Rhesi in didascaliis aut non fuerit adscriptus, aut visus sit Crateti perperam notatus esse. Sed quoniam annorum notationis facta est mentio, non abs re erit monuisse, non oportere plus tribui didascaliis,

quam rei natura et ratio patiatur. Quum enim ita videantur conditae esse, ut vel testimoniorum fide vel probabilibus argumentis tempora fabularum adnotarentur, consentaneum est, factum id esse ubi poterat fieri; ubi vero et testimonia deessent, neque alia idonea invenirentur indicia, non esse annos adscriptos, sed universe indicatum spatium, ad quod pertinere fabulae viderentur. Id in Rheso factum suspicari licet, quum memorentur quidem didascaliae, sed anno non adiecto, Cratetisque iudicium, magis quid ille opinatus sit, quam quod certo sciverit, indicare videatur. Sed paucis attingamus reliqua. „Horum quid verius sit," inquit, „haud facile est „iudicare: non tamen inepta eorum sententia est, qui mi„norem Euripidem auctorem faciunt, quippe qui et co„gnominis patruo sit, et eo vivente possit docuisse fabulas, „ut Iophon vivente patre Sophocle. Sophocleam autem „formam in Rheso veteres critici acute animadverterunt: „eamque ipse minor Euripides videtur adamasse, quoniam „et Iphigeniam Aulidensem prologo reciso Sophoclearum „fabularum indoli fecit similiorem." Veteres illi critici, in quibus, nisi fallor, Aristarchum numerare licebit, quum Sophoclei moris aliqua vestigia in Rheso invenire sibi visi sunt, nihil profecto aliud spectare potuerunt, quam metra multis Euripideorum elaboratiora, dictionemque exquisitiorem, neque ita refertam sententiis. In caeteris scriptor Rhesi non similior Sophocli quam Euripidi est, nec, si quis id nescire se simulet, eo efficiat ut similem Sophocli quisquam iudicet. Scilicet ita est ratio conclusa: quia veteres critici aliquid Sophoclei moris in Rheso invenerunt, Iphigeniae in Aulide scriptor autem, qui videtur minor ille Euripides fuisse, illam fabulam prologo carere voluit, quod facere consuerat Sophocles, veri simile est, ab eodem etiam Rhesum, quod haec prologo caret, esse conditam. At si nihil aliud iste Iphigeniae scriptor quam prologi omissionem cum Sophocle commune habuit, eodem iure etiam Aeschyli similis iudicabitur. Et quomodo sequitur, qui aliqua in fabula non fecerit prologum, eumdem esse cum alio, qui item nullum fecerit? Immo

duplex in his error est, unus in ratione non recte conclusa, alter in facto. Quid impediebat enim, quin sic potius diceretur: cuius aliqua fabula duos habet prologos, is idem est cum eo, cuius item aliqua duos habet. Nam de Rhesi duobus constat: constare vero etiam debebat de Iphigenia in Aulide, cuius de uno prologo, quem legerat Aelianus, concessum est: alter autem, isque satis luculentus, quippe sexaginta sex versus habens, quorum primus est,

ἐγένοντο Λήδᾳ Θεστιάδι τρεῖς παρθένοι,

in ipsa fabula est servatus. Omnino quid ad rem prologi, sive duo, sive nulli? Exstat Iphigenia illa, exstat Rhesus, ut, si quis utramque ab eodem poeta factam iudicet, abunde suppetat materiae, qua in hanc rem utatur. Cur hic fons neglectus est? Nos quidem non putamus nostri officii esse, ut quanta sit inter has fabulas dissimilitudo ostendamus, sed eam pro concessa accipimus, quum non solum similitudinem non ostenderit is, cuius id vel maxime intererat, sed etiam p. 259. seqq. Iphigeniae metra Euripideis negligentiora esse contenderit: ex quo consequitur, multo ea longius ab Rhesi metris distare. Quod autem summum est, coniicit nos ea comparatio in longe maiorem trepidationem. Quum enim manifestissimum sit, interpolatam esse Iphigeniam, coniunctis in unum quae vel a diversis poetis vel ab uno diversis temporibus scripta exstabant, qui horum est, si duo fuerunt, minor ille Euripides? num is qui scripsit eum quem habemus prologum, an qui scripsit quem non habemus? omnino quid huius, quid non huius est? et qui est ille, aut qui non est, cui similem esse Rhesi scriptorem audimus? Elabitur e manibus, nec reliquum est quod dicamus, nisi quod sophistae illi apud Antiphanem, *ἔστιν γὰρ οὐκ ὂν οὐδέν.* Videamus denique conclusionem. „Has rationes," inquit, „qui refutare velit, „is ante omnia aut infirmet didascaliarum fidem, aut pro„babiliter ostendat, eam fabulam, quae Rhesi nomine „insignita in iis fuerit, diversam ab hac nostra fuisse, „hanc vero recentiore aetate pro vetusta illa suppositam

„esse, quod dum fiat, (et veremur ut facile sit) in „nostra nos sententia iure perstabimus.“ Etiam in his falsa ratiocinatio inest. Est enim haec: si, quae hodie exstat Rhesus, non est Euripidis, aut fallunt didascaliae, aut fabula supposita est. Atqui horum posterius tantum recte conclusum est: nam didascaliae sic tantum fallunt, si hanc ipsam dicunt fabulam, quam nunc in manibus habemus. Id igitur demonstrandum fuerat. At non est demonstratum: quare ne refutari quidem opus est: immo concessum putare licebit, diversas esse Rhesos, quia concessum est, quam nunc habemus non esse antiqui illius Euripidis. Huius enim si non est, tamdiu credendum erit non esse eamdem, de qua scriptum fuit in didascaliis, quamdiu esse eamdem non fuerit ostensum.

Sed videamus iam, quid ex his omnibus certi reliquum sit. Nihil, opinor, nisi haec tria: in didascaliis Rhesum maioris Euripidis commemoratum esse; quam nos habemus eo nomine inscriptam tragoediam plerosque eo tempore, quo Aristarchus et Crates vivebant, illam ipsam esse credidisse, cuius in illis didascaliis facta est mentio; denique, cuius illa cumque scriptoris sit, non esse maioris illius Euripidis, olim quorumdam, hodie omnium iudicio. Nunc didascaliarum fidem cur suspectam habeamus, nulla caussa est. Credemus igitur, docuisse Euripidem Mnesarchi f. tragoediam quae Rhesus vocaretur. Quod si recte iudicant qui nostram Rhesum negant illius Euripidis esse, nihil relinquitur, quam ut supposita sit, i. e. ut, quum esset reperta, genuina autem illa perisset, visa sit illa ipsa esse, quam scripsisset olim Euripides. Id quomodo factum sit si quis quaerat, licebit vicissim quaerere, quomodo tot alia non genuina scripta pro genuinis habita sint. Si factum est, certo potuit fieri. Quare si hic Rhesus non est Euripidis: est id autem a Valckenario ita commonstratum, ut non videatur amplius dubitari posse: necessario coeptus est aliquando credi Euripidis esse. Itaque ne ad inutilia delabamur, non in iis quae sciri nequeunt morabimur, sed,

si quod exstet vestigium, quod veraces esse didascalias, genuinamque Euripidis Rhesum, diversam ab nostra, olim exstitisse prodat, id potius persequemur. Atque in argumento Rhesi haec scripta sunt: *πρόλογοι δὲ διττοὶ φέρονται. ὁ γοῦν δικαίαν ἐκτιθεὶς τὴν ὑπόθεσιν τοῦ Ῥήσου γράφει κατὰ λέξιν οὕτως·*

νῦν εὐσέληνον φέγγος ἡ διφρήλατος.

ἐν ἐνίοις δὲ τῶν ἀντιγράφων ἕτερός τις φέρεται πρόλογος, πεζὸς πάνυ καὶ οὐ πρέπων Εὐριπίδῃ· καὶ τάχα ἄν τινες τῶν ὑποκριτῶν διεσκευακότες εἶεν αὐτόν. ἔχει δὲ οὕτως·

ὦ τοῦ μεγίστου Ζηνὸς ἄλκιμον τέκος,
Παλλάς, παρῶμεν· οὐκ ἐχρῆν ἡμᾶς ἔτι
μέλλειν Ἀχαιῶν ὠφελεῖν στρατεύματα.
νῦν γὰρ κακῶς πράσσουσιν ἐν μάχῃ δορός,
λόγχῃ βιαίως Ἕκτορος στροβούμενοι.
ἐμοὶ γὰρ οὐδέν ἐστιν ἄλγιον βάρος,
ἐξ οὗ γ' ἔκρινε Κύπριν Ἀλέξανδρος θεὰν
κάλλει προήκειν τῆς ἐμῆς εὐμορφίας
καὶ σῆς, Ἀθάνα, φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν,
εἰ μὴ κατασκαφεῖσαν ὄψομαι πόλιν
Πριάμου, βίᾳ πρόῤῥιζον ἐκτετριμμένην.

Sic hi versus corrigendi videntur, quorum in primo Morstadius p. 70. ingeniose, sed non tamen ut assentiri velim, *τί δρῶμεν* scribendum censet. Sed quid hoc est, quod duplicem circumferri prologum iste scholiastes dicit? Nisi egregie fallor, verum vidit Morstadius, prologum illum, cuius primus tantum versus est allatus, Euripidei Rhesi esse: quamquam non multum tribuam argumento, quo ille utitur, in prologo lunam dici lucere, quae nostro in Rheso maxima demum fabulae parte peracta oriatur, v. 534. Nam quod ibi legitur, *οὐ λεύσσετε μηνάδος αἴγλαν*, quis contendat non posse nisi de ortu lunae intelligi, praesertim quum vocabulum illud *μηνάς* non alibi sit inventum, neque constet, lunamne an

lucem lunae eamque pallescentem significet, id quod suadere videntur proxima verba, ἀὼς δὴ πέλας, ἀώς, quibus indicatur eam lucem signum esse appropinquantis aurorae. Sed non opus est ut repugnare istum versum nostrae fabulae ostendatur: satis est, quod duo eius prologi exstitisse dicuntur. Nam id ipsum, nisi fallor, confirmat id quod volumus. Non indigebat prologo haec nostra fabula, videturque, ut in libris ex quibus edita est, caruisse prologo. Quod si duo tamen, aliis in libris alius, reperti esse prologi dicuntur, nimis id mirum est, quam ut non suspicari oporteat, casu servatum genuinae Euripidis fabulae prologum in aliquo codice nostro Rheso adiectum fuisse, qui prologus fuit is, quem iustum vocat scholiastes. Iam facilis est coniectura, unde venerit alter. Neque enim videtur dubitari posse, quin Euripidis Rhesus multo aliter quam hic noster fuerit comparatus, quique illi scriptus erat prologus, non etiam huic convenerit. Pindarus certe Rhesum narraverat unum diem pugnasse cum Graecis, tantamque iis cladem intulisse, ut Iuno, graviora metuens mala, miserit Minervam, quae Diomedem et Vlyssem ad nocturnam caedem excitaret. Vide Schol. ad Iliad. ϰ. 435. sive fragm. Pind. 181. ap. Boeckh. p. 652. Id si forte etiam Euripidi placuit, non inepte coniicias, Minervam in eius fabula prologum egisse, exponentem mandata Iunonis. At id nostrae fabulae non erat accommodatum. Quare nescio quis alium prologum scripsit, ambas ille deas introducens, aliamque fingens Iunoni caussam esse Rhesi perdendi. Hunc prologum scholiastes iure pedestrem, indignumque Euripide appellat, aliquot appositis versibus, ut ipsi iudicare lectores possent. Nam quod Valckenarius eum prologum ne Sophocle quidem indignum iudicavit, aevo illi ignoscendum. Rectius scholiastes eum ab histrionibus factum coniecerit, si modo umquam hic Rhesus in scenam productus est. Non est certe ab eo factus, qui fabulam ipsam fecit. Sunt hae sane tantummodo coniecturae, sed eae tamen tales, nisi fallor, ut cum his duobus, quae certa videntur, non falso in didascalias aliquem Euripidis Rhesum relatum esse, et

non esse hunc eum qui hodie exstat, optime conveniant, eaque planissime inter ipsa concilient.

Sed illud ipsum, quod hactenus ut certum minimeque dubium posuimus, quam habemus fabulam non esse nobilis illius Euripidis Rhesum, aliter visum est Crateti, grammatico in primis claro. De eo sic refert scholiastes ad v. 528. *Κράτης ἀγνοεῖν φησὶ τὸν Εὐριπίδην τὴν περὶ τὰ μετέωρα θεωρίαν, διὰ τὸ νέον ἔτι εἶναι ὅτε τὸν Ῥῆσον ἐδίδασκε.* Probasse videtur hanc sententiam Elmsleius, qui ad Oed. Col. 1518. sic scripsit: „si iuvenis Rhesum docuit Euripides, non mirum eam caeteris eiusdem „poetae tragoediis tam dissimilem esse.“ Verumne sit an falsum, quod dicit Crates, si quaerimus, videndum est et quid ponderis habeat huius viri iudicium, et num res ipsa sit veri similis. Ac vereor magnopere ne vel ipse auctor suspectus esse debeat, quem quum propensum ad nova et singularia, tum perpetuum adversarium fuisse Aristarchi sciamus. Vide Wolfii Proleg. ad Hom. p. 276. Quum enim Aristarchus aliquid operae in hoc quem habemus Rheso posuerit, quid aliud credamus, quam hunc virum, in quo acutissimum iudicium summa cum eruditione erat coniunctum, et vidisse et dixisse, quod viderunt et dixerunt tantum non omnes, qui aliquem harum litterarum usum haberent, mirum quantum inter Euripidis fabulas et hancce Rhesum diversitatis intercedere? Quid autem veri similius, quam qui ubique dissentire ab Aristarcho consuesset, hac quoque in caussa ei esse adversatum, magis fortasse, ut obloqueretur, quam quod non ipse quoque intelligeret probabilia eum dicere. Id satis appareret ex eo, quod, quum negare manifestissimam dissimilitudinem non posset, ut aliquam tamen veri speciem praetenderet, ad ingeniosum commentum confugit, aetati poetae illam discrepantiam imputans. Sed quamvis haec iudicis non integerrimi sententia vel ipsa per se satis suspecta videri debeat, tamen expendenda est accuratius, ne propter dubiam fidem viri reiicere existimemur, quod possit tamen recte ab eo iudicatum esse. Et certe aliquid

est, quod cum eius opinione conveniat, eamque quodammodo commendet. Nam numeri versuum eadem sunt cura elaborati, quam deprehendimus in tragoediis ante Olymp. LXXXIX. scriptis, ut, si haec tragoedia ab Euripide facta sit, certo in antiquioribus huius poetae fabulis numerari debeat. Ab illo enim tempore non dubitavit ille se invectae tum negligentiae permittere. Sed quid praeter hoc pro Cratetis opinione afferam, non habeo, nisi forte unam eamque solam Euripideis similem sententiam v. 980 — 982. Caetera refragantur omnia. Primo quod dicit, adolescentem Euripidem docuisse eam tragoediam, quid est? Si in didascaliis notatus erat annus, dicere eum debuit, si eo confirmaretur sua sententia; sin minus, refutare didascalias. Vtrumvis statuas, permirum est, quod neque in argumento fabulae neque in scholiis quidquam de tempore traditum. Quo veri simile fit, non fuisse annum in didascaliis adscriptum, ut liberum fuerit Crateti, quod tempus ipse deligeret. Esto igitur ut adolescens docuerit Rhesum Euripides. Quando id factum putabimus? Scriptor Vitae, quam Elmsleius editioni Baccharum adiunxit, eum Ol. LXXXI. 1. annos natum XXVI. quos rectius, ut Thomas M. dixisset XXV. primum docuisse tragoediam refert: *ἄρξασθαι δὲ ἀγωνίζεσθαι γενόμενον ἐτῶν εἰκοσιέξ.* Et infra: *ἤρξατο δὲ διδάσκειν ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος κατὰ Ὀλυμπιάδα ὀγδοηκοστὴν πρώτην· πρῶτον δὲ ἐδίδαξε τὰς Πελιάδας· ἔτει πρώτῳ, ὅτε καὶ τρίτος ἐγένετο.* Haec quamvis fortassis e diversorum scriptorum testimoniis conflata, tamen ita conspirant, ut fide nequaquam indigna videantur, praesertim si verum est, quod narratur, eum ante quam ad tragoediam animum appelleret, pancratio vel luctae operam dedisse, eoque genere certaminis esse victoriam adeptum. Quare dubitem Elmsleio adstipulari, qui in didascaliis eas tantum fabulas quibus quis vicisset commemoratas credens, iam aliquanto prius eum certasse tragoediis putavit, Gellio teste adhibito, qui lib. XV. 20. eum annos natum duodeviginti tragoedias scribere adortum refert. Non quaeram sitne id veri simile: sit ita: docuerit Rhesum anno

aetatis duodevicesimo: non potuit certe prius, si omnino illa fabula umquam est Athenis in scenam producta: estne per ipsius fabulae conformationem credibile, ab illo eam Euripide factam esse, cuius sunt reliquae quas habemus tragoediae? Mutat profecto aliquid aetas, facitque saepe, ut quis alius videatur, vir factus, quam adolescens fuit: at non mutantur tamen omnia, sed est etiam quod sibi constet, manentque aliqua saltem eiusdem ingenii vestigia. Vbinam vero in Rheso illa copia atque ubertas, illud molle ac tenerum, illa ad flebiles animi affectiones propensio, illa plana et communis oratio, illud genus dicendi sententiosum, illaque ad philosophandum proclivitas? Si haec in fructibus numeranda sunt vel maturescentis ingenii, vel diligentis exercitationis, at aliqua tamen eorum initia in Rheso inveniri speres, rudia fortasse illa atque impolita, sed ut tamen umbram aliquam Euripidis agnoscas. Nihil horum, sed frigida omnia, exsanguia, rigida, laboremque dumtaxat et operosam diligentiam testantia. Denique si totam inventionem fabulae et compositionem spectamus, quae quam inepta sit Valckenarius, et postea Beckius, novissime autem Morstadius docuerunt, quis credat, eum poetam, qui paullo post arte animos commovendi summam est claritatem adeptus, in ipso flore et vigore aetatis, qui maxime pronus est ad vehementes animi motus, tragoediam conscripsisse, quae non metum ullum aut miserationem excitare, non moribus generosis et magnum quid spirantibus retinere animos, non exspectatione alicuius memorabilis eventus advertere mentes spectatorum posset? Et huiusmodi fabulam in scenam productam esse putabimus eo tempore, ea in urbe, iis coram hominibus, qui summa illa Aeschyli et Sophoclis ingenia ante oculos haberent, audirent, admirarentur? Facilius ego quidem mihi persuaderi paterer, esse eam puerile aliquod rudimentum, quod stili exercendi caussa scripsisset Euripides, nisi multo maiore viderem cura elaboratum esse, quam quae cadit in istius aetatis levitatem.

Quod si ne Cratetis quidem sententia probari potest, reliquum est, ut, quoniam testibus plane destituti sumus,

ipsam fabulam, si quid forte de se indicii praebeat, consideremus. Atque ego quum in dissertatione illa, quae observationes quasdam de linguae Graecae dialectis continet, neque Athenis scriptam esse hanc tragoediam, nec brevi intervallo contingere aevum Euripidis dixissem, distinctiusque in Elem. doctr. metr. p. 124. scripsissem, poetam istum non ex recentioribus Atheniensium tragicis esse, sed multo post vixisse, quum Alexandrini, ut Sositheus et Lycophron, Atticorum tragoediam, grammatica subtilitate limatiores, quam fecundi ubertate poetica, imitari atque ex oblivione resuscitare conarentur: in contrariam sententiam discessit A. Matthiae, qui in adnotationibus ad Rhesum p. 3. seqq. hanc tragoediam satis antiquam atque adeo ad tempus florentis et linguae et scenae Atticorum referendam iudicavit, dubitans aequalemne poetam Euripidis an etiam antiquiorem fuisse diceret. Non sum nescius quam difficile sit, afferre in tali caussa, quod omnibus probabile videatur. Verissime enim dixit Valckenarius p. 95. hoc genus natura sic esse comparatum, ut, quos in multis similes facile tamquam diversos agnoscas, difficulter tamen demonstres dissentienti. Sed tamen aut plane abstinendum est a tali disputatione, aut quam fieri possit accuratissime disputandum, ne subtilitate rei absterriti aut temere in incerta opinatione acquiescamus, aut quasi vagi nesciamus quo nos debeamus convertere. Valde diversa atque inter se dissimilia argumenta sunt, quibus Matthiae Euripidis aevo tribuendum censet Rhesum. Quorum de illis, quae a compositione et dictione fabulae deprompta sunt, postremo loco dicam. Caetera ita commemorabo, ut incipiam ab levioribus.

„Quum prologus desit," inquit, „ex hoc suspicari „aliquis possit, auctorem fabulae Euripide antiquiorem „vel aequalem certe esse: quamquam qui post aliquem „vixit, in eodem genere elaborans, non necessario illius „exemplum sequi debet." Quoniam ipse de hoc argumento sic, ut aequum est, iudicat, non est quod addam, nisi posse me eo etiam pro mea caussa uti. Ale-

xandrini enim quum Sophoclem praecipue admirati esse videantur, credibile est, horum si quis tragoediam scriberet, ad illius eam maluisse quam ad Euripidis exemplum componere. Pergit Matthiae: „quod vero duo „prologi ferebantur, ut est in argumento, quod ipsum „documento esse potest, neutrum ab ipso poeta scriptum „esse, ex eo coniicias, florente adhuc scena Attica fabu„lam scriptam et vero etiam actam esse, quum vix quis„quam operam in eo ponat, quod nullius usus futurum „videt." His quidem rationibus vereor ut quidquam efficiatur. Primum enim, si neuter prologus ab ipso poeta scriptus est, putavit ille non opus esse prologo. Itaque tanto magis mirum videri oportet, alios, et quidem non unum aliquem, sed duos, quod ipse poeta inutile esse censuit, ita necessarium iudicasse, ut ipsi de suo adiicerent, facerentque id ipsum, quod vir doctissimus neminem facile facturum fuisse ait, ut operam ponerent in eo, quod viderent nullius usus esse. Num enim non potuit agi fabula sine prologo? At actae sunt sine prologo multae. Si esset autem prologus necessarius, cur scripti sunt duo? Num quaeque fabulae commissio suum habere debuit prologum? aut num haec tam egregia fabula est, ut non solum non explodereturquum primum est acta, sed etiam iterum in scenam afferretur? An vero factos esse prologos credamus, ut vel purgaretur poeta apud spectatores, quod tam malam fabulam scripsisset, vel histriones excusarentur, quod non agerent aliam? Tam inauditum in tragoedia facinus non praeterissent scholiastae, qui illos prologos memorant. Videmur ergo hac ratione in multo maiores implicari difficultates, quam si credimus Euripidei Rhesi prologum, servatum in aliquo codice et additum nostro Rheso, quod ei non conveniret, ab aliquo industrio homine, qui artem suam experiri vellet, commutatum esse cum alio prologo. Cur is ita luserit, inutile est quaeri. Quis ignorat Diogenis Laertii in huiusmodi lusibus vanitatem, aut quae scribae multis in codicibus ingenioli sui specimina dederunt? Sequuntur haec: „Orphei et Musaei de Atheniensibus merita commemorat

„Musa v. 938. seqq. ex quo coniicias, hanc fabulam scri-
„ptam esse, si non ad sacra Orphica commendanda, eo
„saltem tempore, quo τῶν Ὀρφεοτελεστῶν superstitio
„Athenis praecipue vigebat, id est, Euripidis et Plato-
„nis aevo. Vid. ad Hippol. 950. Sed haec incertiora
„sunt, quam ut iis quidquam effici possit, quamquam col-
„lecta aliquid ponderis habitura sunt: hoc saltem demon-
„strant, nihil continere fabulam, quod ab antiquis tem-
„poribus abhorreat.“ Ego quidem si quid tribuerem iis, quae poetae pro cuiusque loci opportunitate fingunt, uterer illo loco, ut dissentire Rhesi scriptorem ab Euripide ostenderem. Irridentur enim in Hippolyto religiones Orphicae. In Rheso tamen non dixerim eas commendari: nihil enim nisi commemorantur ut antiquissimis temporibus institutae, idque etiam Plato, Aristophanes, alii multi dixere. Illud vero miror, quod Matthiae non hoc ex illis versibus colligere maluit, Atheniensem fuisse poetam, quod eam urbem a Musis diligi dixit. Quamquam ne hoc quidem non convenit etiam homini Alexandrino Attici carminis genus imitanti. Quae quum ita sint, ita tantum concederem, collecta talia aliquid ponderis habitura esse, si in singulis aliquam vim esse viderem: at ut id de laude Athenarum credi possit, non cadit certe in caetera. Illud denique, nihilne contineat fabula, quod ab antiquis temporibus abhorreat, infra videbimus.

Volo enim iam paullo gravioris momenti argumenta considerare. In quibus primum numero illud, quod non sit existimandum, Euripidis aevo non nisi Pindaros, Aeschylos, Sophocles, Euripides exstitisse. Profecto. Nam quis nescit illa Herculis et Bacchi in Ranis v. 89.

Ἡρ. οὔκουν ἕτερ' ἔστ' ἐνταῦθα μειρακύλλια
τραγῳδίας ποιοῦντα πλεῖν ἢ μύρια,
Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα;
Δι. ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἐστὶ καὶ στωμύλματα,
χελιδόνων μουσεῖα, λωβηταὶ τέχνης,
ἃ φροῦδα θᾶττον, ἢν μόνον χορὸν λάβῃ,
ἅπαξ προσουρήσαντα τῇ τραγῳδίᾳ.

Sed tamen paullo periculosius erat illo tempore, malam fabulam docere, quam hodie est, quia de victoria, et cum eximiis quidem poetis certabatur: ut mirandum sit, si adeo inepta tragoedia sit ad certamen admissa. Vt tamen id impetraverit vanitas poetae, quis non hoc quoque miretur, quod servata eiusmodi fabula, neque ut Pythangeli aliorumque huius similium scripta oblivioni tradita, sed ipsi adeo Euripidi tributa est? Id mihi quidem, si tam antiqua est, parum veri simile, ac potius vix credibile videtur. Praeterea quos adolescentulos perstringit Aristophanes, ut aeque, ut magis etiam quam hic noster inepti aut frigidi fuerint, tamen quis non potius eo in vitium incidisse credat, quod, quum Aeschylum, Sophoclem, Euripidem aequare vel vincere vellent, nimio animos movendi studio tumidum quid atque inflatum, quam quasi de industria nihil nisi inutiles sermocinationes vulgaresque rixas probabili cum delectu verborum contextas dederint? Ac profecto hic noster non est *Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερος*.

Sed affert Matthiae aliud, idque aliquanto speciosius. Commemoratis gravissimis didascaliarum auctoribus, Aristotele et caeteris, „hos," inquit, „quomodo „credibile est fabulam sua aetate vel paullo ante scri„ptam ad Euripidem auctorem referre potuisse? Itaque „nihil restat, nisi ut vel auctorem argumenti mentitum „esse dicamus, vel auctorem fabulae diu ante Alexandri„norum tempora vixisse." Primum magnus in his error est. Nam in veterrimis didascaliis, ut supra dictum, Rhesum Euripidis quidem consignatum esse scimus, non autem etiam illud, quam nunc habemus fabulam significari: immo diversam ab nostra fuisse Euripideam, suspicari iubet prologus ille, quem iustum vocat scholiastes: nec quem solum eius prologi habemus primum versum, aliis Euripidis prologorum initiis dissimilis est. Itaque didascaliae nihil ad rem: nec debuit Matthiae argumento uti, quod tum, quum illa scribebat, nondum cognitis scholiis Vaticanis, per se nullum erat. Sed postquam ex

illis scholiis didicimus nostram Rhesum Aristarcho et Crateti notam fuisse, Crateti autem Euripidis visam esse, ex quo probabiliter coniicimus Aristarchum eam non genuinam iudicasse: tum demum quaerere licuit, quod quaerit Matthiae, quomodo fabula paullo ante scripta ad Euripidem auctorem potuerit referri. Tenemus enim nunc certum tempus, quo nostra tragoedia Euripidis esse credita est, quod est illud, quo Aristarchus et Crates vixerunt. Caeteros, quibus nota fuit, multo illis recentiores, commemoravit Valckenarius p. 93. seq. scriptorem Christi patientis, Io. Tzetzam Chil. IV. 965. Hesychium, qui non nominata fabula voces quasdam adnotavit, Eustathium ad Dionys. Perieg. 270. Etym. M. p. 439, 3. Marium Victorinum p. 2498. et Stobaeum LIV. 9. Adiecit his Beckius §. 15. Eustathium ad Iliad. ι p. 822, 3. ed. Rom. 748, 6. Bas. quo loco Morstadius p. 74. seqq. ingeniosius quam verius genuinam Euripidis fabulam respici putabat. Pertinet ad nostrae v. 802. 803. et ad ea, quae inde a v. 833. leguntur. Valckenarius negaverat Rhesum in illis ad Homerum commentariis usquam citari. Adde his scholiastam ad Iliad. ζ. 479. et schol. ad Dionys. Perieg. 270. Ex his efficitur, nihil sciri, nisi incerto ante Aristarchum spatio hunc Rhesum, si non est Euripidis, haberi pro Euripidea fabula coeptum esse. Quo modo? De duobus altero: reperta est in codice aliquo sine nomine auctoris, quumque didascaliae Euripidem edidisse Rhesum testarentur, haec ipsa esse credita est. Quo autem temporis intervallo ante Aristarchum? Non maiore opus est, quam ut non amplius in vivis esset scriptor, quum de eo controversia inter Aristarchum et Cratetem est orta, si fabula non est in scenam producta: aliter enim difficilius ignorari vel auctor vel tempus potuit: actam esse autem cum istiusmodi virtutibus quis temere sibi persuadeat? Quod si est, ut nobis videbatur, circa illud tempus scripta, quo Sositheus instauravit tragoediam, ab regno Ptolemaei Philadelphi ad Aristarchum et Cratetem spatium est fere centum annorum. Sed praeter hanc etiam alii, neque illi absurdae suspicioni locus est. Quid

enim si scriptor ipse hoc consilio fabulam istam composuit, ut eam pro Euripidea magno aere venderet? Id enim ab non paucis factum esse, et quidem iam ipso Philadelphi tempore, quum cupidissime coemerentur codices, quibus bibliothecae Alexandrinae locupletarentur, R. Bentleius ostendit in Opusc. p. 155. seqq. Ita nec quomodo Aristarchus et Crates de auctore Euripide disceptare potuissent, nec quod falsus ille Euripides Athenas et poesin Atticam collaudasset, mirum foret. In his ergo, quae hactenus allata sunt, nihil dum esse video, quo labefactari sententiam meam putem.

Superest, quod sane omnium et difficillimum explicatu est et maxime lubricum, ut videamus, quid ex compositione fabulae et stilo colligi possit. Et Matthiae quidem sic scribit: „non e trimetrorum modo elegantia, „sed reliquis omnibus quae in carmine insunt, imprimis „ex universa dictionis indole, utrum poeta ille Euripidi „aequalis vel adeo antiquior sit, an recentior et ad Ale„xandrinorum aetatem detrudendus, effici potest.“ Profecto: et id ipsum indicaveram tam aperte distincteque, ut, quoniam numeri essent quales ante Ol. LXXXIX. caetera autem qualia neque ante illam Olympiadem nec proximis post eam temporibus scripta esse credibile videretur, multo recentiorem esse fabulam contenderem, numeris ad optima exempla conformatis. Pergit Matthiae: „Alexandrinorum ingenia eo maxime conspicua „sunt, quod in doctrina et grammatica et historica osten„tanda, in antiquiorum scriptis ita imitandis, ut non tan„tum verba et voces, sed etiam res et sententias in sua „transfunderent, elaborabant. In nostra fabula etsi multa „leguntur ab Euripidis quidem consuetudine aliena, at „Aeschylo tamen et Sophocli, nonnulla etiam Homero „usurpata, tamen haec ita non quaesita sunt, pleraque „tam suo loco posita, ut ea poetam non ex abditis fon„tibus hausisse, sed e communi poetarum sui temporis „consuetudine sumsisse dicas; rara sunt ea, quae in hoc „uno carmine leguntur, ut προταινί, ἀποινᾶσθαι;

„imitationis vero nulla usquam vestigia sunt, nisi forte „locutionem τετράπουν μῖμον ἔχων v. 253. ex Eurip. „Herc. f. 972. ductam dicas, quae cuique in mentem ve„nire poterat. Quum vero imitatores, in his Alexandrini, „in iis subsistere fere soleant, quae iam apud alios in„venerunt, noster poeta contra plura novasse videtur, „et saepe non incommode, quod facere non solent nisi „ii, qui linguam adhuc florentem usu didicerunt, non ii, „qui eam ex aliorum scriptis didicerunt, imprimis in „melicis ita nonnumquam, ut ita dicam, sui et iuris et „ingenii est, ut apud nonnullos in nimiae audaciae et „tumoris crimen incurrerit. In melicis vero ea etiam est „metrorum et facilitas et simplicitas, ut hoc quidem in „genere cum Aeschylo comparari queat. His igitur de „caussis credere non possum poetam Rhesi Alexandri„norum aetate vixisse, sed eum ad tempus florentis et „linguae et scenae Atticae referendum puto, ut in de„scriptione carminis vix mediocrem poetam, sic versuum „pangendorum et dictionis poeticae non contemnendum „artificem.“ Quae de Alexandrinis dicit, in universum dicta sunt verissime, nisi quod illud et valde ambiguum, nec satis verum est, subsistere eos fere in iis, quae apud alios invenissent. Novarunt enim permulta, modo interpretandi argutiis in errores delapsi, modo exquisita et abstrusa moleste constipantes. Nec satis est, opinor, dicere, propria Alexandrinorum esse ostentare doctrinam et imitari. Vtrumque enim multi fecerunt Alexandrinis dissimillimi, faciatque utrumque recte, cui non desit ingenium. Illud vero est, quod in Alexandrinorum plerisque desideramus. Scilicet improbo multa discendi labore fractus liber animi impetus, dubius quam viam, quum multae pateant, natura praescripserit, facile ab recta declinat, suisque viribus diffidens, studii diligentia, cui semel adsuevit, aemulari magnorum ingeniorum virtutes adnititur. Inde prava ostentatio doctrinae; inde imitatio, non summa et praecipua, sed pusilla iuxta ac magna, inutilia peraeque ut necessaria consectans, nec vivido sensu ad vera et recta tendens, sed curiose eli-

gendo illabens in prava et perversa. Haec quum in Alexandrinis reprehendamus, mirarer profecto laudes, quibus Rhesi scriptorem ornat Matthiae, nisi sat scirem, aliter iudicaturum fuisse, si operae pretium putasset accuratius istam quaestionem excutere. Id igitur nobis faciendum erit.

Qui sibi proposuit tragoediam ad exemplum poetarum Atticorum componere, eum, sive iustae imitationis laudem adipisci, sive clari cuiuspiam ex antiquioribus nomen mentiri voluit, cognita habere oportuit ea, quae huius poematum generis propria sunt. Itaque non solum dictionis tragicae numerorumque formas ac temperamenta, sed caetera etiam omnia, quae ad compositionem tragoediae pertinent, tenere debuit, descriptionem actionis, distributionem partium, officia personarum, rationem diverbiorum, dispositionem divisionemque chori, munerumque inter cantores alternationem, et si quae sunt alia huiusmodi. Horum omnium nihil esse, in quo scriptor Rhesi non maximam curam diligentiamque ostenderit, ipse ultro fateor. Quod si eius tragoedia tanto studio est elaborata, ut maximam habeat cum antiquis similitudinem, quae tandem dicemus esse illa, quibus recentius aevum et quidem Alexandrinum prodere videatur? Sunt ea, nisi fallor, numero quinque: imperitia inventionis, imitatio inepta Homeri, aemulatio tragoediae Atticorum antiquioris, ostentatio variae doctrinae, dictio raris et exquisitis undique collectis plena, neque illa non aliquando peccans in consuetudinem Atticorum. Haec ordine persequar.

Atque inventionem fabulae ineptissimam esse, nec latere quemquam potest, et demonstratum est a viris doctis evidentissime. Iniquus tamen sit, qui omnia quae in hoc genere peccata sint aevo poetae tribuenda censeat. Illa tantum iure afferri possunt, quae ab Attico poeta admissa esse non sit credibile. Ac primum illud nimis profecto mirabile foret, hominem, qui summorum poetarum tragoedias suis ipse oculis spectaret; qui, quid magis minusve

placeret, multis cognosse exemplis deberet; qui cum probatissimis laudatissimisque poetis de victoria contenderet, non animadvertisse, deesse suae tragoediae id, quod principale est in hoc genere, ut metu, ut miseratione, ut admiratione, postremo ut aliquo saltem motu animos spectatorum corripiat. Id non videtur cadere nisi in eum, cui neque ipsi umquam pectus generoso aliquo sensu incaluit, neque alios quid commovere possit cognitum est, neque aut contendendi cum quoquam consilium aut spes victoriae obversatur. Dicat quis forsitan, hominem ingenio destitutum, qui se poetam esse crederet, ut fere hoc genus vanissimum est, gloriosius de se sensisse. Non repugnarem, si primis tantum lineis adumbratam esse fabulam viderem. Existimarem enim, voluisse eum componere tragoediam, sed abiecisse, ubi animadversisset quem esset successum habitura. At sedulo perfecit expolivitque: quod eius est, qui domi sedens studia sua umbratica tranquillo animo tractat, sui similes se admiratores inventurum sperans; non hominis populum, plaudentem iis a quibus maxime moveatur, conciliare sibi studentis. Ac profecto, quo quis attentius hanc fabulam consideret, eo magis intelligat necesse est, nihil quod placere possit relinqui, quam numeros et stilum, factamque ad exercitationem scribendi potius, quam ad usum scenae videri. Praeterea est etiam, quod vix dicas quomodo recte agi potuerit. In ipso fabulae initio excubitores conspiciuntur, quorum is qui primus verba facit aliquos iubet ad Hectorem se conferre, eumque ex somno excitare. Hi vix audito mandato statim appellant Hectorem, quasi hoc ipso in loco cubantem. Quod si spectari fabulam suam voluit scriptor, vereor ne offendere spectatores debuerit illud in theatro silentium, dum vigiles orchestram perambulantes ad Hectoris cubile perveniunt. Habet autem aliquam rationem, si ad legendum scripta est fabula. Nescio an eodem referendus sit ille locus, ubi exploratores Graecorum et Troianae excubiae in tenebris manus conserunt. Est quidem nocturna scena etiam in Amphitruone Plauti: sed ibi Sosia noctis signum laternam gerit,

nec, qui agunt, ut caeci colliduntur. Accedit quod comoediae plura licita sunt quam tragoediae. Alius generis est, quod in exordio fabulae anapaestis inseruntur antistrophica, in quibus chorus, quem observata referre conveniebat, magna vociferatione ut in summo periculo, quum tamen modo nihil accidisse novi dixisset, exercitum ad arma et iubet vocari, et non exspectato ducis imperio ipse vocat. Id Atticus poeta, opinor, absurdum esse vidisset: non abhorrebat autem ab imitatore, id solum agente, ut sua quoque tragoedia immixtum anapaestis carmen antistrophicum haberet. Addat his fortasse aliquis illud, quod a v. **627**. quattuor actores in scena esse videantur. Sed tamen huic argumento nihil tribuerim, siquidem post v. **627**. Vlysses ad capiendos Rhesi equos abire videtur, ut qui eum agit histrio mox possit mutato habitu personam Paridis induere.

Gravius est secundum quod posui, imitatio inepta Homeri. Homerum universa Graecia magistrum suum, fontemque omnis scientiae iudicavit. Eum in primis etiam Aeschylus et Sophocles ita sunt admirati, ut plurima se ei et maxima debere faterentur. Ex eo et hi et alii multi fabularum suarum argumenta petierunt, sed ita, ut summam rei ex Homero depromerent, caetera fingerent ipsi, ex scintilla flammam excitantes: nisi forte in fabulis satyricis, quod genus parodiis non absimile est. Rhesi vero scriptorem si consideres, id ipsum, in quo Matthiae Alexandrinos elaborasse dicit, ut non verba tantum, sed etiam res et sententias in sua transfunderent, ita sine modo et modestia ab isto homine factum videas, ut mirandum sit, non vel maxime Alexandrinum visum esse. Quid enim? Nonne ille totam propemodum Doloneam in singulis rebus et verbis expressit? Apud Homerum victores Troiani in campo noctem transigunt, multis accensis ignibus, inter strepitum tibiarum et fistularum, v. **12**: Rhesi scriptor, neque id reprehendendum, ignes tribuit Graecis, quo viderentur proelium vel fugam moliri. Apud Homerum Menelaus convenit Agamemnonem: inde ambo alios excitant, cum iisque, visitatis excubiis, fossa superata in

campo consultant, decernuntque observatores exploratum mittere quid agitent Troiani. In Rheso Hectorem excitant vigiles, nunciantes frequentissimam congressionem ducum ad tentorium Agamemnonis, quod inventum est ineptissime: nam si tanta sunt acie oculorum, vel tam prope a Graecorum castris stationem habent, ut ista tam distincte cernant, vix opus est exploratorem mitti. Quod illi Hectori dicunt, v. 7.

ὄρθου κεφαλήν, πῆχυν ἐρείσας,

de Agamemnone est apud Homerum v. 80.

ὀρθωθεὶς δ' ἄρ' ἐπ' ἀγκῶνος, κεφαλὴν ἐπαείρας.

Oratio Hectoris v. 57. seqq. adumbrata est ex Iliad. *θ.* 498. seqq. Ex ducibus Troianis solus venit Aeneas, qui quae dicit v. 105. seqq. expressa sunt ex oratione Alexandri Iliad. *ν.* 726. seqq. quae autem a v. 112. ex Polydamantis oratione Il. *μ.* 70. seqq. denique quae de exploratore, ex oratione Hectoris Il. *κ.* 305. quam imitatur etiam tragici Hector v. 149. seqq. Vt apud Homerum Dolo se offert ad explorandum, equos Achillis poscens, ita etiam in Rheso, sed explicatius, veluti in eo quod Homerus v. 315. duobus verbis dixerat, *πολύχρυσος*, *πολύχαλκος*, nec neglectis, quae de equis Achilleis scripta sunt Iliad. *ψ.* 277. Porro quum apud Homerum pelle lupina amictus abeat Dolo, huic tragico non pellis lupi satis fuit, nisi totum Dolonem in lupum conversum, quadrupedem castra adire faceret, plaudens sibi, ut videtur, tam eximio invento chori verbis,

σοφοῦ παρ' ἀνδρὸς χρὴ σοφόν τι μανθάνειν.

Quae paullo post apud eum nuncius de Rheso eiusque equis et armis narrat, ex Homericis sumpta atque splendidius exornata nemo reprehendat: sed, quoniam ipsa etiam verba servare Alexandrinorum esse dicit Matthiae, non est praetereundum, equos v. 304. *χιόνος ἐξαυγεστέρους* dictos, Homero v. 437. esse *λευκοτέρους χιόνος;*

quumque v. 302. Rhesum ὥςτε δαίμονα in curru stare audiamus, Homerum de armis eius dicere,

τὰ μὲν οὔτι καταθνήτοισιν ἔοικεν
ἄνδρεσσιν φορέειν, ἀλλ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν.

Horam noctis, qua Diomedes et Vlysses egrediuntur, designavit Homerus v. 251.

μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ἐγγύθι δ' ἠώς·
ἄστρα δὲ δὴ βροβέβηκε, παρῴχηκεν δὲ πλέων νὺξ
τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται.

Idem fecit scriptor Rhesi, partim iisdem verbis, partim doctius nominatim memoratis quibusdam signis caelestibus, et quota agatur vigilia dicens, v. 527. seqq. Quam apud Homerum Rhesus stationem habet in extremo cornu v. 434. eamdem etiam in tragoedia v. 519. Equi eius post currum alligati stant apud Homerum v. 474. in tragoedia v. 567. et 616. Apud tragicum v. 575. Hectoris stationem a Dolone indicatam dicit Diomedes, apud Homerum v. 477. Rhesi stationem Vlysses, cuius reliqua pars orationis in tragoedia quoque data est Vlyssi v. 622. Minervam in tragoedia precatur Vlysses v. 608; Diomedes apud Homerum v. 462. ubi sapienter dea caesis demum Thracibus introducitur, admonens de reditu v. 508. Tragicus eam statim precanti advenire voluit, ut enarraret, quae apud Homerum Dolo exposuisset v. 433. seqq. quoniam huius cum Graecis ducibus congressio extra scenam facta est, v. 595—621. ubi ultima,

οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπου
τοιόνδ' ὄχημα χθὼν κέκευθε πωλικόν,

similia sunt iis, quae apud Homerum Nestor dicit v. 548. numquam vidisse se tales equos in Graecorum exercitu. Quae v. 609. Minervae respondet Vlysses, apertissime ex Homericis v. 278. sumpta sunt; haec autem,

φθέγματος γὰρ ἠσθόμεν
τοῦ σοῦ συνήθη γῆρυν,

ex illis v. **572**.

ὃ δὲ ξυνέηκε θεᾶς ὅπα φωνησάσης.

Credas etiam, quum v. **642**. scripsit,

σὲ τὸν στρατηγὸν καὶ κασίγνητον λέγω,
Ἕκτορ, καθεύδεις; οὐκ ἐγείρεσθαί σε χρῆν;

obversatum ei esse Homeri dictum,

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Apud Homerum occisis Thracibus Apollo, quem non latuisset adiutrix Diomedis Minerva, Troianos ex somno excitat: tragicus, ne alius dei interventu numerum personarum licito maiorem faceret, Minervam impudentissime fecit Veneris figura assumpta Alexandrum strepitu excitatum mendaciis fallere, quo decepto eadem non modo ut apud Homerum v. **508**. reverti Graecos duces iubet, sed, quoniam nesciunt spectatores interea caedem Rhesi perpetratam equosque captos esse, id ipsis his qui occiderant dicit,

κεῖται γὰρ ἡμιν Θρήκιος στρατηλάτης.

Denique quum apud Homerum v. **496**. Rhesus gravi somnio anhelans trucidetur, tragicus id somnium aurigae tribuit, copioseque exposuit v. **780**. seqq. Iam licebit, opinor, quaerere, quis Alexandrinorum et rebus et verbis vel plura vel apertius, quaedam etiam ineptius imitatus sit. Et tamen omisi nonnulla, quod ea infra afferre volo.

Dicam nunc de eo, quod tertium feci recentioris aevi indicium, aemulationem antiquioris Atticorum tragoediae. Numeri versuum sunt quales condi solebant ante Olymp. LXXXIX. At eo tempore, florentibus in scena

summis ingeniis, quum per se non est credibile huiusmodi fabulam stare potuisse, tum credere prohibent illi loci, in quibus, ut infra tantum non evidentissime ostendetur, manifestae deprehenduntur earum tragoediarum, quae aliquot demum annis post editae sunt, imitationes. Neque vero etiam proximo ab illa Olympiade tempore scriptam esse credi potest, quia tum poeta haud dubie sibi quoque, quae omnes facerent, licita esse putavisset. Documento sunt Critiae nimium tenues trimetri. Reliquum est ergo, ut factam putemus tali aliquo aevo, in quo caussa aliqua reperiatur, qua antiquioris tragoediae diligentiam aemulatum esse poetam existimemus. Atqui uti iam florente adhuc tragoedia Sophoclem nonnulli perfectissimum in hoc genere esse existimabant, e. c. Aristodemus apud Xenophontem Mem. Socr. l. 4, 3. ita eumdem Alexandrinos quoque prae caeteris admiratos esse monstrat vel notissimum illud Dioscoridis epigramma, quo Sophoclem ab Sositheo in vitam revocatum esse scripsit. Sunt autem Sophoclis pleraeque omnes tragoediae ante Ol. LXXXIX. factae. Quare consentaneum est, qui Sosithei aevo tragoediam scribere conaretur, huius potius numeros esse imitatum, quam eorum qui post illum negligentiores in illo genere fuissent. Sic hodie quoque pueri in scholis Virgilii, non Horatii hexametros, pentametros autem non Catulli, sed Ovidii imitari iubentur. Melica vero Rhesi metra si Matthiae propter facilitatem et simplicitatem vel cum Aeschyleis comparari posse dicit, facilia et simplicia esse concedo: sunt enim nota omnia et usitata, quippe, ut trimetri, ad exemplum veteris Atticorum tragoediae facta, omninoque qualia ab imitatore condi minime mirum sit: cum Aeschyleis autem non comparem, quae nec facilia omnia aut simplicia sunt, et robore pleraque ac novitate compositionis ab Rhesi metris diversissima.

Sequitur quartum, ostentatio doctrinae. Qua etsi hic scriptor non ita modum excessit, ut plane desereret morem tragicorum, tamen vix poterit negari, eum sic, ut

solebant Alexandrini, fere quae rariora et magis abstrusa sunt quaesivisse. Statim v. 29. Sarpedonem insueto more a matre Europa designat, quod proditum fuisse ab Hesiodo et Bacchylide testantur scholia ad Iliad. μ. 292. Nostrae tragoediae testimonio usi sunt scholiastes et Eustathius ad Dionys. Perieg. 270. diversum ille hunc Sarpedonem ab Lycio esse volens. Mox v. 36. *Κρόνιος Πὰν* ex reconditioribus fabulis productus est: v. Roetherum ad Io. Lyd. de mens. p. 275. Proverbium de ultimo Mysorum intextum v. 251. Iuppiter *Φαναῖος*, ignotus aliis, occurrit v. 355. V. 406. finguntur bella, quibus Hector Rheso imperium Thraciae paraverit; v. 529. seqq. scriptor suam signorum caelestium notitiam ostentat; v. 539. nobilem in veteribus historiis Mygdonis f. Coroebum memorat; v. 906. et alio loco, qui infra monstrabitur, exquisitiore nomine Diomedem Oeniden vocat; mox v. 915. seqq. docte de origine Rhesi, intexto Thamyrae cum Musis certamine, disserit; tum v. 945. et 966. Orphicae doctrinae facit mentionem, miraque de Rhesi post mortem conditione narrat, quibus V. D. in annalibus Vindob. vol. IV. p. 217. seqq. Aegyptiorum opinionem de vita eorum, quorum corpora cera et aromatis condita serventur, contineri existimat; eodemque in loco arcanam de Thracio Lycurgo fabulam obscuris verbis significat, nec praeterit lugentem apud cyclicos filii obitu Thetidem. His non addam, quae ad antiquos ritus et instituta pertinent, quod haec accurati potius scriptoris, quam doctrinae laudem captantis sunt: sed illud tamen non est praetermittendum, quod *σφαγίων ἐφόρους* v. 30. parum apto loco memoravit. Quum enim excubiae ut in trepidatione nocturna ad arma vocent exercitum, omittendum erat, quod a tali tempore alienum non nisi rite instructa acie ante iustum proelium fieri poterat. Quod si educi exercitum et explicari aciem ante adventum Graecorum volunt, inepta est ista tumultuosa vociferatio.

Venio ad quintum, quod est in dictione positum, quae quum plerumque certissimum praebeat aevi indi-

cium, tamen fallere potest vel maximam attentionem, si scriptor non est suo genere scribendi usus. Debuit autem, qui tragoediam scriberet, ad illas se leges componere, quae ab inventoribus tragoediae sancitae usuque stabilitae essent. Verum si id faciat is, qui non quasi innutritus sit huic arti, sed eam temporis lapsu emortuam studiose cognoscendis exemplis didicerit, ne maxima quidem cura ac diligentia illud consequetur, ut non prodat qui sit et quomodo sibi artem illam comparaverit. Noscitur autem his duobus, imitatione et errore. Atque ut primo de imitatione dicam, qui in aliquo genere scribendi veluti habitant et regnant, eos facile animadvertas sui iuris suique arbitrii esse, neque curare, simile quid an non dixerint alii; qui autem alienum genus attingunt atque invadunt, sedulo undique colligere solent, quae ut exquisite, ut insuete, ut docte dicta laudatum iri sperant: quibus si tamquam luminibus quibusdam scriptum suum ornaverint, tum illud se assequutos putant, ut eximium quid et quod genuinum videatur perfecerint: unde quaedam horum etiam iterum iterumque usurpant. At ista quo plura sunt, eo facilius fraudem licet deprehendere. Scite monuit Valckenarius p. 96. vocabula inusitata plura in uno Rhesi dramate inveniri, quam et in superstitibus Euripidis tragoediis et in deperditarum reliquiis omnibus; quorum partem neminem miraturum esse, si sparsim legerentur in Sophoclis tragoediis. Poterimus autem voces et formas dicendi, quibus Rhesi scriptor utitur, in tria genera dividere, quorum primum est earum, quae plane inusitatae sunt necdum alibi repertae; secundum earum, quae in superstitibus tragoediis non inveniuntur; tertium denique, quae unde petitae sint monstrari potest.

Atque alibi non reperta sunt *δυσάλιος* substantivum v. **247**. Adiectivo usus est Aeschylus Eum. **399**. Deinde *μῖμος* pro *μίμημα* v. **256**. *ἀποινάζεσθαι* v. **466**. *προταινὶ* v. **523**. de qua voce scholiastes: *Παρμενίσκος τὴν προταινὶ λέξιν Βοιωτικὴν φησι καὶ μετ᾽ οὐδεμιᾶς πί-*

στεως. Tum μηνὰς v. 534. ἀηδονὶς adiectivum v. 550. si vera est nostra de eo loco sententia.

Multo plura sunt, quae in tragicorum reliquiis non inveniuntur: v. 3. τευχοφόρος. 31. μόναρχος non proprio significatu. 33. κερόδετα τόξα, adnotatum ab Hesychio. 41. 78. 823. πυραίθειν, de quo v. Valck. ad Herodot. IV. 145. V. 64. ῥύμη θεοῦ. 134. ταχυβάτας. 192. εὐσπλαγχνία, sed ἄσπλαγχος apud Sophoclem exstat. 245. σπανία. 274. δόρη, sed δόρει et Aeschylus et Sophocles usurparunt. 288. αὐτόριζος. 296. ἐξαυγέστερος. 322. ἐξώστης. 340. χρυσοτευχής. 349. καλλιγέφυρος. 361. πανημερεύειν. 374. δίβολος. 382. πολίαρχος, nisi forte πολέμαρχον scripsit ad Aeschyli exemplum Choeph. 1072. Porro v. 417. ἄησις, et δίψιον πῦρ, etsi δίψιος non semel apud tragicos est. 492. ἐντάξαι pro ἀντιτάξαι. 496. εὐδοξεῖν. 515. θοινατήριον: sed θοινατὴρ in Agam. 1511. Aeschylus. 520. νυχεῖσαι, sed νυχεύματα in Suppl. 1135. Euripides. 526. 811. στρατόπεδα pluralis. 553. κατακούειν. 586. καρατομεῖν, sed καρατόμος usurpant. 604. ἐσδρομή. 702. σποράς. 712. ῥακόδυτος. 716. ψαφαροχροῦς, sed ψαφαρὸς Aeschylus in Sept. ad Th. 329. et ψαφαρόθριξ in hymno Panis Homerus. 761. ἀβούλως, sed ἄβουλος invenitur. 814. ἄπληκτος. 875. ἐς σὲ τείνεται γλῶσσα. 881. λεωφόρος. 887. νεόκμητος. 921. χρυσόβωλος. 923. μελῳδία. 933. ἀλκαὶ pluralis. 933. κορύσσειν, etsi κεκορυθμένος apud Euripidem est. 942. ἐπιχρῆσθαι. 964. καρποποιός. 971. ἀνθρωποδαίμων, quam vocem Suidas ex Procopii historiae arcanae c. 12. p. 56. ed. Eichel. attulit, ubi haec verba leguntur: διὸ δὴ ἐμοί τε καὶ τοῖς πολλοῖς ἡμῶν οὐδεπώποτε ἔδοξαν οὗτοι ἄνθρωποι εἶναι, ἀλλὰ δαίμονες παλαμναῖοί τινες, καὶ ὥσπερ οἱ ποιηταὶ λέγουσι βροτολοιγὼ ἤστην, οἳ δὴ ἐπὶ κοινῆς βουλευσάμενοι ὅπως ἅπαντα ἀνθρώπεια γένη τε καὶ ἔργα ὡς ῥᾷστα καὶ τάχιστα διαφθείρειν ἱκανοὶ εἶεν, ἀνθρώπειόν τε ἠμπίσχοντο σῶμα καὶ ἀνθρωποδαίμονες γεγενημένοι τῷ τρόπῳ τούτῳ ξύμπασαν τὴν οἰκουμένην κατέσεισαν.

Sed horum pleraque nec sine auctore dicta puto, neque ut aliena a tragoedia affero. Non ea volo aliam vim habere, quam ut monstrent, rariora quaesivisse poetam.

Id apertius demonstrat tertium genus, quod est eorum, quorum fontem indicare possumus. Sed haec quum commemoro, nolo id sic accipi, quasi putem hunc scriptorem sic compilasse tragicos, ut pueri solent quum ex aliquo Gradu ad Parnassum verba et formas dicendi colligunt: immo fecit ille, quod quivis faciat, qui multa lectione imbutus eiusmodi opus aggrediatur: posuit, quae memoriae obversarentur: cuius hoc proprium est, ut ea potissimum retineat, quae propter raritatem et insolentiam altius imprimuntur. Eius modi sunt haec: v. **2**. *ὑπασπιστής*. Eurip. Phoen. **1213**. Aeschylo *ὑπασπιστὴρ* Suppl. **190**. — **8**. *λῦσον βλεφάρων γοργωπὸν ἔδραν*. Eur. Hipp. **290**. *στυγνὴν ὀφρὺν λύσασα*, et in El. **740** *λέγεται στρέψαι ἀέλιον χρυσωπὸν ἔδραν*: quod ita placuisse videtur nostro, ut etiam v. **554**. scriberet, *θέλγει δ' ὄμματος ἔδραν*, quemadmodum etiam alia, ut *ὄρφνη* et *δὶς τόσος*, saepius repetita videmus. — **9**. **852**. *χαμεύνη*. Aesch. Ag. **1549**. — **16**. *θάρσει. θαρσῶ*. Iph. Aul. **2**. *στεῖχε. στείχω*. — **31**. **313**. *γυμνής*. Eur. Phoen. **1147**. — **43**. *διοπετῆ*, quo significatu *διιπετῆ* dixerat Euripides in Phoenice apud Erotianum p. **132**. v. Intt. Hesychii. — **49**. *ναυσίπορος*. Iphig. Aul. **172**. — **55**. *σαίνει*. Soph. Ant. **1214**. *παιδός με σαίνει φθόγγος*. Ion. **685**. *οὔ με σαίνει θέσφατα*. — **58**. *σύρδην*. Aesch. Pers. **54**. — **62**. **465**. *πολύφονος*. Herc. f. **420**. — **68**. *θυοσκόος*. Bacch. **224**. — **75**. *γαπονεῖν*. Eur. Suppl. **420**. *γαπόνος*. — **122**. *αἴθων ἀνήρ*. Aesch. Sept. ad Th. **453**. et Soph. Ai. **222**. secundum quorumdam scripturam. — Ibidem *πεπύργωται θράσει*. Orest. **1568**. — **136**. *ἀντίπρωρα*. Trach. **223**. Eur. El. **846**. — **144**. *καραδοκεῖν*, frequens apud Euripidem, non legitur apud Aeschylum et Sophoclem. — **146**. *ὁλκοί*. Ion. **145**. — Ibidem *προσμίξω*. Orest. **1290**. Philoct. **106**. — **151**. seq. Compara Aesch. S. ad Th. **441**. — **177**. *ἀποινᾶσθαι*.

Ἀποινᾶν ut obsoletum explicavit Demosthenes p. **630**, **27**. — **183**. *ἐν κύβοισι δαίμονος*. S. ad Th. **420**. *ἔργον δ' ἐν κύβοις Ἄρης κρινεῖ*. — **187**. **624**. *πωλοδαμνεῖν*. Soph. Ai. **549**. — **202**. *καθάψομαι*. Ion. **1006**. *καθάψας*. — **235**. *θυμέλας*. Iphig. Aul. **152**. — **266**. **287**. *ἀγρῶσται*. Herc. f. **377**. Soph. Alex. **3**. — **278**. *ἐρημώσας πέδον*. Androm. **314**. *κεἰ μὴ τόδ' ἐκλιποῦσ' ἐρημώσεις πέδον*. — **282**. *ὀργάδας*. Eur. Bacch. **340**. **445**. El. **1163**. — *πεδιάδος*. Soph. Ant. **420**. *ὕλης πεδιάδος*. — **287**. *Ἰδαῖον λέπας*. Androm. **296**. Inonis fr. **6**, **2**. — **289**. *ἔνθηρος*. Alio significatu apud Aesch. Ag. **571**. Soph. Phil. **698**. — **290**. *ῥέων στρατός*. S. ad Th. **80**. — **296**. *προὐξερευνηταί*. Phoen. **92**. *προὐξερευνήσω στίβον*. — **305**. *χρυσοκολλήτοις*. Phoen. **2**. — **307**. *κώδωνες* sumpti videntur e S. ad Th. **391**. seq. — **342**. **468**. *Ἀδράστεια*. Aesch. Prom. **935**. Et memineram fortasse ex eiusdem Nioba

Βερέκυνθα χῶρον, ἔνθ' Ἀδραστείας ἔδος.

— **356**. quum Rhesi equos *βαλιὰς* vocat, vereor ne male interpretatus sit Iph. Aul. **222**. ubi Eumeli equi iugales *λευκοστίκτῳ τριχὶ βαλιοὶ* vocantur. — **370**. *τὰν ζάχρυσον πέλταν*. Alcest. **501**.

Ἄρεος, ζαχρύσου Θρηκίας πέλτης ἄναξ.

— **372**. *πεδαίρων*, verbum frequens apud Euripidem. — **375**. *οὔτις ὑποστάς*. Pers. **87**. — **389**. *παλαιᾷ ἡμέρᾳ*. Soph. Ai. **622**. — **384**. *κωδωνοκρότους*. Soph. fr. inc. **70**. *σὺν σάκει κωδωνοκρότῳ παλαισταί*. — **405**. *προὔπιες*. Aeschylus Myrmid. ap. Harpocrat. v. *προπεπωκότες*. — **414**. *χωστοῖς τάφοις*. Choeph. **249**. *πολύχωστον τάφον*. — **415**. *πίστις οὐ σμικρά*. Hippol. **1037**. — **419**. *δεξιούμενοι*. Vsus est hoc verbo, sed aliter, Aesch. Ag. **861**. — **423**. *τέμνων κέλευθον*. Phoen. **1**. — **424**. *ἀγχιτέρμων* Soph. *Αἰχμαλ.* **7**. — **425**. *λύπη προὸς ἦπαρ δυσφορῶν*. S. ad Th. **786**. *ἐπ' ἄλγει δυσφορῶν*. — **430**. *αἱματηροὺς πέλανος*. Alcest. **851**. Iph. T. **300**. Apud Aeschylum Pers. **818**. *πέλανος αἱματοσταγής*.

— 434. ὁμηρεύσας. Bacch. 297. — 440. πόντον Θρῃκιον φυσήματα. Hipp. 1211. ποντίῳ φυσήματι. — 441. κρυσταλλόπηκτα. Aesch. Pers. 501. κρυσταλλοπῆγα. — Ibidem ἐπεζάρει e Phoen. 45. — 442. πορπάμασιν Herc. f. 959. El. 820. — 444. αἰχμάζεις. Pers. 758. — 446. κυβεύων. S. ad Th. 420. ἔργον δ' ἐν κύβοις Ἄρης κρινεῖ. — 464. seqq. Compara Ai. 1217. — 498. de Vlysse: αἱμυλώτατον κρότημα. De eodem Sophocles in Ai. 388. αἱμυλώτατον ἐχθρὸν ἄλημα. Idem, τὸ πάνσοφον κρότημα, Λαέρτου γόνος. Vide Brunck. Lex. Soph. v. κρότημα. — 492. θοῦρον δόρυ ex Homero, etsi θοῦρος et apud Aeschylum et apud Euripidem legitur. — 503. 715. ἀγύρτης. Oed. R. 396. — 505. Ἰλίου κατάσκοπος Hec. 239. — 514. ἀμπείρας ῥάχιν. Eumen. 190. ὑπὸ ῥάχιν παγέντες. — 524. ἐγερτί. Soph. Antig. 413. — 548. πολυχορδοτάτᾳ γήρυϊ. Med. 196. πολυχόρδοις ᾠδαῖς. — 549. παιδολέτωρ. S. ad Th. 732. Med. 1393. — 553. ἰάν. Pers. 940. — 560. εἰσπαίσας. Oed. R. 1252. — 579. θρασὺς γὰρ Ἕκτωρ νῦν, ἐπεὶ κρατεῖ, θρασύς. Similiter in Bacchis v. 655. σοφός, σοφός γ' εἶ, πλὴν ἃ δεῖ σ' εἶναι σοφόν· et in Soph. El. 526. ὡς ἐξ ἐμοῦ τέθνηκεν, ἐξ ἐμοῦ. — 596. λύπῃ καρδίαν δεδηγμένος. Alc. 1100. λύπῃ καρδίαν δηχθήσομαι. — 599. οὐ φαύλῳ τρόπῳ. S. ad Th. 471. οὐ σμικρὸν τρόπον. — 600. 982. διοίσει. Oed. R. 32. confer etiam Ai. 511. — 618. ποταμίου κύκνου πτερόν. Hel. 216. χιονόχρως κύκνου πτερῷ. El. 151. κύκνος ποταμίοις παρὰ χεύμασιν. — 639. σαθροῖς λόγοισιν. Hec. 1190. τοὺς λόγους σαθρούς. — 647. οὐδ' ἀμνημονῶ. Eumen. 24. Iph. T. 361. — 651. ὑμνοποιοῦ. Eur. Suppl. 180. — 658. seqq. compara Antig. 262. — 674. σκηπτοῦ πολεμίων. Androm. 1047. — 716. πολυπινὲς κάρα de Vlysse, de quo in Aiace v. 381. κακοπινέστατον ἄλημα στρατοῦ. — 718. βασιλίδ' ἑστίαν. Iph. A. 1306. εὐναῖσι βασιλίσι. — 724. 805. δυσοίζειν. Aesch. Ag. 1325. — 737. ἀμβλῶπες. Eumen. 958. ἀμβλωπός. — 740. τὸν ὑπασπίδιον κοῖτον. Ai. 1407. τὸν ὑπασπίδιον κόσμον. — Ibidem ἰαύει. Ai. 1204. Phoen. 1538. —

741. *διόπων*. Pers. **44.** — **744.** *τολυπεύσας*. Homerica vox: apud Aesch. Ag. **1042.** *ἐκτολυπεύσειν*. — **754.** *αἰνιγμοῖσιν*. Phoen. **1353.** — **784.** *ῥινός*. Soph. Amphiar. ap. Erotian. in v. *πελόν*. — **785.** *ἀντηρίδων*. Eur. fr. inc. **212.** vide Valck. Diatr. p. **4.** — **786.** *ἀνεχαίτισεν*. Hipp. **1232.** Bacch. **1072.** — **789.** *μυχθισμός*. Prom. **742.** *ἀναμυχθίζεσθαι*. — **790.** *κροῦνος* de sanguine. Hec. **568.** — **791.** *δυσθνήσκειν*. Eur. El. **843.** — *νειάτην*. Sophocles *νέατος* saepius. — **796.** *πληγῆς βαθεῖαν ἄλοκα*. Herc. f. **164.** *δορὸς ταχεῖαν ἄλοκα*. Sed *βαθεῖαν ἄλοκα* de mente Aeschylus S. ad Th. **599.** — **814.** *ὀμώμοσται*. Aeschylus *ὀμώμοται* Ag. **1299.** quod noster numerorum caussa non posuisse videtur. — **817.** *μάραγνα* est e Choeph. **373.** et *καρανιστὴς* ex Eum. **186.** ubi *δίκαι καρανιστῆρες*. — **825.** *ἔβριξα*. Ag. **283.** Choeph. **897.** Eum. **280.** — **849.** *μειζόνως*. Hec. **1121.** — **855.** *τὸ πάμπαν*. Antiop. fr. **25, 2.** et *πάμπαν* solum, in Med. **1091.** — **858.** *πλημμελές*. Med. **306.** Hel. **1085.** — **859.** *ἐν σοὶ δ' ἂν ἀρχοίμεσθα*. Hel. **1638.** *ἀρχόμεσθ' ἄρ', οὐ κρατοῦμεν*. — **863.** *καί τί μου θράσσει φρένας*. Prom. **629.** *σὰς δ' ὀκνῶ θράξαι φρένας*. — **870.** *ἅλις γὰρ τῶν τεθνηκότων ὄχλος*. Hec. **278.** *τῶν τεθνηκότων ἅλις*. — **871.** *μονούμενος*. Alc. **380.** Herc. f. **1388.** — **872.** *ἐξιάσεται*. Eur. El. **1024.** *ἐξιώμενος*. — **881.** *ἐκτροπή*. Vsus est, sed aliter Aesch. Prom. **912.** — **888.** *φοράδην*. Androm. **1166.** — **895.** *αὐθιγενεῖ*. Eur. Cretens. fr. **2, 6.** — **913.** *μυριάδας πόλεις*. Pers. **930.** *φύστις μυριάς*. — **919.** *διαῤῥοάς*. Hec. **567.** fr. inc. **135.** — **922.** *ὀργάνοισιν ἐξησκημέναι*. Pers. **182.** *πέπλοισιν ἠσκημένη*. — **923.** *λέκτροις ἐπλάθην Στρύμονος φυταλμίοις*. Soph. in Etym. M. p. **803, 5.** *προσῆλθε μητρὶ καὶ φυταλμίῳ πατρί*. — **925. 951.** *δεννάζειν*. Sophocleum ex Ai. **243.** et Ant. **759.** — **927.** *εὐύδρου*. Iph. T. **399.** — **932.** *φιλαίματος*. S. ad Th. **45.** Phoen. **173.** — **936.** *πρεσβεύματα*. Eur. Suppl. **173.** — **943.** *φάνας*. Ion **550.** — **944.** *αὐτανεψιός*. Aesch. Suppl. **940. 991.** Eur. Heracl. **211.** — **949.** *σοφιστὴν ἄλλον οὐκ ἐπάξομαι*. Herc. f. **912.** *μάντιν οὐχ ἕτερον ἄξομαι*. — **957.** *ὀφεί-*

λων ἦλθε. Alc. 682. secundum quorumdam librorum scripturam, κἄθρεψ' ὀφείλων. — 958. συνήδομαι. Med. 136. — 960. ξυμπυρῶσαι. Eur. Suppl. 1071. — 965. ὀφειλέτις. Ai. 590. ὀφειλέτης. — 970. ὑπαργύρου. Cycl. 294. — 987. πληροῦτ' αὐχένας ξυνωρίδων. Huius hypallages, quam vocant, multa exempla exstant apud tragicos: v. Seidlerum ad Eur. El. 651. — 988. πανούς. Agam. 292. et Soph. ap. Phot. Eurip. Alcmen. 13. — 990. αἶθος Eur. Suppl. 208. Hanc tantam exemplorum copiam consideranti facile patebit, non omnia unius generis esse. Multa enim sunt, quae ut potuerint recordatione illorum locorum, ex quibus petita videntur, dici, tamen non aperte prodant imitatorem: dicatque aliquis forsitan, vix ullum cuiusquam tragici versum esse, quem, qui similiter ab aliis dicta comparare velit, non possit aliunde sumptum ostendere. Verum qui illa attentius consideret, tamen miretur necesse est, quod tam multa raro usu hic illic dispersa in hac una fabula congesta sunt. Quod quum sit hominis exquisita studiosius captantis, multo apertius hoc imitandi studium iis exemplis proditur, quae vix quisquam infitiari possit ex illis, quos indicavi, fontibus esse hausta. Et horum profecto tantus est numerus, ut, si hic scriptor non est imitator dicendus, non videam quem alium hoc nomine appellari conveniat. Velim autem etiam ad hoc animum adverti, quod, ut iam supra dixi, nonnullae ex illis tragoediis, ex quibus hic scriptor sua petiit, recentiores sunt Olympiade LXXXIX. ut hoc quoque argumento et Cratetis et illorum sententia, qui eum vel aequalem Euripidis vel antiquiorem esse volunt, refutetur. Certe enim neminem fore spero, qui Euripidem ab Rhesi scriptore δυσθνήσκειν, ἐπεζάρει, et alia huiusmodi accepisse putet.

Quid vero de eo dicamus, quod hic poeta etiam talia quaedam admisit, quae abhorrere ab Atticorum consuetudine videntur. Non utar eo, quod Elmsleius ad Med. 774. observavit, ἀπέκτανον v. 978. formam aoristi esse, quae in hoc verbo non inveniatur apud tragicos.

Certe illi *κατέκτανον* non minus quam *κατέκτεινα* usurparunt. Sed nou vacat dubitatione *ἦλυθον* in trimetro v. **660**.

ὧν οὕνεκ' εὐνὰς ἦλυθον πρὸς Ἕκτορος.

Videtur autem ita scripsisse, siquidem vix aliud quam error librarii est, quod in uno codice legitur, *ὧν οὕνεκ' ἦλθον ἦλυθον πρὸς Ἕκτορος.* Quamquam enim hanc formam, quae etiam in Troad. **374**. et El. **598**. invenitur, tuiti sunt Seidlerus ad Electrae locum, Meinekius in Quaestt. Menandr. p. **35**. Elmsleius ad Med. **1077**. Matthiae in gramm. Gr. ed. sec. §. **234**. p. **460**. tamen mihi quidem nondum persuasum est, maxime propter illud exemplum quod in Troadibus est. Verba sunt Cassandrae:

πόλιν δὲ δείξω τήνδε μακαριωτέραν
ἢ τοὺς Ἀχαιούς, ἔνθεος μέν, ἀλλ' ὅμως
τοσόνδε γ' ἔξω στήσομαι βακχευμάτων·
οἳ διὰ μίαν γυναῖκα καὶ μίαν Κύπριν
θηρῶντες Ἑλένην μυρίους ἀπώλεσαν·
ὁ δὲ στρατηγὸς ὁ σοφὸς ἐχθίστων ὕπερ
τὰ φίλτατ' ὤλεσ', ἡδονὰς τὰς οἴκοθεν
τέκνων ἀδελφῷ δοὺς γυναικὸς οὕνεκα,
καὶ ταῦθ' ἑκούσης κοὐ βίᾳ λελησμένης.
ἐπεὶ δ' ἐπ' ἀκτὰς ἦλυθον Σκαμανδρίους,
ἔθνησκον, οὐ γῆς ὅρι' ἀποστερούμενοι,
οὐδ' ὑψιπύργου πατρίδος.

Infert in hunc locum haec scriptura aliquid perversitatis, quia, quum modo de Graecis dictum sit *μυρίους ἀπώλεσαν*, quod non potest non de bello ad Troiam gesto dictum esse, adiicitur, *ἐπεὶ δ' ἐπ' ἀκτὰς ἦλυθον Σκαμανδρίους, ἔθνησκον.* Quod si, quoniam quae in medio posita sunt omnia ad solum Agamemnonem spectant, qui in Aulide filiam immolaverit, de hoc Euripides dixit,

ἐπεὶ δ' ἐπ' ἀκτὰς ἦλθε τὰς Σκαμανδρίους,

recte procedit oratio. Id si nobis conceditur, magis dubium fit exemplum quod in Electra est, quia unicum relinquitur:

σὺ δ', ὦ γεραιέ, καίριος γὰρ ἦλυθες.

Ac potest illud facillime corrigi, si scribitur,

σὺ δ', ὦ γεραιέ, καίριος δ' ἐλήλυθας.

Sed sunt alia in Rheso, quae haud paullo maius momentum habeant: quae quum non solum repugnent consuetudini Atticorum tragicorum, sed etiam omnia sint ex Homero petita, quem summo studio tractarunt Alexandrini: videntur ea mihi, quod caetera omnia quae attuli suadent, non mediocriter confirmare, Alexandrinum fuisse Rhesi scriptorem. Si ille v. **480**. ἄδην ἐλαύνομαι scripsisset, saltem recte esset Homericam locutionem interpretatus. Sed si dedit, quod et libri habent et confirmant scholia, ἄδην ἐλαύνομεν, sequutus est malam interpretationem, quam et ipsius scholiastes et scholiastes Homeri ad Od. ε. **290**. protulit. Atticum poetam vix credibile est quum omnino illa formula usum esse, tum multo minus sic intellecta, ut grammaticis illis placuit. V. **494**. μηνίων media correpta posuit, ut Homerus Iliad. α. **247**. **422**. **488**. μ. **10**. ν. **460**. σ. **257**. Od. ρ. **14**. qui semel tantum μήνιεν, servata iusta syllabae mensura, Il. β. **769**. Atticis ignota est correptio. Non magis apud eos reperias Homericum δέχθαι, quod scripsit noster v. **525**. Eodem refero, quod reponendum esse puto v. **552**. ποιμνῆα, quam vocem, factam ex Homerico adiectivo, commemorat Etym. M. p. **678**, **54**. ἐκ τοῦ ποιμένος γίνεται ποιμένιον, καὶ συγκοπῇ ποίμνιον, καὶ πλεονασμῷ τοῦ η ποιμνήϊον Tum μεμβλωκότων v. **629**. itidem ex Homero sumptum, non usitatum, quod sciamus, Atticis. Denique v. **794**. νειάτην, quae Homerica est, non Attica forma.

Patet, quo haec redeant. Videor mihi ostendisse, quae Matthiae verissime ut propria Alexandrinorum com-

memoravit, omnia et cumulate quidem in Rheso inveniri; neque haec tantum, sed nonnulla etiam quae ab Attica tragoedia vehementer abhorreant, conveniant autem Homeri assiduae lectioni insudanti grammatico. Haec igitur refutanda erunt, si quis hunc scriptorem non fuisse Alexandrinum demonstrare volet. Sed quamvis ille mihi multo deterior, quam iis, qui antiquiorem esse credunt, videatur, tamen peritiorem fuisse existimo, quam ut nonnulla, quae illi patienter tulerunt, eaque permagna vitia ei imputanda putem. Quare finem scribendi faciam emendandis, quae corrupta sunt. Vtar autem editione L. Dindorfii, quae politissima est. Rationes emendationum ibi tantum afferam, ubi opus videbitur, non, ubi eas, qui paullo sit exercitatior, ipse facile inveniat. Statim initium in editis, qui v. 3. *εἰ* habent, soloecismo depravatum. MSS. alii *ἦ*, alii *ἤ*. Scribe:

Βᾶθι πρὸς εὐνὰς τὰς Ἑκτορέους
τὶς ὑπασπιστῶν ἄγρυπνος βασιλέως
ἢ τευχοφόρων,
δέξαιτο νέων κληδόνα μύθων.

Locutio haec nihil differt ab illa, qua in deliberatione coniunctivus imperativo subiicitur, cuius generis exempla plurima dedit Elmsleius ad Med. 1242. Vbi non deliberatur, sed iubetur aliquid, apertum est, optativo utendum esse, non coniunctivo, qui non nisi ad personam eius qui loquitur referri potest.

12. De tribus vel quattuor diversis huius versus scripturis optima videtur, quae probata est Valckenario,

τίς ὅδ'; ἦ φίλιος φθόγγος; τίς ἀνήρ;

Necessario hic *ἦ* scribendum: non potest *ἤ*.

13. Distingue:

τίνες ἐκ νυκτῶν τὰς ἡμετέρας
κοίτας πλάθουσ'; ἐνέπειν χρή.

17. *Ἤδη* v. 18. quae perinutilis vox est, a metrico aliquo adiectum esse monstrant codd. quorum quum duo *λόχος* pro *δόλος* habeant, scribendum fortasse videatur:

μῶν τις λόχος ἢ δόλος ἐκ νυκτῶν;
Χ. οὐκέτι. Ἑ. τί σὺ γὰρ φυλακὰς προλιπὼν
κινεῖς στρατιάν;

Dactylo enim anapaestum subiicere licuit, nisi fallor, ob mutationem personae. Sed veri similius est, in Hectoris responso vocem aliquam excidisse ante nomen *φυλακάς*.

23. Res ipsa pariter ac metrorum leges haec ita scribi postulant:

ὁπλίζου χέρα· συμμάχων,
Ἕκτορ, βᾶθι πρὸς εὐνάς·
πέμπε φίλους ἰέναι ποτὶ σὸν λόχον,
ὄτρυν' ἔγχος ἀείραι, ἀφύπνισον.
ἁρμόσατε ψαλίοις ἵππους.
τίς εἶσ' ἐπὶ Πανθοίδαν,
ἢ τὸν Εὐρώπας, Λυκίων ἀγὸν ἀνδρῶν;

32. Recte vulgo *τοξοφόροι τε*.

36. Vnice verum *ἀλλ' ἤ*.

41. Servandum erat *πυραίθει*

43. Scribe *διοπετῆ*.

46. Recte libri *νέαν*.

51. Recte Bothius,

μήποτ' ἐς ἐμέ τινα μέμψιν εἴπῃς.

Incipit versus ab antispasto.

68. Lege ex codd. *θυοσκόων*.

85. Male consuluerunt poetae qui *καὶ* ante *μάλα* deleverunt.

106. Apud Stobaeum LIV. 9. codd. et ed. Trinc. *χερί*. Vulgo ibi *ἀνήρ*, nescio an ex interpretatione ad

βροτὸς adscripta, cuius lectionis vestigium est in Euripidis cod. Flor. Quod Matthiae ad Phoen. 86. dicit, libentius dicere tragicos θεῶν τις, θεῶν οὐδείς, θεῶν ὁ αὐτός, quam θεός τις, acceptum est ab Elmsleio, qui tamen admonitus mutavit sententiam. Vide quae dixi ad Aiac. 977. Sed nihil ille de ὁ αὐτός, quod Valckenarii auctoritate male receptum in Phoenissarum loco. In Rheso ferri potest ὁ αὐτὸς βροτῶν, si id est *idem de iis qui mortales sunt*, quod longe aliud est quam *idem homo*.

118. Vide praefat. meam ad Soph. Oed. Col. p. 28.

122. Non contenderim praestare θράσει, sumptum fortasse ex Orest. prae altera scriptura χερί.

136. Scribe:

πυρὰ κατ' ἀντίπρωρα τάδε ναυστάθμων.

Δαίεται verbum est correctoris, cuius manus in compluribus huius fabulae locis deprehenditur.

179. Recte duo codd. λαφύρων γ'.

188. Scripsisse poetam puto: Ποσειδῶν, ὡς λέγουσ', ὁ πόντιος.

200. Scribe:

τὰ δὲ παρ' ἀνδράσιν τέλεα φαίνεται.

215. Recte Vict. δίβαμος εἶμι.

217. Scribe ὅστε. Rarius hoc in trimetris, ut in Sept. ad Th. 486. Vulgata vereor ne non possit nisi argutando defendi.

226. Supra modum faciles fuere, qui haec sententiae, metri, syllabarum mensurae vitia tulerunt. Scribe certa emendatione:

Ἄπολλον, Οἰνείδα κεφάλᾳ μόλε τοξήρης, ἰκοῦ δ' ἐννυχίας

ἀγεμὼν σωτήριος ἀνέρι πομπᾶς,
καὶ γενοῦ καὶ ξύλλαβε Λαρδανίδαις.

Diomedem quum dicit chorus, respicit ad v. **222**. *Γενοῦ* autem posuit pro *ξυγγενοῦ*, intellecta e sequente verbo praepositione, ut fit, ubi nominibus praepositio adiicitur. In verbis plerumque inverso ordine haec figura usurpatur: v. Schaefer. Ind. ad Greg. Cor. v. *συνθύειν*.

237. Scribe:

Φθιάδων δ' ἵππων τότ' ἐπ' ἄντυγα βαίη.

Qui statim dicitur *δεσπότης*, Hector est.

242. Haec ita restituenda:

ἐπεὶ πρό τ' οἴκων πρό τε γᾶς ἔτλα μόνος
ναύσταθμα βὰς κατιδεῖν· ἄγαμαι
λήματος· ἦ σπανία
τῶν ἀγαθῶν, ὅταν ἦ
δυσάλιος ἐν πελάγει, καὶ σαλεύῃ
πόλις· ἔστι Φρυγῶν τις, ἔστιν
ἄλκιμος· ἔνι δὲ θράσος ἐν αἰ-
χμᾷ ποτὶ Μυσῶν ὃς ἐμὰν συμμαχίαν ἀτίζει.

Δυσάλιος substantivum esse supra indicavi, ut *Δύσπαρις*. Vltimorum hic sensus: *ἔνεστι θράσος ἐν αἰχμῇ πρὸς ἐκεῖνον, ὃς ἐμὴν Μυσῶν συμμαχίαν ἀτίζει*, i. e. *ὡς Μυσοῦ ὄντος*.

256. Scribendum:

τετράπουν
μῖμον ἔχων· ἐπεὶ εὖ-
θηρος ἕλοι Μενέλαν,
κτανὼν δ' Ἀγαμεμνόνιον κρᾶτ' ἐνέγκοι.

Legitur *εὔθηρος* in Bacchis v. **1253**.

261. Recte libri, *ὃς ἐπὶ πόλιν, ὃς ἐπὶ γᾶν Τρωϊαν χιλιόναυν*, nisi quod male *Τροίαν*. Prima in *Τρωΐαν* corripitur.

305. Quae haec obsecro descriptio peltae. Restituto iusto versuum ordine legendum:

πέλτη δ' ἐπ' ὤμων χρυσοκολλήτοις τύποις
χαλκῆ, μετώποις ἱππικοῖσι πρόσδετος,
ἔλαμπε· Γοργὼ δ' ὡς ἀπ' αἰγίδος θεᾶς,
πολλοῖσι σὺν κώδωσιν ἐκτύπει φόβον.

Caput equinum, ut a Minervae clipeo Gorgonem, terrorem fecisse dicit.

310. Vide quae adnotavi ad Elmsleii Med. **149.**

335. Singula chori dicta a diversis pronunciantur, nec v. **334. 335.** nuncii sunt, sed chori. Est autem v. **335.** post v. **338.** ponendus. Versus **336 — 338.** Hectori tribuendi.

344. *Δὴ* additamentum est metrici. Scripsisse videtur poeta *φράσω γὰρ παρ' ὅσον μοι.*

364. Eleganter quidem Musgravius *ἐπιδεξίοις:* sed satius erat *ὑπὸ δεξιοῖς* scribi: vide v. **419.**

373. Laudandus Hemsterhusius ad Lucian. Dial. deor. **XXV. 2.** qui *σχιστὰν ἄντυγα* non in dubitationem traxerit. Tuetur scholiastes, sed errans in interpretatione. Duas *ἄντυγας* fuisse ex Homero notum. Earum non apertura in postica parte currus, sed iunctura in anteriore significatur, intercapedine quadam fortasse, seu sursum seu deorsum vergentibus cornubus, distincta.

386. Interpunge:

θεός, ὦ Τροία, θεὸς αὐτὸς Ἄρης.

410. Bene meruit de hoc loco Morstadius p. **23.**

430. Parum elegans est *Σκύθης* sic collocatum, nisi minor distinctio ponitur post *γαῖαν*, ut explicationis caussa addita sint *Σκύθης Θρῄξ τε.* Propterea dubitari potest, utrum *φόνος* an *φόνῳ* praestet.

452. Iure Musgravium offendit ἔξω, sed non debebat acquiescere eo, quod Homerum Iliad. *v.* **51.** sequutus videretur poeta. Non enim cohibendi erant, qui non instabant. Scribe ἔρξω.

453. Fugit criticos hanc esse stropham, cuius antistropha legitur v. **820.** Scribe:

ἰώ, ἰώ,
φίλα θροεῖς, φίλος Διόθεν εἶ
. . . . . μόνον
φθόνον ἄμαχον ὕπατος
Ζεὺς ἐθέλοι τὸν ἀμφὶ
σοῖσι λόγοισιν εἴργειν·
τὸ δὲ ναΐον Ἀργόθεν δόρυ
οὔτε πρίν ποτ' οὔτε νῦν τίν' ἀνδρῶν
ἐπόρευσε, σέθεν κρείσσω.
πῶς γάρ μοι Ἀχιλλεὺς
τὸ σὸν ἔγχος ἂν δύναιτο,
πῶς δ' Αἴας ὑπομεῖναι;
εἰ γὰρ ἐγὼ τόδε γ' ἦμαρ εἰσίδοιμ', ἄναξ,
ὅπως πολυφόνου
χειρὸς ἀποινάσαιό μοι λόγχαν.

Quod v. **177.** dixit ἀποινᾶσθαι, hic ἀποινάζεσθαι, Ἀποινεῖσθαι in Etym. M. vereor ne scribis debeatur. Πολυφόνου χειρὸς λόγχαν Achillis Aiacisque intelligi voluit.

467. Τοιαῦτα πρᾶξαι idem est atque οὕτω πρᾶξαι, i. e. gaudere profligato hoste.

469. Ἐπεὶ δ' ἂν scribendum esse vidit Morstadius p. **25.**

482. Restitue νῦν.

500. Friget ἀνήρ. Eleganter Boissonadus coniecit καὶ πλεῖστα χώραν εἰς ἀνὴρ καθυβρίσας, afferens e tragicis huius fabulae **946.** Aeschyl. Pers. **327.** Eurip. Or. **743.** Sed quum vix possit τήνδ' omitti, praeferam εἰς

πλεῖστα χώραν τήνδ' ἀνὴρ καθυβρίσας. Mallem tamen aliquis codex hanc scripturam praeberet:

ὃς πλεῖστα χώραν εἰς ἀνὴρ καθυβρίσας
τήνδ', εἰς Ἀθάνας σηκὸν ἐννυχος μολών,
κλέψας ἄγαλμα ναῦς ἐπ' Ἀργείων φέρει.

527. Scribe: τίς ἀμείβει τὰν ἐμὰν πρώτα; Personae ita distinguendae, ut in melicis bini canant, primus et secundus v. 527—531. tertius et quartus v. 532—533. quintus et sextus v. 534—537.

533. Servanda erat librorum scriptura ἔγρεσθε πρὸς φυλακάν.

536. Scribendum videtur, καί τις προμολὼν ὅδε γ' ἐστὶν ἀστήρ. Nisi etiam εἶσιν dedit, *abibit*. Hausit ex fonte suo, Iliad. κ. 252. ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε.

538. Corrupta esse vidit L. Dindorfius: ne medelam inveniret, levis menda obstitit. Repone:

Ὁ ζ'. τίς ἐκηρύχθη πρώτην φυλακήν,
. . . . . .
Ὁ η'. Μύγδονος ὅν φασι Κόροιβον.
Ὁ. ζ'. τίς γὰρ ἐπ' αὐτῷ;
Ὁ θ'. Κίλικας Παιὼν
στρατὸς ἤγειρεν, Μυσοὶ δ' ἡμᾶς.
Ὁ ζ'. οὐκοῦν κ. τ. λ.

547. Mendosam scripturam iam scholiastae habuerunt, quorum verba sic corrigenda: *Κοίτας φονίας. διὰ τὰ τολμηθέντα ἐπὶ τῷ Ἰτύλῳ. λείπει δὲ τὸ ὡς. ὡς ἐπὶ [κοίτης] τοῦ Σιμόεντος ὑμνεῖ τὴν μῖξιν, αἴῳ. Γράφεται καὶ θρηνεῖ. καὶ ἔξωθεν λαμβάνεται ἡ ἐπὶ καὶ τὸ ὥς· ὡς ἐπὶ τοῦ Σιμόεντος ἐζομένη θρηνεῖ τὰς φονίας κοίτας ἢ ἀηδών.* Rectissime hi *κοίτας φοινίας* de violento Philomelae stupro dictum esse viderunt. Ἡμένα correctio esse videtur, fortasse ex ἐζομένη, quod explicandi caussa addidit interpres, ducta. Quattuor codd. ἡμένα.

Scripserat poeta, nisi fallor: *καὶ μὴν ἀΐω, Σιμόεντος ἃ πέραν κοίτας φοινίας ὑμνεῖ — ἀηδονὶς μέριμνα.* Non mutem quod libri omnes habent *μέριμνα*, sed *ἀηδονίς*, ut supra dixi, pro adiectivo positum puto, quod alias *ἀηδόνιος*, nusquam, opinor, *ἀηδόνειος*, est. Personae per totum carmen eaedem, quae in stropha.

552. Significavi supra, me scribendum putare *ποιμνῆα*.

560. Scribe:

ἀλλ᾽ ἦ κρυπτὸν λόχον εἰςπαίσας
διόλωλε; τάχ᾽ ἂν δ᾽ εἴη φανερόν.

577. Non male duo codd. *ποῖ δῆτ᾽ ἂν εἴη*; In fine versus ex aliis reponendum *ποι*.

594. Scribe ex cod. Havn. *εὖ δ᾽ εἴη τύχη*.

626. Recte quidem cod. Havn. *ὠφελῇ*, scilicet *τάσσεσθαι τὸν ἄνδρα*. Sed *ὠφελοῖ* tantum abest ut rationi grammaticae repugnet, ut sit etiam necessarium, si sic interpretere, *οὗ μάλιστ᾽ ἂν ὠφελοῖ ὁ ἀνήρ*.

643. Scribe *χρῆν*.

670. Non debebat *ἡμῖν*, quod rectius hic *ἦμιν* scribetur, Valckenario duce p. **106.** in *ὑμῖν* mutari, quo quae non aptissime instituit poeta, etiam ineptiora fiunt.

674. Videntur haec non uno modo perturbata esse. Trochaeis mixti sunt alii numeri. Scribendum puto, distinctis interlocutorum personis:

Βάλλε, βάλλε, βάλλε, βάλλε. Θεῖνε, θεῖνε.
Τίς ὅδ᾽ ἀνήρ;
Λεύσσετε, τοῦτον αὐδῶ.
Κλῶπες, οἵτινες κατ᾽ ὄρφνην τόνδε κινοῦσι στρατόν.
Τούσδ᾽ ἔχω. Κἀγὼ δ᾽ ἔμαρψα. Δεῦρο, δεῦρο πᾶς ἀνήρ.
Τίς ὁ λόγος; Πόθεν ἔβας; Ποδαπὸς εἶ;

685. Quae hic alius atque alius ex choro cum Vlysse agunt, mirifice torserunt criticos. Librorum scripturae satis planam monstrant emendandi viam, cuius partem vidit Musgravius:

ΟΔ. Ἴσχε. Χ. Θάρσει. Πέλας ἴθ'. ΟΔ. Οὔπω.
Χ. Παῖε, παῖε πᾶς; Τίς εἶ;
Ἦ σὺ δὴ Ῥήσου; ΟΔ. Κατέκτας. Χ. Ἀλλὰ τὸν
κτενοῦντα σέ.
ΟΔ. ἴσχε πᾶς τις. Χ. Οὐ μὲν οὖν. ΟΔ. ἆ,
φίλιον ἄνδρα μὴ θενεῖς;

Hastae cuspide tactus Vlysses exclamat, occidisti. At, respondet Troianus, occisurum.

693. Scribe:

τίς, ὃ μέγα θράσος ἐπεύξεται
χέρα φυγὼν ἐμάν;

Χέρα etiam Morstadius p. 41.

703. Legendum:

τίς ἦν; πόθεν; ποίας πάτρας;
ποῖον ἐπεύχεται τὸν ὕπατον θεῶν.

708. Scribe: *τίς; ἀλκὴν τίν' αἰνεῖς;*

711. Scribe *πόλιν.*

714. Scribe *κρύφιος.* Vidit Morstadius p. 41.

720. Legendum, *ὄλοιτ', ὄλοιτο πανδίκως.*

725. Repone, *τί δρᾶσαι; τί ταρβεῖς;*

729. Corrige:

Χ. Ἔα,
Σῖγα πᾶς. Ὑφιζ'· ἴσως γὰρ εἰς βόλον τις ἔρχεται.
ΗΝ. ἰώ,
συμφορὰ βαρεῖα Θρηκῶν. Χ. συμμάχων τις ὁ
στένων.

In his *ὕφιζε* Reiskio debetur.

738. Lege *Τρώων.*

752. Huic versui signum interrogationis apponendum.

762. Recte cod. Havn.

ἐπεὶ γὰρ ἡμᾶς Ἕκτορέα χεὶρ εὔνασεν.

Quod in Etym. M. p. **451**, **50**. legitur, *βασίλεια χείρ*, et p. **461**, **45**. *Πολυδεύκεια χεὶρ καὶ Ἀγαμεμνόνεια*, non minus pravo accentu est, quam *βασίλεια ἰσχὺς* apud Aeschylum Pers. **591**. correctum demum a Blomfieldio. Scholiastes ibi: *ἰστέον ὅτι τὸ βασιλεία καὶ τὰ τοιαῦτα πάντα κτητικὰ μακρὸν ἔχει τὸ α.*

766. Iusto temerius recepta est Musgravii coniectura *κλῇθρα*. Recte libri *πλῆκτρα*. Homerus, quem sequitur noster, Iliad. *ψ*. **510**.

κλῖνε δ' ἄρα μάστιγα ποτὶ ζυγόν.

Motus est autem, ut id diceret, his in Dolonea verbis v. **498**.

τόφρα δ' ἄρ' ὃ τλήμων Ὀδυσεὺς λύε μώνυχας
ἵππους,
σὺν δ' ἤειρεν ἰμᾶσι καὶ ἐξήλαυνεν ὁμίλου,
τόξῳ ἐπιπλήσσων, ἐπεὶ οὐ μάστιγα φαεινὴν
ποικίλου ἐκ δίφροιο νοήσατο χερσὶν ἑλέσθαι.

785. Nihil mutandum. *Ἀντήριδες* sunt obices.

790. Scribe *δεσπότου πάρα*.

820. Huic antistrophae frustra quis admoveat timidam et in torquendis litterarum figuris acquiescentem manum. *Ἀγὼν* a Cantero ex coniectura adiectum vix verum. Probabilius suppleas *θεόθεν ὅδε κλύδων*. Tota stropha hunc in modum refingenda:

ἰώ, ἰώ,
μέγας ἐμοί, μέγας . . . . . .
ὦ πολιοῦχον κράτος,
τότ' ἄρ' ἔμολεν, ὅτε σοι
ἄγγελος ἦλθον ἀμφὶ

ναῦσι πυραῖθον Ἄργος,
ἐπεὶ ἄγρυπνον ὄμμ᾽ ἐν εὐφρόνῃ
οὔτ᾽ ἔκοιμισ᾽, οὔτ᾽ ἔβριξεν, οὐ τὰς
Σιμοεντιάδας πηγάς.
μή μοι κότον, ὦναξ,
τόδε θῇς· ἀναίτιος γὰρ
πάντων . . . .
ἦν δὲ χρόνῳ παρὰ καιρὸν ἔργον ἢ λόγον
πύθῃ, κατά με γᾶς
ζῶντα πόρευσον· οὐ παρκιτοῦμαι.

837. Malim *μακροῦ γάρ.*

854. Videtur insolentiore cum crasi scripsisse *οἳ οὐδ.*

863. Interpunge: *δέδοικα δ᾽ αὐτόν,* (*καί τί μου θράσσει φρένας*) *μὴ καὶ Δόλωνα συντυχὼν κατακτάνῃ.*

877. Scribe *ἄγοντες δ᾽ αὐτόν.*

898. Scribe:

ἔκελσας ὁδὸν ποτὶ γᾶν
δυσδαίμονα καὶ μελεάν,
ἀπὸ μεμψαμένας ἐμοῦ πορευθείς,
ἀπό τ᾽ ἀντομένου πατρός, βιαίως.

909. Imperitissimus fuisset hic poeta, si hic *ἀριστοτόκοιο* scripsisset: nec profuerit, quod haec forma non plane inusitata est tragicis: quod moneo eorum caussa, qui exempla ab exemplis distinguere negligunt. Attuli quidem hunc versum in exemplis genitivi ad hunc modum formati, quae apud tragicos exstant, ad Orph. p. 724. sed aegre, Rhesi scriptori ignoscendum ratus, quod in alio graviter reprehendendum esset. Sed liberarunt eum hac culpa libri MSS. *ἀριστοτόκου* praebentes. Quae sequuntur, sic scribenda:

ἅ τε, προλιποῦσα δόμον,
Φρυγίων λεχέων ἔπλευσε πλαθεῖσ᾽,

ὑπό τ' Ἰλίῳ ὤλεσε μὲν τὰ Τροίας
φίλτατα.

919. Restituenda librorum scriptura *διαῤῥοάς*, quod Euripidi canales significat.

928. Recte emendatum *βρότειον* in commentariis Edimburgensibus.

950. Recte puto Valckenarium coniecisse *τροχηλάτης*.

970. Recte Musgravius *τῆς ὑπαργύρου χθονός*. Idem vidit, quae sequuntur, de Lycurgo intelligenda esse, ex quo apparet veram esse duorum codd. scripturam, *Βάκχου προφήτης ὥστε Παγγαίου πέτραν ᾤκησε*.

ORATIO IN EXSEQVIIS REGIS FRIDERICI AVGVSTI

D. XVIII. IVNII A. MDCCCXXVII.

Qui mire felices fuimus, auditores, diuturno prope un- 3
desexaginta annorum imperio FRIDERICI AVGVSTI, in summum nunc sumus luctum coniecti, quum tandem evenisse videmus, quod etsi evitari non posse satis sciebamus, tamen consuetudine fiduciam faciente longius ac longius credebamus dilatum iri. Insita est enim a divina providentia animis hominum perpetua vitae comes spes, quae quum diu non est concussa, tam altas solet radices agere, ut non solum non minui auctis metuendi caussis debilitarive, sed saepe augeri atque corroborari videatur. Ita nos quamquam communem mortalium sortem etiam optimo regi instare sciebamus, tamen quem tot annos firmis atque integris et corporis et animi viribus usum vidissemus, de die in diem securi eumdem servaturum esse vitae cursum confidebamus, quum necopinantes subitus mortis nuncius afflixit. Estque id tanto minus mirum, quod multo maxima nostrum pars illo ipso rege sumus nati, perpaucique reperiuntur, qui se vel Xaverii principis tutelam, vel breve regnum Friderici Christiani vidisse meminerint. Vnde a teneris annis illum rerum nostrarum moderatorem habere assueti,

ita eum nostrum esse putabamus, ut pene non videre-
4tur abstrahi a nobis posse. Quod si vel per se non mediocrem aegritudinem affert longae consuetudinis interruptio, quanto maiorem necesse est atque acerbiorem dolorem esse, quum, cui adsueveramus, non leve aliquod et exiguum bonum, sed magnum est, sed eximium, sed illud, in quo omnis spes nostra et salus erat reposita. Iustus est, cives, iustus est moeror, qui animos nostros tenet amisso rege, quem ante alios reges sapientia eminentem divinitus nobis datum gloriabamur; quem non vocabamus tantum patris nomine, sed ut patrem venerabamur et amabamus, in eumque ut in exemplum virtutis intuebamur; per quem, ex quo plerique lucem vidimus, et ipsi viximus felices, et patriam ex antiquis pariter ac novis cladibus non modo emersisse, sed laetissime effloruisse vidimus. Fas est quidem, deo optimo maximo summas agere gratias, quod hunc eximium principem per tam longum spatium, quantum paucis contigit populorum rectoribus, rebus nostris sivit praeesse: sed fas est etiam debito luctu prosequi ingentem neque umquam satis deflendam, quam eius obitu fecimus, iacturam. Quamquam quum id facere aggredior, ipsa me huius iacturae magnitudine conturbari sentio ac pene deterreri. Quum enim ea et iustissima esse et convenientissima doloris significatio videatur, quae posita sit in commemoratione rerum gestarum, quibus ille insigne reddidit regnum suum; in contemplatione meritorum, quibus aeternam sibi condidit memoriam; in enumeratione beneficiorum, quibus sibi universos cives ad gratiam obstrinxit; in recordatione virtutum, quibus caritatem sui
5populi, venerationem gentium omnium, admirationem et aequalium et posteritatis est promeritus: tam infinita haec est atque inexhausta materia, ut, si omnia plene exponenda, perspicue explananda, copiose exornanda sint, vix exiguam eorum partem capere qui huic orationi praescripti sunt termini possint, ingenii autem dicendique artis facultates non meis tantum multo maiores haec ubertas atque amplitudo argumenti requirat, sed tantas,

quantis etiam qui maximis polleat vix satisfacturum esse exspectationi vestrae putem. Quin tali tamque admirabili regi parentantem etiam pudor quidam et verecundia praepedit, vocemque compescit. Quum enim ille, si quisquam rex, vel propter diuturnitatem regni multitudine praeclare institutorum, vel propter sapientiam magnitudine meritorum, vel propter temporum graves vicissitudines constantia in fortunae discriminibus insignem quamdam ac praecipuam laudationem sibi postulet, quis est tamen non modo bonorum, sed etiam malorum principum, atque adeo saevissimorum tyrannorum, cui non seu vivo seu mortuo tanta etiam summorum hominum praeconia contigerint, ut, si immeritos vel necessitas vel mos vel adulatio ad caelum extulit, non habeant amor et ius et pietas, quod maius dicant de eo qui meritus est. At nec decet, auditores, nec licet isto modo laudari regem, quem, si ullum umquam principem, cives eius non coacti, sed sponte; non quia mos est, sed ultro; non ut quemquam adulentur, sed ex animo laudant, celebrant, in sinu atque ore gerunt. Ea potius ratione colenda est memoria praecellentissimi regis, quam ipse solam esset probaturus, si qui sensus est6 mortuis eorum, quae ab iis quos reliquerunt aguntur. Nam qui in omni vita, maior concupiscendae inanis gloriae vanitate, recti tantum verique studiosus fuit, quid is post mortem sibi expetat, nisi simplicem, sed candidam sui in nos amoris recordationem? Etenim quid aliud tota eius vita fuit, quam summi patriae civiumque amoris perpetua atque indefessa testificatio? Quae res natura sua ita est comparata, ut divinam eius vim facilius omnes sentire, quam quisquam ornare verbis possit. Nam quae recte fiunt, probari potius quam laudari solent, nec percellunt animos insolentia, sed oportere ita fieri existimantur: quod contra quae in ancipiti inter vitium et virtutem discrimine bene cesserunt, admiratione animos implent consilio et sapientiae tribuentium, quod temeritati et fortunae debebatur. Sed qui recto et sobrio utuntur iudicio, contrariam tenent sententiam, eam censentes

ut veram, ita summam laudem esse, si quis vitando quod reprehendi possit non novitatem, sed utilitatem captet; si aequabili tenore servando ex multis potius et continuis beneficiis certum et magnum bonum, quam ex aliquot insuete factis ambiguam et saepe parum salutarem gloriam consectetur; si non concutiat rempublicam, sed stabiliat; non turbet rerum ordinem, sed turbatum leniter reponat; non exhauriat et debilitet opes, sed augeat et firmet; ut paucis complectar, si sit benefici solis instar, qui immutabili lege quotidie et lucem mitibus radiis et fecundantem arva calorem diffundit. Itaque abstinendum
7 puto ab enumeratione infinitorum beneficiorum, quibus FRIDERICVS AVGVSTVS hoc longum regni sui tempus nobilitavit, relinquendumque hoc argumentum historiae, cuius proprium munus est, illa tot saluberrima instituta, tot sapientissimas leges, tot prudentissima consilia, tot generosissima facta persequi, quibus quum universa respublica, tum singulae eius partes sustentatae, emendatae, auctae, adiutae sunt. Illud potius agamus, ut quae summa sunt horum omnium capita paucis comprehendamus, consideremusque, quibus potissimum rebus id sit assequutus, ut nobis, qui eum regnantem vidimus, summum sui desiderium, posteris autem gratissimam in omne aevum memoriam reliquerit.

Ac videntur mihi, auditores, ea quibus excellere atque eminere ante alios regis personam volumus, si quis brevi complectatur, his quattuor contineri virtutibus, scientia rerum, quibus ad regendam civitatem opus est, iustitia, animi magnitudine, pietate. Nam illud quidem sponte patet, in omni genere negotii, quod quis recte gerere velit, cognitionem requiri illorum omnium, in quibus natura et ratio posita sit eius negotii: quod quae quis aut non habet aut male cognita, ea, nisi casu, non recte nec salutariter tractabit. Quare hanc scientiam quis dubitet omnium primum ponere, quo principi opus sit: qua si caret, caeterae virtutes, quantumvis egregiae sint, tamen nonnumquam vacillant, aliquando etiam nocent.

Sed ad illam regendae reipublicae peritiam altera accedere debet iustitia, quae moderatrix est scientiae, facitque ut usus eius ne infructuosus neve damnosus evadat, 8
sed ad incolumitatem potius et prosperitatem conferatur. Neque vero in iustitiae accessione est acquiescendum, sed indiget reipublicae administratio etiam animi magnitudine, quo nomine aequabilitatem illam et constantiam et fortitudinem appellamus, quae futura aeque ac praeterita cogitatione comprehendens, nec secundis effertur, nec deprimitur adversis, sed certo et stabili consilio firmum atque immutabilem tenet rerum gerendarum cursum, quo civitates multo magis vigent et roborantur, quam audendi temeritate et levitate tentandae fortunae. Nec denique deesse his virtutibus debet pietas, quae facit, ut princeps supremum rerum humanarum arbitrum deum esse meminerit, quem reverens et ipse integram ac sanctam vitam agat, et exemplum quod imitentur praeeat civibus. Quae virtus eo praestantior in rege eoque magis necessaria est, quod hunc quum ii, qui ei proximi sunt, imitari solent, tum ab his in universum populum iidem sensus, iidem mores diffunduntur.

Haec nobis considerantibus, auditores, quid est quod animos non maxima desideratissimi regis admiratione et veneratione impleat? Quae est enim illarum quas dixi virtutum, quam in eo non ita eximiam, ita illustrem fuisse sciamus, ut non modo qui eum superaverit, sed qui comparari cum eo possit, vix ullum inveniamus, praeter patrem eius Fridericum Christianum. Sed dicam ordine de singulis. Atque ille Fridericus Christianus, qui sapientia sua misere perditas res patriae brevissimo tempore incredibili quodam ac prorsus divino modo re- 9
stituit, quum, ut ipse erat optimis artibus eruditus, etiam filio **FRIDERICO AVGVSTO** clarissimos et peritissimos dedisset magistros, horum ille praeclara institutione sic est formatus, ut quum ab nullo genere scientiae abhorreret, tum illas doctrinas, quibus in primis opus esset ad regendam civitatem, cognosceret accuratissime, historiam populorum, terrarum situs, naturas, proventus, gen-

tium inter ipsas commercia et coniunctiones, artium utilitates atque incrementa, maximeque ipsius patriae leges, instituta, opportunitates: quibus in rebus ita eum versatum fuisse constat, ut corrigere errantes facilius, quam a quoquam ipse falli posset. Itaque quum intelligeret, ubi ad gerendam rem publicam accessit, perficiendum sibi esse, quod patris sapientia inchoaverat, ut patria quum aeris alieni magnitudine oppressa, tum aliis multis laborans malis, liberaretur illis incommodis et ad prosperum opum statum eveheretur: eam est viam ingressus, quae ipso eventu luculentissime ostendit, quam recto et provido usus fuerit consilio. Primum enim in rebus omnibus eam adhibuit parsimoniam, quae longe remota ab avaritia, neque ullo cum dignitatis detrimento, inutiles pecuniarum profusiones vitaret, sumptusque, qui nimii viderentur, coerceret, quo liberaliori esse liceret in iis rebus, ex quibus verae essent commoditates redundaturae. Deinde quum bene sciret, quantum in fide publica repositum esset rerum omnium, quae vel a principe vel a populo gererentur, praesidium atque adminiculum, hanc ita sustinuit, ut, quamvis gravissima et difficillima tempora inciderent, tamen tesserae Saxonicae, ut nulli periculo expositae, numquam, dum ipse rebus nostris praefuit, ad illam fluctuationem et vilitatem pretii, quam in aliis vidimus, deprimerentur. In quo genere illud non est praetereundum, quod, quum essent qui monetam viliore aere temperari suaderent, reiecit illud consilium, male compensari praesente lucro iudicans quod in posterum civium commerciis damnosum foret. Quam eius sententiam vehementer collaudarunt, qui illarum rerum gnari sunt, contendentes illi eas civitates optime commerciis suis et opibus prospicere, quae et constantissime eadem moneta, et ea quam minime per mixturam vitiata uterentur. Multo autem maximum et quod numquam satis laudari potest beneficium FRIDERICI AVGVSTI hoc fuit, quod, quum eam demum civitatem recte et valere et florere intelligeret, quae se suis ipsa viribus firmaret et roboraret, omnem operam dedit, ut et

mercaturae et litterarum, quae duae res in hoc genere potissimae sunt, liberrima essent commercia. Nam sicut corpus humanum validum est et viget, quum sanguis, qui omnes venas permeat, nusquam retardatus obhaeret, sed libere fluit ac refluit; quum autem reprimitur sanguis et obstructis meatibus stagnat, debilitas et aegritudo et morbus consequitur: ita etiam civitas, quo liberiores sunt mercimoniorum et importationes et exportationes, ad industriam, ad sollertiam, ad aemulationem, omninoque ad omnem artium et cultus perfectionem excitatur: quae res ita per omnem quum universi populi, tum singulorum civium vitam et negotia permanant, ut nihil usquam 11
sit, quod non alacrius ferveat uberiusque efflorescat. Et quis non videt hoc modo, quum civium facultates et commoditates augentur, etiam civitatis opes ipsiusque principis crescere, quum caeteris rebus omnibus largiorem fructum praebentibus, tum per ipsa vectigalia, a quibus praecipui quidam solent reditus sperari? Nam haec quo maiora imponuntur, quoque curiosius exiguntur per multiplices non mercatorum tantum, sed civium omnium vexationes, eo magis spem illam frustrari consueverunt: quo autem sunt minora, quoque faciliores et expeditiores negotiationes, eo reperiuntur ad reditum ampliora, quia et plura importantur atque exportantur, et nulla aut perexigua fraudi relicta est opportunitas. Videbat rex prudentissimus, magnum vectigal non modo facere, ut iacerent mercium commutationes, ut negligerentur artes, quibus opes parari possent, sed etiam ut ad fraudes coercendas magno exactoribus esset administrorum numero opus, in quos ipsos homines non minima pars redituum esset insumenda, quo fieri non posse quin multum de sperato lucro rursus periret; quodque summum est, ut non occurreretur fraudationi, sed invitarentur etiam et pene cogerentur cives aeque ac peregrini, ut circumvenire exploratores illos studerent: idque longe gravissimum damnum esse, quod inferri civitati posset. Namque mores corrumpit non vulgi tantum atque abiectae plebis, sed etiam eorum qui culti, qui eruditi, qui honesti, qui

nobiles habentur, ita ut vectigalia defraudare non modo
12 non turpe sibi ducant, sed palam astutiam suam et calliditatem iactent. Haec tanta tamque pestifera damna FRIDERICVS AVGVSTVS sapientissime removit adiuvanda omnibus modis libertate mercaturae. Idem vero non minus etiam sensus civium suorum voluit liberos esse. Nam illud rex eruditissimus egregie perspexerat, omnium minime mentes hominum atque ingenia vinculis debere constringi, nec quidquam tam et absonum et impium esse, quam rationi, quae natura libera est, frena velle iniicere, hominemque unico illo dono privare, quo eum deus a bestiis ad sui similitudinem evehere est dignatus. Nam si eo homines sumus, quod ratione utimur, quid aliud illi quam hominem in homine interficiunt, qui sentiendi adimunt libertatem? Considerate historias gentium, auditores. Qui id fecerunt, non fuerunt alii, quam qui teterrima et crudelissima dominatione saevierunt: quorum duo sunt genera, alterum eorum, qui sunt tyranni vocati, alterum, qui superstitionibus animos hominum impleverunt, quo eos dei metu territos in sua potestate continerent. Vtrique ut suam dominationem conservarent atque amplificarent, quid non turpissimarum machinationum, quid non saevitiae et crudelitatis excogitarunt, quo prohiberent, ne quis vel loqueretur vel sentiret liberius? Sed bene est, quod etiam animorum cultui atque eruditioni suus ab rerum natura destinatus est cursus, quem tantum abest ut vel mutare vel morari ulla vis possit, eum ut tutetur potius atque acceleret. Nituntur enim in vetita homines, tantoque cupidius et saepe violentius postremo
13 sibi vindicant negata, quo maiora incrementa cepit diu repressa indignatio. Illustre exemplum ipsi vidimus gravi casu potentissimi nuper tyranni, ut mirum sit, spem istam ingenia obtundendi et hebetandi, licet cautius incedentem, specie minus formidabili praetenta, tamen non ubique, ut in contrarium ruat, animadvertisse. Quam alia mens fuit FRIDERICI AVGVSTI. Nam quid ille aut sibi metueret, quum eum amarent omnes, aut timeret civitati, quae satis esset adversus res novas malasque fa-

ctiones per libertatem et felicitatem civium munita? Immo vacuus ille formidine omni sic quum civibus optime consultum, tum se tutissimum esse censuit, si, quidquid sentiret aliquis, vel dicere vel scribere, modo iniuria et contumelia et flagitium abesset, licitum sibi videret. Quo effectum est, ut Saxonia domicilium litterarum, officina artium, sedes eruditionis, fons sapientiae, arx et praesidium recti et veri esse perseveraret. Non autem satis habuit, impedimenta litterarum studiis nulla obiicere: adiuvit etiam ea studia providissime et liberalissime. Scientibus dicerem, si commemorarem, quibus institutis et beneficiis haec Academia et ante sua fata Vitebergensis auctae sint et cumulatae; qua munificentia rei metallicae instrumentum artesque Fribergae et sustentatae et locupletatae; qua cura scholasticae disciplinae ita prospectum, ut scholae Saxonicae seminaria essent accuratae doctrinae, exemplaque imitanda exteris, avulsamque a nobis Portam ut eximium ornamentum suum foveant vicini nostri. Neque vero illud tacendum, quod in his omnibus, quibus has littera- 14
rum artiumque officinas instruxit adiumentis et praesidiis, etiam ea est moderatione usus, ut rationem modumque tractandi litteras iudicio relinqueret eorum, quos illi negotio ut idoneos prudentesque viros praefecisset. Hanc enim sibi legem quum in omni rei publicae administratione, tum in regendis studiis litterarum et sapientissime scripserat et constantissime observavit, ut quae per se crescere et vigere deberent, impedimentis potius liberaret, quam praescriptionibus impediret. Nam ars regnandi non in iubendo, sed in avertendo est posita: atque ut medici, qui sano corpori medicamenta ingerunt, excitant potius morbos, quam ut depellant; optime autem prospiciunt valetudini, qui noxia removere satis habentes, caetera naturae viribus permittunt: sic etiam artes populares et studia civium, modo quae nocere possint arceantur, facillime ipsa sese sustentant, alunt, perficiunt: in primisque litterarum studia hoc habent proprium, ut neque normam sibi praescribi patiantur, et arbitrii dominationem ab se spernant. Neque enim inane nomen, sed

res vera est litterarum litteratorumque respublica, quae non terrarum aut locorum finibus est inclusa, sed in mentibus atque animis hominum, quacumque litterarum lumen penetravit, suum habet domicilium; quae non hominum voluntati obtemperat, sed aeternae paret legi pandentis sese magis magisque veritatis; quae non vi ulla expugnari aut ullas per insidias subigi potest, sed invicta necessitate crescit atque amplificatur; quae ab ipso deo imperata est generi humano, tenditque eo, ut, quoniam homines omnes ad veri cognitionem sumus nati, postremo universam hominum gentem scientiae communione consociet. Id quid miremur perspectissimum fuisse sapientissimo regi, qui non solum non alienus erat ab litteris, sed iis otium, quod a publicis negotiis concederetur, impendebat studiosissime, ut adeo in eo genere doctrinae, quo praecipue delectabatur, versatissimus esset et scientissimus? A tali igitur rege, qui ipse esset in numero hominum doctorum, quid aliud exspectari potuit, quam quod facto comprobavit, ut studiis litterarum, a quibus non minus utilitatis quam ornamenti sciret in rem publicam redundare, tantam, quanta maxima esset libertas, concederet?

Videtis, auditores, id eum, ut sapienter fecit, etiam iuste fecisse. Atque iustitia, quae secunda est illarum virtutum, quarum ante feci mentionem, quanta in FRIDERICO AVGVSTO fuerit, vel illud documento est, quod ei etiam vivo Iusti est cognomen additum. Est autem regum iustitia eo pluris facienda, quo plus invitamenti potentia ad iniustitiam habet. Quare si qui rex ea est temperantia, ut se non exemptum esse legibus, quibus caeteri parere debeant, intelligat, vel hac re longe est homine privato qui iustitiam colat venerabilior: multo vero maximum est illud, quod regis iustitia firmamentum est civitatis certissimum, universaeque rerum publicarum administrationis potentissimum praesidium, neque id tantum in civium inter ipsos negotiis, sed etiam ad ea quae publice geruntur, rationesque quae

civitati cum aliis civitatibus intercedunt. Hanc iustitiam 16
FRIDERICVS AVGVSTVS in omni vita ita integram illibatamque servavit, ut nihil susciperet, nihil gereret, in quo non ante omnia iustumne esset exploratum haberet. Itaque ut ipse se in rebus omnibus iustissimum praebuit, sic etiam in civitate non modo nihil, quod non iustum esset, ferendum censuit, sed curavit etiam, ut quam aequissimo iure uterentur cives. Quumque tribus maxime in rebus periclitari videret iustitiam, propensione hominum ad vitium, iudiciorum parum aptis institutionibus, legum denique ipsarum iniquitate: singulis hisce rebus peculiarem curam impendit. Itaque aedes praebuit apteque instruxit, in quibus malefici non solum includerentur, sed etiam ad operas utiles adhiberentur, mendicorumque multitudo, ex qua maximus sceleratorum proventus esse solet, coerceretur: tum autem iudiciorum rationem, remotis publicanis, simpliciorem magisque expeditam reddidit: denique leges recognosci iussit, ut quae iniquius statuta vel temporibus non accommodata essent, abrogarentur emendarenturve. In quo genere illud iam vetustate pene oblitteratum est, quod brevi postquam regnum est adeptus, inhumanum illum morem reos in tormenta mittendi sustulit: in quo more non feritas magis, quam iniustitia erat vituperanda. Verum ita ille ab antiquissimis temporibus etiam apud cultissimas gentes inveteraverat, ut iustissimum haberetur, quod est iniustissimum. Sed hanc quidem inhumanitatem expellere recti dumtaxat iudicii fuit: illud maius est atque praeclarius, quod etiam in eo genere, in quo 17
pauci animum a propensione et cupiditate liberum conservant, summa est aequitate et iustitia usus, rationes dico, quae sunt inter diversas religionum sectas, et iura, quibus illae vel in civilibus rebus vel in sacris utuntur. Tantum enim abfuit, ut ei parti, cui ipse addictus esset, impensius faveret, ut peraeque omnium iura custodiret sanctissime, neque alteros alteris ullo modo pateretur incommodare: cuius constantiae quum plurima habeamus atque egregia documenta, tum novum paullo ante eius

obitum accessit sapientissima lege, qua de rebus illis cautum est providissime. Quid dicam de eo, quod in motibus illis, quibus ante aliquot annos universa Europa est concussa, suis contentus esse quam adiungi iis ea, quae non essent sua, maluit? quod in magna, quae insequuta est, conversione Germaniae facilius passus est minui regnum suum, quam ut commutaret cum alio, desereretque eos, quos sibi commissos crederet, Saxones suos? Non haec iusti tantum, sed etiam magnanimi regis facta sunt.

Atque haec animi magnitudo tertia est illarum virtutum, quas in orationis nostrae initio diximus maxime regem ornare. Haec tanta erat in **FRIDERICO AVGVSTO**, ut neque secundis rebus ad superbiam efferretur, neque in adversis animum abiiceret; ut neque laudem et gloriam captaret, nisi quae vera esset et posita in salute et felicitate civium, neque opes et potentiam expeteret, nisi quas iure et non laedendis aliis sibi pareret; ut contemneret, quae vi, quae dolo, quae largitionibus essent quaerenda, probaret autem, quae aequitate, quae fide,
18 quae bene merendo liceret consequi. Itaque quum Poloni, infelicissimus, sed excelsae indolis populus, eum propter virtutes eius regem sibi expeterent, neque regni est cupiditate captus, neque honorificentissimo liberrimae nationis iudicio commotus, sed magno animo detrectavit, quod non profuturum esse patriae suae arbitraretur; ipsumque Saxoniae regis nomen quum suscepit, necessitati cessit, finem properanti imperii Germanici. Tum autem eo in bello, quo gentes dubiis conatibus excutere coeperant adsueti victoriis hostis servitium, fidem datam servare, ut barbari militis crudelitatem a populo suo averteret, quam fortunae tum quoque, nisi deus averruncasset, fallaci salutem civium committere maluit. Quid denique illa dicam tristissima tempora, a quorum recordatione animus refugit, quum ab externo hoste liberata Germania in sanandis quae acceperat vulneribus est fluctuata? quanta fortitudine tum **FRIDERICVS AVGVSTVS** in-

dignitatem fortunae tulit, quanta constantia illam rerum adversarum atrocitatem sustinuit, quam invicto animo totus in eo fuit occupatus, ut crudelissime laceratam patriam reficeret, refectamque firmaret. Moeror et questus tenebat cives; dolor perceperat etiam exteros: ipse non fractus, non perturbatus, non commotus, non indigens solatii, consolari potius miseram patriam studebat: tantaque id fecit sapientia, ut Saxonia, quamvis omni genere infortunii confecta, tamen et citius caeteris Germaniae partibus et rectius restauraretur, cumulateque comprobaretur, iustam fuisse effusam illam laetitiam, qua ex diuturna absentia reversum desideratissimum regem, 19
in quo solo omnis spes esset reposita, exceperunt sui cives.

Nimirum hic pietatis fructus est, ut quis dei sapientissima rerum omnium gubernatione confisus, dum officium suum faciat, aequo animo ferat fortunae ludibria. Erat autem haec optimi regis pietas ea, quae digna esset hoc nomine: quam operae pretium est, auditores, considerare accuratius, et videre qualis fuerit. Nulla enim magis ambigua virtus est; nulla, quae proclivior sit ad vitium; nulla, quae et facilius et saepius specie sui stuporem, superstitionem, fraudem, flagitium tegat. Nam quid umquam stulte, dolose, avare, intemperanter, libidinose, crudeliter factum est, cui non pietatis et religionis, cui non huius etiam purissimae religionis, cuius nos lumine fruimur, nomen fuerit praetextum? Saeviunt hodie quoque in se invicem non modo qui diversos divinae mentis interpretes venerantur, sed etiam qui eumdem colunt, atque adeo in his quoque nonnulli, suam privatim religionem habentes, caeteros ut impios vel contemnunt vel insectantur. Et hi omnes vel credunt se pios esse, vel credere id alios volunt. Quantum ab horum hominum sive inscitia sive perversitate distabat illa, quam in FRIDERICO AVGVSTO et vidimus et admirati sumus pietas. Scilicet vera illa erat pietas, qualem hodie non apud permultos etiam piissimorum invenimus,

usitatam autem novimus apud antiquiores, et vidimus in patribus nostris: quae non disceptare subtiliter de rebus divinis, et, si cui quid aliter videretur, ut impium
20 damnare, se vero suis opinionibus deo placere aequum censeret, sed quae pura ac simplici mente deum reverens, sanctitatem eius factis studeret imitari, piumque esse iudicaret, quicumque recte faciendo cuperet deo probari. Bene enim intellexerat rex sapientissimus, vim religionis omnem et summam in eo esse positam, ut dei reverentia ad virtutem colendam adduceremur, datamque hominibus religionem esse ipsorum, non dei caussa: cuius sanctitas quoniam maior est, quam ut eam capere mens humana possit, non nisi tenuem eius imaginem veluti per nebulam nobis cernere est concessum, ut sacro horrore perfusi ad iustitiam et aequitatem et humanitatem animos convertamus. Quam verae pietatis vim paucis verbis praeclare complexus est C. Cornelius Tacitus, quum de priscis Germanis scripsit: „deorum nominibus appellant „secretum illud, quod sola reverentia vident.“ Nam quae illa est pietas nonnullorum, qui non satis habentes sola reverentia secretum illud videre, sed singularem quamdam eius cognitionem sibi contigisse rati, precibus potius et supplicationibus et piaculis, quam recte honesteque factis dei gratiam captant, eos autem, qui non sunt isto modo pii, odio persequuntur, nimis illi, si verum dicere fas est, immemores huius quam profitentur religionis, quae mutuum amorem ut primum et sanctissimum officium commendavit, atque ad rationis usum, quod eum non pertimescit, excitavit homines, eoque ipso vere divina esse cognoscitur, quod consentit cum ratione, quam supremam habemus arbitram eius, quod divinum est et et quod non divinum. Non haec simulata et fucata pie-
21 tas erat in FRIDERICO AVGVSTO, sed vera illa, quae et vitae sanctitate et clementer habenda aliorum fide continetur. Ac de vita eius quid dicam, quae tam pura, tam casta, tam sobria, tam omnis labis expers fuit, ut vix inveniatur, qui aequiparari ei possit: quid autem illam animi aequitatem et moderationem commemorem,

qua hominum de rebus divinis opiniones ut sacras est reveritus, nec probitatem cuiusquam aut utilitatem ex fidei professione, sed fidei bonitatem ex probitate animi iudicandam putavit? Hoc ille modo per omne vitae tempus suam dei reverentiam est testatus, et hunc ad finem cultum dei, ut quo animus ad rerum humanarum contemptum et aeternae veritatis amorem erigeretur, religiosissime obibat, nec videbatur, sed erat pius, piosque, qui essent pii, non qui simularent aut iactarent pietatem, existimabat, quid quisque crederet non suo arbitrio subiectum, sed relictum cuiusque conscientiae ratus, eam autem si non veram, at nec malam neque impiam fidem esse iudicans, quae ad vitae integritatem et sanctitatem homines adhortaretur.

Hic ergo, auditores, tam sapiens, tam iustus, tam magnanimus, tam pius rex nobis ademptus est, et conditum sepulcro iacet aeternaeque quieti traditum sanctum illud et carum caput, nec posthac frui licebit, quo tantopere gaudebamus, oris illius adspectu, in quo maiestas temperata erat clementia, in quo severitas coniuncta erat cum benignitate, quod nemo intuebatur, quin eius animo simul et reverentia et fiducia et amor instillaretur. Itaque moeret mutuae caritatis dulcedine privata, socia ab 22
ipso regni aditu per omnes fortunae vicissitudines, Coniux Augustissima; luget paterni alloquii suavitate orbata Serenissima filia; moesti desiderant fratris consuetudinem sapientesque sermones Regii Fratres; exemplum suum tristes requirunt patruae virtutis aemuli Principes; lacrimis luctuque tota correpta est Domus Augusta: tu autem, o patria, quem regem, quem tutorem, quem gubernatorem, quem civium patrem amisisti. Luges, meritissimo luges, neque habes, quo pro tot tantisque acceptis beneficiis optimi regis exsequias ornes, praeter lacrimas: miscentque lacrimas cum tuis suas, qui prius regni communione iuncti, nunc divisi, aliis parent rectoribus: tota dolet Germania, quae bis illum, quum stabat, solutum nunc, sacrum imperium Germanicum, vices Imperatoris

gerentem vidit: fatenturque caeterae quoque nationes, optimum, sapientissimum, sanctissimum regem obisse. Veniunt in societatem doloris nobilissimae Caesarum regumque gentes, ex quibus unus, Saxonum quondam fortitudinis spectator, fortis ipse, meritorumque Saxonum regis iudex incorruptus, sumpta ante rite acceptum mortis nuncium lugubri veste, pulcerrimum dedit testimonium, non nomen se regium, sed regis virtutem honorare. Et profecto quid maius, quid divinius est rege, cuius parentatio luctus, cuius praeconium amor populi, cuius monumentum felicitas civium est? Finem facite lacrimis. Solamen luctus est, caussas habuisse lugendi. Neque obiit ille, sed vivit: vivit condita prosperitate rerum nostrarum;
23 vivit fundata felicitate patriae; vivit grata recordatione aequalium, piaque memoria posteritatis. Quid? Immo, quod maius est, vivit superstesque est sustinenda, alenda, augenda re Saxonum per successorem suum, nunc regem nostrum, ANTONIVM. Fraternus sanguis, fraterna mens, etiam si non promisisset quod promisit, certissimum est eorumdem consiliorum, eiusdem providentiae, eiusdem patriae amoris pignus. Salve ergo, rex ANTONI, vosque salvete, superstites in ANTONIO rege sancti manes FRIDERICI AVGVSTI, praesentique numine vestro tuemini porro terram, populum, virtutem Saxonicam. Hunc iam regem nostrum ANTONIVM, te pie precamur, deus optime maxime, ut quam diutissime salvum esse velis, omnique bees genere felicitatis; hunc cum Augustissima Coniuge, universaque Domo Augusta et nobilissima Principum Saxonicorum gente, lenito tuae providentiae fiducia quo nunc afflicti sunt dolore, protegas et bonis cumules, faciasque ut incolumis perstet incliti tot magnis nominibus generis antiqua gloria.

IN NVPTIAS

FRIDERICI PRINCIPIS

ET

CAROLINAE AVSTRIACAE

D. XXVI. SEPT. A. cIↃIↃCCCXIX

ACADEMIA LIPSIENSIS.

Vidimus belli creperos tumultus,
Vidimus, sic dira tulere fata,
Spem metumque inter, graviora quovis
Tempora leto.

Vnivs sed vera metuque caeco
Celsior virtus et utramque fortis
Perpeti sortem, patriae labantem
Sustinuit rem.

Hinc novo fulgore micat vetustum
Saxonum nomen, vacuumque Mavors
Tradidit sceptrum Veneri, favetque
Pronuba Iuno,

Fortium ut proles generosa iungi
Fortibus quaerat, societque clarum
Sanguinem claris, pariles datura
Cernere natos.

Stat PATER felix, subolemque lustrans
Adspicit NATOS validos iuventa,
Adspicit NATAS roseo decoras
Ora pudore.

VNA dum docto sociata TVSCO
Insita virtute beat maritum,
Pulcra, TE, IOSEPHA, merens merentis
Tactus amore

Legit Hispanus sibi FERDINANDVS
Esse reginam populo leoni,
Quem Numantinas superante laudes
Nuper ab ausu

Liberum dum TV, patria relicta
Herculis celsis propior columnis,
Iam TVVM dicis, solioque ab alto
Blanda salutas,

Austriae gaudet sibi FRIDERICVS
Nobili de stirpe torum repertum,
Austriae, bello pariterque pace
Prima tenentis,

Vnde Germanis generata longa
Imperatorum series potente
Dextera clavum tenuisse regni
Sceptraque claret.

O bonisque ambo geniti, bonique,
CAESARIS magni CAROLINA, salve,
Saxonum, salve, pie FRIDERICE,
Spesque decusque.

Ite felici superare gressu
Limen augustum, et thalamum secundo
Omine intrantes populo favete
Fausta precanti:

Vivite, o quos fidus amor iugavit,
Vivite ad seram stabili senectam
Vinculo iuncti, et similes parentum
Edite natos,

Qui regant quondam populum fidelem
Saxonum, laudis patruae tenaces,
Cara ut AVGVSTI maneat perennis
REGIS imago,

Sancta quem Virtus, Pietas, Fidesque
Caelitus missae comites tuentur
Labis expertem et caput incruenta
Fronde nitentem,

Qua triumphales super Ille lauros
Saxonum lumen radiansque sidus
Fertur et grato memorum feretur
Ore nepotum.

VIRO MERITISSIMO

CHRISTIANO GOTTLOB EINERTO

I. V. D. POT. REGI SAX. A CONS. AVL. SCABIN. ASSESS.

CIVITATIS LIPSIENSIS CONSVLI

D. II. MART. A. CIↃIↃCCCXXI

MEMORIAM SEMISAECVLAREM

ADEPTI I. V. DOCTORATVS

CELEBRANTI

I. A. O. GEHLER ET I. C. SICKEL.

Quae cuique Clotho stamina neverit,
Prudens profunda nocte tegit deus,
Caecique gens terrena vitae
Ambiguis fluitamus undis.

Hic, vix in oras luminis editus,
Migravit umbras visere pallidas:
Illum, viros inter decorae
Muneribus validum iuventae,

Seu magna versat mente negotia
Sollers agendi et civibus utilis,
Seu Martiis fortem sub armis,
Vis tetigit necopina fati.

Paucis vocantem fine sub ultimo
Metam senectae tangere contigit,
Ac, teste longaevi laboris,
Fronde sacra viridis coronae

Cingi merentem canitiem et caput
Multis amatum: quos populus favens
Carique circumstant amici, et
Macti iterumque iterumque clamant.

Talem ante multos, o bone, Te, senex,
Monstrat videri, quae micat aethere
Lux, a Tuis orsis honorum
Lustra decem revoluta claudens.

Fausto dierum, en, accipe, dediti
Donare cordis quod pietas potest,
Neu vota Tu, neu sperne grates,
Tempore promeritas ab illo,

Quum Te, forensem quae ratio virum
Formaret, et qui iudiciis modus
Esset regundis, explicantem
Aure sumus cupida sequuti.

Tu nos paterno consilio gravis
Auctor regebas: Tu Tua comiter
Sub tecta ducebas benignis
Alloquiis placidoque vultu.

Idem repertus pectoris integri
Collega, fastus atque superbiam
Arces, neque in duros rigescis
Fascibus imperiove mores.

Ergo precamur, munere caelitum
Laetus fruare, et primitias Tuae
Laudis recentantes sereno
Adspicias oculo sodales,

Felix iuventae principiis, magis
Felix senectae limine, cui datum
Videre gratantes amicos
Dimidio fugiente saecli,

Patresque, civesque, atque Tuum genus,
Natosque multi nominis, et nurus,
Palmisque captantes tenellis
Oscula dulcis avi nepotes.

IN NVPTIAS

IOANNIS PRINCIPIS

ET

AMALIAE BAVARAE

D. XXI. NOVEMB. A. CIↃIↃCCCXXII.

ACADEMIA LIPSIENSIS.

Exi Pieriis, exi, Pimpleias, antris,
Et moestis iamiam pone modum lacrimis.
Fas tibi flere quidem. Quid enim? Non omnia circum
Hellespontiaci militis ensis habet?
Non fontesque tui, sacrisque in montibus arae,
Et nemora, et luci, et fana cruore rubent?
Barbara nam Graiorum antiquum nomen Enyo
Deletura, necis per genus omne ruit.
Fumant Thermopylae, fumant Ephyreiae arces
Sanguine, Cecropiisque urbs habitata viris.

Tantalidae quondam Pelopi regnata per arva
Et caedem et flammas Asidos ira tulit.
Quin doctrix hominum, magni genitalis Homeri
Insula, cultorum nil nisi busta tenet.
Nescit enim pariter pueris canaeque senectae
Barbarus aut teneris parcere virginibus.
At qui lapsa deus tollit, frangitque ferocem,
Quum plenis ultrix hora diebus adest,
Non sinet Alcidae genus Herculis exstirpari,
Aut pessum Argivas funditus ire domos.
Tu quoque Parnassumque tuumque Helicona revises,
Et tua Castalia membra lavabis aqua.
Ergo Pieriis exi, Pimpleias, antris,
Et forti tristes pectore pelle metus.
Huc ades: huc iuncta multorum voce vocaris,
Rex AVGVSTVS ubi Saxona regna tenet,
Rex carus populo, carus tibi: cuius honestat
Albentes virtus intemerata comas.
Huc ades, ut gratans laetos dicas Hymenaeos
Sponsis, quos fausto foedere iungit Amor. —
En venit, et blando subridens Pieris ore
Haec canit auratae consona verba lyrae:
„Ducit Ioannes Bavara de stirpe pvellam,
Egregius coniux coniugis egregiae.
Nubit Ioanni Bavarorvm regia virgo,
Et forti et pulcro pulcra puella viro,
Ambo nobilium proles generosa parentum,
Ambo animis vitaeque integritate pares,
Ambo primigenae florentes vere iuventae,
Ambo nunc patriae spesque decusque suae.
Sitis felices, et fidi foederis altor
Dulci Vos subolis munere donet Amor,
Vt nati natorum, et qui nascentur ab illis,
Sustineant Vestram perpetuentque domum,
Et quales utrique in avitis prisca sepulcris
Compositos memorant marmora magnanimos
Induperatores et reges Germanorum,
Tale revertatur, tale genus populo,

Martis muneribus primores, fulmina belli,
Consilio fortes, infragilesque fidem.“
Sic fata aetherias abiit sublimis in auras,
Et roseo fulgore omina fausta dedit.

CARMEN SAECVLARE

CONDITAE

ANTE DVCENTOS ANNOS

FRATERNITATIS

NOTARIORVM ET LITTERATORVM

LIPSIENSIVM

D. VII. MARTII A. CIↃIↃCCCXXIV.

Favete linguis. Carminibus decet,
Decet choreis, cui celerem gravis
Nondum pedem tardat senectus,
Insolitum celebrare festum.

Nam saecularis prisca iubet dies
Fidae novari foedera dexterae,
Quum mortis instantis timores
Officium pietasque vicit.

Torquebat illo tempore pestilens
Morbus flagellum, crebraque funera
Neglecta per vicos iacebant,
Tabe novam generante tabem.

Non tum, suorum qui dare corpora
Vellet sepulcro, non erat, ultimo
Qui prosequi caros amicos
Quaereret exsequiarum honore:

Ni tu, periclis in mediis pia
Cum mente fortis, flagitium et nefas
Arcere, Laurenti, parares,
Consilio monitor salubri.

Exarsit imis pectoribus pudor,
Vltroque dant atque accipiunt fidem,
Fratres sibi semper futuri,
Atque in iter comites supremum.

Bis centum ab illo tempore sol vagus
Complevit annos: stat tamen integra
Fraternitas, non in secundis,
Non trepidis labefacta rebus.

Stabitque posthac. Servat enim Deus,
Additque robur, candida si Fides
Et Sanctitas rectis virorum
Annuit utilibusque coeptis.

Ergo innocenti laetitia diem
Sacrate, Fratres, quem fuga saeculi
Festina mox actis diebus
Et veteri sociabit aevo.

Nec casta desint rite precantium
Pro caritatis perpetua fide,
Pro Regis Augusti salute, et
Pro patria populoque vota.

Quod si quid ultra est, multa etenim cupit
Mortale pectus, nec satiabitur
Vllo petendi fine, curas
Ponite sollicitas futuri,

Dum cuique clemens Parca superstiti
Non invidebit. Quum volet, ibimus
Quo Nisca, quo Niscam sequuti
Tot praeiere boni sodales.

IN NVPTIIS

MAXIMILIANI

PRINCIPIS SAXONIAE

ET

LVDOVICAE

PRINCIPIS LVCAE

MENSE NOVEMBRI A. CIↃIↃCCCXXV

ACADEMIA LIPSIENSIS.

Accipe verba boni praesaga novis hymenaeis,
MAXIMILIANE, dulce Saxonum decus,
Quae pietas et amor puro concorditer ore
Hac auspicata luce rite nuncupant.
Nam cui nobilium proles generosa parentum
Dilecta fidi ducitur consors tori,
Huic blandum risit placido Spes pronuba vultu,
Et coniugalem Faustitas praefert facem.

Est aliquid, proavis ab regibus esse creatum,
Iungique fortes et bonos connubiis.
Nam parilis parili generatur stirpe propago,
Et pertinaci noscitur sanguis nota
Antiquo heroum de sanguine derivatus,
Non vanus altae sponsor indolis, neque
Degeneres magnis nutrit natalibus ignes,
Sed spirat idem pectorum fervens calor,
Factaque maiorum factis aequare nepotes
Discunt, avitas aemulantes glorias.
Tale Tvo fulget Tyrrheni ab littore ponti,
MAXIMILIANE, sidus exortum toro,
Qua priscos fama est Etruscorum Lucumones
Lucae superba condidisse moenia,
Quam non vicini Ligures, Romaeve colonus,
Non barbarorum vis Gothorum perdidit,
Non Narses iterum Romano milite captam
Delevit, aut Mars Langobardorum ferus.
Namque erat in fatis, ut in illis arcibus olim
Hispanicorum degeret regum genus,
Vnde propagaretur amabile germen amoenis
Longinquum ad Albim Saxonum convallibus.
Quare ubi post varios casus numerosaque bella
Lucae resurgens libero virtus pede
Constitit, et saevi sine caeco robore ferri
Regni novavit iura et imperi modum,
Multi illa ante Italas urbs fertur nominis urbes,
Invisa nulli, nec magis cuiquam invidens,
Ipsa suis contenta opibus, pietatis amica,
Nutrix bonarum et alma mater artium.
Illa ergo patria venienti fausta precamur
SPONSAE, bonoque PRINCIPI SPONSO simul.
Vivite felices, et, qui vos foedere iunxit,
Amoris exoptata ferte praemia.
Vivite felices, et divite Copia cornu
VESTRAE sequatur fida fortunae comes,

Quo populus, quo VESTRA DOMVS, celsique PROPINQVI,
Ipsumque REGIS gaudeat sanctum caput,
REGIS grandaevi, quo non aut iustior umquam,
Aut vixit aeque civibus carus suis.
O utinam hanc animam seros tueatur in annos
Piis adorantum annuens votis deus,
Hanc animam, quae praesidium est columenque salusque,
Et aevum in omne gloria ingens Saxonum.

VIRO ILLVSTRI

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO

ERNESTO CAROLO WIELANDO

PER DIMIDIATVM SAECVLVM

IVVENTVTIS DOCTORI

MERITISSIMO MERENTISSIMO

ACADEMIA LIPSIENSIS

D. IV. OCTOBRIS MDCCCXXVI.

Rēs est decorae plena superbiae
Servare fida mente reconditum,
Quidquid sub almo sole natam
Fata pati voluere gentem,

Et regna et urbes et populis datas
Leges ferocis frena licentiae, et
Prosapias regum vetustas,
Saevaque dinumerare bella.

At maior illi gloria lucidam
Frontem serenat, quem generosior
Non sivit obscuras inertem
Historias peragrare virtus,

Sed saepe summis ipse negotiis
Prudens repertus gestor et utilis,
Formavit abstrusas ad artes
Ingenium celeremque mentem

Quem sive iura et foedera gentium,
Sive ore promat consilia et modos
Rerum gerendarum et latentis
Ambiguum effugium pericli,

Mirantur omnes: sed magis asperas
Pugnas et arma et magnanimos duces
Dicente divinum sonantes
Attoniti stupuere voces.

WIELANDE, Te nos, Te loquimur: Tibi
Hanc Parca mentem fecit, in arduis
Duratus idem ut digna digne
Sufficeres facere et profari.

Nempe ipse sacris percitus ignibus,
Dum magna narras, fervidior ruis,
Cum fortibus fortis perire,
Nec trepidis novus in procellis:

Quem vidit olim sanguineus truci
Parens tyranno barbarus hospitem
Byzantis antiqui per urbem,
Hei loca quondam adamata Musis.

Quin et frementis per freta Bospori
Vectus stetisti littore in Asidos,
Qua parte creduntur beatam
Chrysopolin tenuisse Graii.

Mox omnis aevi docta volumina
Versans, sepultas edis opes, docens
Quae vera sint, quae fabulosa, aut
Iacta levi repetenda vulgo.

Hinc gratulantes haec ferimus pia
Maius merenti carmina praemium,
Testantibus bis quinque lustris
Muneris officium fidele,

Cordisque magni perpetua virens
Robur iuventa, quam neque vis fera
Arthritidis saevae dolorum,
Carpere nec potuit senectus.

Talis peracto dicitur Hercules
Cursu laborum non medicabilem
Sensisse Centauri cruorem
Ossa per et medias medullas:

Cui sancta caeli templa pater dedit
Adire, et, aeternum in documen, nihil
Mortale virtutem esse, divam
Coniugio sociavit Heben.

VIRO SVMME REVERENDO

ET PERILLVSTRI

CHRISTIANO GOTTLOB BIENERO

POTENTISS. SAXON. REGI A CONSIL. AVLAE ET IVSTIT. NEC NON SVPR. CVR. IVRIS PROFESSORI ORD. PRIMARIO. FACVLTAT. IVRID. ORDINARIO ECCLES. CATHEDR. MARTISBVRG. CAPITVLARI ACADEMIAE DECEMVIRO

X. APRIL. CIↃIↃCCCXXVII.

DIE SEMISAECVLARI

AB ACCEPTIS

SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

ACADEMIA LIPSIENSIS.

Fas est, o cives, fas est pia fundere vota,
Et bona sollemni dicere verba die,
Quum post lustra decem vir, quo non fortior alter,
Prima suae renovat serta tributa comae.

Magnum est, tot Solis vivendo vincere cursus,
Communemque Orci non iniisse viam;
Maius, cui valido mens integra corpore perstans
Aevo quassari cuncta domante negat.
Hic noscas, quantum virtutis imagine distet
Virtus, et dici, quidque sit esse virum:
Quem non mollities, non ducit blanda voluptas,
Sed magna et multo plena labore trahunt,
Quoque operae plus est et moles grandior urget,
Hoc magis ingeniti roboris auget opes,
Et facit, impigra membra senescendo ut iuvenescant,
Parque vigor semper, floridiorve micet.
Talis, Tv, Bienere, semel qua fortiter ausus
Ire via, constans propositique tenax
Ardua tentasti, et trepidae formidinis expers
Vni vicisti vix superanda viro,
Sollers omnigeni iuris recludere fontes,
Et varios legum rite docere modos,
Idem consilio prudens, et rebus agundis
Strenuus, et dubium solvere quodque sagax,
Iustitiae sanctus custos vindexque severus,
Ne foret ambiguum fasve nefasve, cavens,
Exemplum durae paucis imitabile vitae,
Otia temnentis, nec sibi facta ratae,
Mirandus populo iuvenum, mirandus et illis,
Quos Tibi coniunxit muneris officium.
Felix, Nestoreo melius cui stamine filum
Deduxit facili Parca benigna manu.
Illum saepe ferunt questum, quod iniqua senectus
Tardaret, grave ne Martis obiret opus.
Ipse quoque Aeacides Peleus, gener esse deorum
Dignatus, segnis sedit ad arma senex,
Et, nimis ante metuta, diu neglecta quievit
Servata Hectoreae Pelias hasta neci.
Tv, magni cui cordis inexpugnabile robur,
Quamvis grandaevo, quod fuit ante, manet,

Heroum superas clarum genus antiquorum,
O patriae fausto sidere nate TVAE.
Sis idem, maneatque vigor longo comes aevo,
Stetque procul stadii meta suprema TVI,
Nostris TE rebus concedens quo licet usque
Et decus et lumen praesidiumque coli.

VIRO SVMMO

AVGVSTO HERMANNO NIEMEYERO

DIE XVIII. APRILIS. A. CIↃIↃCCCXXVII

TRES ABSENTES AMICI.

Consederamus tres viri professores
Sub noctem amoeno rure Lindenavino,
Seidlerus, ille semper aequus et lenis,
Schillingius, festivitatis haud osor,
Et liberi laudator oris Hermannus,
Quorum alteri fuere nuper Halenses,

Halaque civem tertius vocat matrem.
Ibi, ut fit, inter vina largiter fusa,
Nunc deque sanis multa deque vesanis,
Nunc deque Turcis alia deque non Turcis,
Nunc canonico de iure, deque sclopetis,
Deque Apocalypsi, proelioque ad Euphraten,
Tricesimoque vere saeculi sexto
Multo lepore mixta fabulabamur,
Quum subitus illis finis ore Schillingi
Factus, monentis naviterque adhortantis:
„Petenda nobis Hala. Quis domi lentus
„Sedebit, omnis flos ubi eruditorum
„Congratulantes undique admigrant Halam?
„Cunctabimurne? Quid? Vir omnibus nobis
„Amicus, et mihi tibique, Seidlere,
„Collega quondam, nos queratur absentes?
„Petenda nobis Hala: nil opus verbis.“
Volvit, revolvit dicta mente Seidlerus,
Et dubius haeret: namque mater aegrotat,
Et cara coniunx non valet satis recte.
Tum deinde verba facere coepit Hermannus:
„Ego ipse quid agam nescio. Volunt illuc
„Me Lipsienses tertium ire legatum:
„Ac pervelim, primum ipsius Viri caussa,
„Tum autem faceti quod sales inexhaustos
„Audire Schützi multum habet voluptatis,
„Et Reisigi videre quas cothurnata
„Sublime Musa per plagas iter flectat.
„Verum illa terret una magna formido:
„Namque ire facile est; at redire non aeque.
„Solemne magnum non capit dies unus,
„Multique amici, multa comitas urbis.
„Invitat alius, alius orat, hic prensat:
„Huic annuisti: qui potes negare illi?
„Teneris hamo pendulus miser piscis,
„Perdisque temet inter opiparas coenas.

„Vtinam liceret, quod ferunt Clytaemnestram
„Fecisse, Troia ne lateret excisa,
„Halam inter et rus hocce Lindenavinum
„Illa ciere nocte gratulabundum
„Multa struice stuppea iubar flammae,
„Vt Hala miraretur igneo caelo
„Longinqua vota nunciata amicorum:“
„Euge,“ inquit hic Seidlerus, „euge, quid multa?
„Quod per struices non licet, licet verbis.
„Huc, huc venite. Cur moremur inter nos
„Festo dierum laeta pectorum sensa
„Expromere atque vota, quae decet dici
„Viro, parem cui non habemus in vita,
„Cui forma, verba, facta concinunt cuncta,
„Vt eruditus, doctus, aequus, humanus,
„Constans, fidelis, providus, gravis, fortis,
„Dubiisque rebus non egens opis certae,
„Et vel tyranni sustinens truces vultus,
„Metuque vacuus inter hosticos enses,
„Virtutis ingens omnis exstet exemplum.
„Ergo huc venite. Larga copia est vini,
„Calicesque multo concrepare tinnitu
„Identidem licebit ad brevem mensam.
„Illi feratur nuncius, sciatque absens
„Ipsa die illa, quid memor trium concors
„Chorus virorum Lindenaviae curet.
„Placetne?“ — „Vero: complacet, ratumque esto.“

Sic illa, Niemeyere, gesta sunt nobis.
Tu nunc scias Tui pie recordantes
Sedere, veterisque Euii sacrum florem
Olim lagenis conditum resignantes
Clamare: „vivat Ipse, vivat et Coniunx,
„Vivatque proles aemulans patris laudem,
„Et quae nepotum gens tenella succrescit;

„Lateque quod per ora gentium claret,
„Perenne nomen posteris propagetur.“
Quod si quid addere amplius, quod optemus,
Fas est, amicus sis, neque immemor nostri.

A N T O N I O

REGI

PIO IVSTO CLEMENTI

RITE REGNVM AVSPICANTI

D. XXIV. OCT. A. MDCCCXXVII

D.

ACADEMIA LIPSIENSIS.

Vrget priorem posterior dies,
Rerum novator, quod fuit auferens,
Promensque non sperata: miscet
Vrna vices utriusque sortis.

Sed si reposcit, quod dederat prius,
Mortale donum lex adamantina:
At vera virtus nec perire,
Nec didicit variare vultum.

Cui nuper atris vestibus adstitit
Fatalis horae dura Necessitas,
Rex vivet Avgvstvs per omne
Postgenitis memorandus aevum.

Illi ante multos Parca benignior
Prolixa vitae stamina duxerat:
Illum labantis sospitator
Saxoniae genius tueri

Decrerat, irae ne gravius malum
Martis cieret flammifer impetus,
Orbumve rectoris fidelis
Navigium unda rapax voraret.

Nunc ille campis Elysiis, sacrum
Lauru decorus promerita caput,
Incedit, et regum piorum
Magnanimis sociatur umbris,

Acceptus hospes: quem comitans bonus
Rudolphus, inter nobilis inferos,
Miratur, Ottonesque prisci, et
Trux rigidis Vitichindus armis.

Arcete luctus et querimonias:
Fas est adeptum debita praemia
Votis vocare, et flagitare ut
Respiciat placidus relictos,

Qui pignerandas tollere dexteras,
Puroque avemus dicere pectore
Sanctum sacramentum auspicanti
Rite novo nova regna Regi.

Salve: requirunt, Rex bone, Te Tui
Cives, et optatum augurium approbant,
Fraterna fraterna teneri
Sceptra manu regimenque rerum.

Tv scis severae iustitiae sacras
Librare lances: Tv pietatem amas,
Rectaeque mentis sensa factis
Congrua, nec temerata fuco.

Tv nec labores, nec refugis graves
Curas, gregatim quae solium undique
Regale circumstant, prioris
Quaeque loci cupiens potiri.

Quin et relinquis non comitum manu
Stipatus altae limina regiae,
Caecumque ne qua repat ulcus
Ipse vides necopinus adstans.

Clementer idem, sive quis inclita
De gente dives, sive inopis casae
Accedat ignotus colonus,
Das faciles aditus utrique.

Gaudent Camenae praesidio Tvo:
Te spem, levamen Te celebrant suum,
Aevique mordacis notata
Dente Tibi sua templa tradunt,

Lux unde fulsit multiplici face
Latum per orbem gentibus, in latus
Vtrumque mundi, perque septas
Oceano radiata terras.

O Rex, secundo protege numine
Castas sorores: auspiciis Tvis
Serventur insignesque crescant
Artibus ingenuis honores.

Adsis, inertis ne malus ingeni
Torpor dolosa ludat imagine
Mentes, neque errorum probrosis
Implicitas teneat catenis.

Adsis, ut altae spiritus indolis
Et magna tentans assiduus labor
Per non malignos apparatus
Inveniant iter expeditum,

Neu Fervor ardens invidus exteros
Suspiret auctus, neu nova temporum
Quod forma deposcit requirat,
Asperiore repulsus aura.

Musae benigno quos oculo vident,
Clarant virorum nomina posteris:
Musae merenti, non caduca
De fragili monimenta saxo,

Sed signa donant aetherii poli.
Testes gemellos Tyndaridas vides
Fulgere pulcrumque Oriona
Perseaque Andromedamque caelo.

Musis amicus Tv quoque et aemulus
Magnorum avorum laudibus audias,
Et Regis Antoni feratur
Fama sacris Heliconis antris.

Sic laetus, o Rex, Conivge nobili
Levante curas alloquiis, diu
Vivas et intersis amatus
Saxoniae populo fideli.

INDEX GRAECVS.

A

Ἀγωγὴ rhythmica 89.
ἀγῶνος ἔξω 33. s.
ἄδην ἐλαύνειν 298.
ἀέλιος prima brevi 245. s.
ἀηδόνιος, ἀηδόνειος 306.
ἀηδονὶς adiectivum 291. 305.
αι dativi terminatio 73.
αἴθρα, αἴθρη 19.
ἄλλος 184.
ἀμολγὸς 14. 137.
ἀμπλακεῖν 146.
ἂν omissum 198. 255.
ἀνθρωποδαίμων 291.
ἄνθρωπος pro plurali 170.
ἀντῆρις 308.
ἄντυξ σχιστὴ 303.
ἀπέκτανον, ἀπέκτεινα 296.
ἀπέκτονα 212.
ἀπλακεῖν 146.
ἀποινάζεσθαι 290. 304.
ἀποινᾶν, ἀποινᾶσθαι 293. 304.
ἀποινεῖσθαι 304.
ἀποτριάξαι 30.
ἀρίδακρυς 222. s.
ἀριστεὺς et ἄριστος 160.
ἀρτίδακρυς 222. s.
ἀσυχᾷ 36.
αὔειν 56.
ὁ αὐτὸς θεῶν 301.
αὕτως, ὡς δ' αὕτως 190. seq.
ἀφύσεσθαι 218.
ἀχὴ pro ἰαχὴ 176.

B

βαλβίς, *limen* 244.
βαλιὸς 293.

Γ

γαμεθεῖσα 183.
γὲ 215. in interrogatione 254.
γήμασθαι 183.
γούνων 193.

Δ

δ' ἄρα 174.
δὲ et τὲ 225.
δεῦτε 222.
δέχθαι non tragicum 298.
διαίρεσις ποδικὴ 93.

διαῤῥοή, *canalis* 310.
δοκῶ μὴ 199. seq.
δυσάλιος substantivum 290. 302.

E

ἕδρα βλεφάρων, ὄμματος 292.
εἰ et ἤ, *an* 198. εἰ οὐ 170. 194.
εἶα ab ειος femininum 308.
εἶς terminatio optativi pro εἴης 209.
εἰς et ἐς 150.
ἓκ pro ἐξ 241.
ἐκπλάσιος 240.
ἐλαύνειν ἄδην 298.
ἐλπὶς cum infinitivo praesentis vel futuri 209. seq.
ἐμὸς et ὑμὸς in quinto pede trimetri 182.
ἐξαγώνιος 33.
ἔξαθλος 32.
ἔξειν et σχήσειν 220.
ἔξω ἀγῶνος 33. s.
ἐπειςφρεὶς 18.
ἐς et εἰς 150.
εὐεπιβούλευτος 183.
εὐτλήμων 221.

Z

Ζεὺς φαναῖος 289.

H

η terminatio adiectivi pro ος 216.
ἦ et εἰ, *an* 198. ἦ totum a parte distinguere visum 239. ἦ — τε 219.
ἦ et οἷ 194.
ἤλυθον in trimetro 297.
ἦμορίς, ἤμορος 57.
ἦπου 161.

Θ

θερήϊος 13.

I

ι pro consonante 69.

K

καὶ et τὲ 152. καὶ δὴ 176. καὶ λίαν 200. καὶ πολὺς 222.
καιρὸς 175.
κάκαλον 57.
κατέκτονα 212.
κεραύνιος femininum 20.
κραδία in anapaestis 172.
Κρόνιος Πὰν 289.
κτανῶ 212.

M

μεθεῖς pro μεθείης 209.
μέλλειν. de constructione 242. seq.
μέμβλωκα 298.
μὲν interrogativum 233.
μέσος de numeris 85.
μή, constructio cum praesente, aoristo, futuro 184. seqq. cum coniunctivo et optativo 193. cum futuro vel coniunctivo 215. s. μή ποτε et μήποτε 162.
μηνὰς 270. 291.
μηνίω qua mensura apud tragicos et apud Homerum 298.
μήποτε et μή ποτε 162.
μήτε post μὴ 150. seqq.
μῖμος 290.
μῖξις numerorum 88.

N

νάσασθαι 218.
νείατος 298.

Ξ

ξὺν et σὺν 150.

O

οἷ et ᾗ 194.
οιο genitivus 216. 309.
οἷσθ' ὡς 201.
ὀκταπλάσιος, ὀκτωπλάσιος 240.
ὀμώμοται et ὀμώμοσται 295.
ὀρεχθεῖν 49. s.
ὄροχθος, ὀρόχθειος 50. s.
ος term. fem. in comparativis et superlativis 135.
ὅς et ὅστις 212.
ὅστε in trimetro 302.
οὐ cum imperativo 222. οὐ μή, constructio 235. cum praesente 238. οὐκ ἔστιν ὅς, ὅστις 212. οὐκ ἴω; 237.
οὐδεὶς et οὔτις 212. οὐδεὶς θεῶν et θεὸς 301.
οὐρανοστεγὴς 141.
οὐριβάτας 9.
οὑτᾶν 221.
οὔτε post οὐ 150. seqq.
οὔτις et οὐδείς 212.

Π

Πὰν Κρόνιος 289.
παῤ οὐδετέρῳ κεῖται 148.
παροίχεσθαι 227. s.
πάρος, *potius* 203.
πατρικός, πάτριος, πατρῷος 295.
παῦρον καὶ ut πολλὰ καὶ μεγάλα 232.
πενταπλάσιος, πεντεπλάσιος 240.
πεντετριάζεσθαι 30.
πιθανὸς 51.
πιτνεῖν 164.
ὁ πλησίον 169.
ποδώκης 140.
ποιμνῇον 298.
πολιὸν δάκρυ 224.
πότνια, *domina* 15.
πρίν, *potius* 203. et πρὶν ἂν 179. πρὶν ἢ 229. s. πρὶν cum infinitivo praesentis et aoristi 169.
προβαίνειν τέρμα 25. 32. seqq.
προταινὶ 290.
πῶλος, *puer*, *puella* 15.
πῶς δέ; post πῶς 234.

Σ

σπίδιος 140.
σὺν et ξὺν 150.
συννεφὴς 97.
σχήσειν et ἕξειν 220.
σχιστὴ ἄντυξ 303.

T

τέ, usus 225. 232. τὲ — δὲ 196. τὲ et καὶ 152.
τεὸς apud tragicos 135. s.
τέρην 223.
τὶ insolentius collocatum 178.
τίς, *ecquis* 219. *aliquispiam.* 240. τὶς θεῶν et θεὸς 301.
τριαγμὸς 30.
τραγῳδία de fabula satyrica 39. seq.
τριαγμὸς 30. et praefat.
τύραννις 163.
τύραννος femininum 163.

Υ

υι ante consonantem 71. seq.
ὑΐδιον 71.

Φ

φαναῖος Ζεὺς 289.
φίλιος et φίλος 176.

X

χλωρὸν δάκρυ 224.

Ω

ὡς, *quemadmodum* cum coniunctivo 197. ὡς δ' αὕτως 190.

INDEX LATINVS.

A

accusativus et dativus iuncti 242.
Alexandrinorum ingenium 280. seqq.
anapaestus dactylum sequens in eadem dipodia anapaestica 300.
anastrophe 240.
aoristi et imperfecti usus 241.
Aristarchi iudicium 272. s.

C

centuriarum apud Romanos ratio 61. seqq.
chorus an trium personarum 136. s.
clepisse, *clepsisse* 119.
collocatio verborum 234. 251. 255. 303.
constructionis mutatio 252.
crasis insolentior 309.
Cratetis iudicium 272. s.

D

dativus et accusativus iuncti 242.
didascaliarum ratio et auctoritas 263. s. 266. s. 273.
Dorismus 172.

E

encliticarum insolens collocatio 178.
epitriti Dorii 83. seqq.
Euripides quando tragoedias scribere coeperit 273. seq. non scripsit Niobam 37.
Europae f. Sarpedon 289.

F

fatum supremum 117. s.

H

Heliadum numerus 136.
hiatus rudis 379.
Homerus quomodo legendus 74. seqq. quomodo tractandus 79. seqq.

I

iaculi iactus 26. 32.

Iambe an Sophoclis fabula 40. seq.
imperfecti et aoristi usus 241.
Iuppiter in scenam productus 52. s.

L

Lemni regio, in qua Philoctetes expositus 119. s.

M

metricorum et rhythmicorum diversa doctrina 86.
Mortis ara 54.

N

Niobae liberorum numerus 47.
numeri 175. 178. 196. 202. 218. 219. 226. 245. seqq. numerorum compositionis lex 94. seqq.

O

optativus post imperativum 299.

P

pentathli certaminum ordo 27. seqq.
praepositio in verbo supplenda e praepositione sequentis verbi 302.
pronomina duo relativa iuncta 249.

Q

quinquertii certaminum ordo 27. seqq.

R

Rhesus unum diem pro Troianis pugnavit 271.
rhythmicorum et metricorum diversa doctrina 86.
rhythmorum usitatissima genera tria 91.

S.

Sarpedon Europae f. 289.
schema Pindaricum 162.
sex suffragia 63.
singularis pro plurali 169.
sonus trium temporum 87.
Sophoclis an Iambe fabula 40. seq.

T

tragici mali Athenis qua in re peccasse videantur 277.
tragoedia recentior 148.
transpositio verborum 98. seqq.
trimetri quintus pes 182. 295.

INDEX SCRIPTORVM.

Aeschylus Prom. 96. 198. 201. 202. 242.
Sept. ad Th. 167. 177. 218. 225.
Pers. 107. 155. 166. 167.
Agam. 51. 100. 105. 172. 190. 210. bis 216. 221.
Choeph. 100. 104. 199. 213. 216. 225. 234. 253.
Eumen. 169. 201. 213.
Suppl. 105. 106. 228. 243.
Heliades 130. seqq.
Niobe 37. seqq.
Philoctetes 113. seqq.
Vita 41. s. 149.

Aristides Quintilianus. 87. 88.

Aristophanes Pluto 215. s.
Ranis 236.
Vespis 185.
Pace 230.
Avibus 215. 243.
Eccles. 184. 188. 189.
Lysistr. 172.
Δράματα ἢ Κένταυρος 47.
Δράματα ἢ Νίοβος 47.

Aristoteles A. P. 37.

Aristoxenus 88. 91. seqq.

Attius Philocteta 116. seqq.

Cicero II. Phil. 65. seq.
ad Att. 124.
Q. Tusc. 127.
de Legg. 119.
de rep. 60. seqq.

Comicus apud Stobaeum 104.

Dio Chrysostomus 113. seqq.

Ennius Eumenidibus 128.

Etymologicum M. 304. 308.

Euripides Hec. 168.
Or. 107. 180.
Phoen. 186. 301.
Hippol. 137. 138. 141.
Alcest. 168. 204. 213. 214.
Med. 202. s. 204. 210. 233. 256. 259. eius duae recensiones 206. 256.
Andromacha 109. 168. 191. 225.
Suppl. 165.
Iphig. Aul. 226. 293. eius duo prologi 268.

Iphig. Taur. 168.
Rheso 177. 299. seqq. de ea fabula et eius scriptore 262. seqq.
Troadibus 297.
Bacchis 110.
Heracl. 167.
Helena 217.
Herc. fur. 168. 215. 251.
Electra 9. 298.
Philocteta 115. 122. 129.
Eustathius 27.
Harpocratio 139.
Herodotus 158. bis 169. 185. 189.
Hesiodus O. et D. 155. 157.
Homerus Iliad. α. 199.
β. 199.
γ. 242.
ε. 198.
χ. 157. bis
Odyss. β. 151.
δ. 155.
ε. 187.
ι. 155. 157.
λ. 168.
Iosephus 155.
Isaeus 155.
Isocrates 159.
Livius 61. seqq.
Lucianus 188. 214.
Lucillius 30.
Macho apud Athen. 56.
Neophron 229. 254.
Nonnus imitator Euripidis 141. 159.
Pausanias III. 11. p. 28.
VI. 19. p. 35. et praefat.
Philostratus Vit. Apoll. 48.
Pindarus Ol. II. 165.
VII. 97.
Pyth. I. 33.
Nem. II. 196.
V. 168.
VI. 22. seqq.
IX. 217.
Isthm. II. 168.
IV. 217.
fragm. 217.
Plato Cratylo 187.
de rep. III. et VI. 252.
Plutarchus Q. Symp. IX. 2. p. 30. (v. praefat.) *περὶ φιλοπλουτίας* 26.
Quintilianus 125. seq.
Scholiastes ineditus 40.
Aeschyli Prom. 42. s.
Aristoph. Ran. 42.
Av. 52. s.
Eurip. Phoen. 44.
Rhes. 305. in argumento 264.
Hephaestionis 87.
Homeri Od. 133.
Pindari 32.
Simonides 147. 180.
Sophocles Aiace 152. 213.
Electra 236. 242.
Oed. R. 89. 104. 156. 198. 213.
Antig. 181.
Oed. Col. 89. 156. 164. 165. 166. bis 196. 199. 217. 236.
Trach. 184. 225.
Philoct. 115. 251.
Niobe 37. 41. 57.
an Iambe fabula 40. s.

Theocritus 183. 222.
Theognis 153. 154. 169.
Thucydides 150. 156. 187. 241.
Tragicus apud Aristot. 170.
apud Plutarch. Cons. ad Ap. 57. s.
Versus apud Eustathium 27.
Vita Aeschyli 41. s. 149.
Xenophon Ages. 108.
Anab. 188.
Cyrop. 185.
Hist. Gr. 29. 109.
Mem. Socr. 213.

GODOFREDI HERMANNI

OPVSCVLA.

VOLVMEN QVARTVM.

LIPSIAE, APVD ERNESTVM FLEISCHERVM.

1 8 3 1.

PRAEFATIO.

Huic opusculorum meorum volumini, in quo duae sunt dissertatiunculae, quae non erant prius editae, quarum altera septem aperta operta apud Aeschylum continet, altera de mensura utriusque ἄν est, pauca me propter duas alias scriptiones praefari oportet. Ac primo gratiae agendae sunt Iulio Fr. Wurmio, qui in iis quae nuper in Iahnii Annalibus a. 1830. vol. III. fasc. II. de Archimedis problemate bovino disputavit, viam mihi monstraverit, qua nisi defendi, certe excusari scriptura quae a me mutata erat, atque ita problematis interpretatio illa, quae a scholiasta prodita est, retineri posse videatur. Nam haec duo eum vere monuisse puto, primo, quum omnes problematis partes distincte sint atque enucleate descriptae, id Archimedem vel maxime in altero, quem mihi significare visus erat, numero triquetro fuisse facturum; deinde verba illa, quibus ego adducebar ut etiam greges taurorum om-

nes in unum coniunctos rationem triquetram habere crederem, aliam explicationem admittere, si, quod dicit scriptor,

οὔτε προϱοώντων
ἀλλοχρόων ταύρων, οὔτ᾽ ἐπιλειπομένων,

sic accipiatur, ut ἐπιλειπομένων non ad diversi coloris tauros, i. e. ad albos et nigros, sed ad solos eos greges duos, quos triquetrum efficere dixerat, referatur. Durior quidem haec constructio est, sed tamen et ferri potest, et commendatur tum eo, quod sic non opus est scripturae mutatione, tum interpretatione scholiastae, tum, quod eo modo non desideratur ullius partis accurata descriptio. Illud vero non concedam, consulto obscuritatem quaesivisse Archimedem, ut aenigmata loqui oraculorum more videretur: vellemque vir doctissimus etiam coniecturas omisisset, quas multas in medium attulit, ut alias numerorum rationes efficeret. Nam id non est emendare vitiosa, sed aliud problema proponere. Caeterum multitudine illa taurorum ac boum Mollweidius se non offendi dicebat: non enim Archimedem, quod nesciret quam parum tanto numero capiendo sufficeret Sicilia, Solis armentis esse usum, sed ut in noto ex veteribus fabulis exemplo quasi ante oculos poneret lectori, in quo artem suam computandi experiretur. Id illum arbitror iudicasse verissime. Constat enim primum huius fabulae auctorem esse Homerum, qui in duodecimo Odysseae v. 127. haec cecinit:

Θρινακίην δ' ἐς νῆσον ἀφίξεαι· ἔνθα δὲ πολλαὶ
βόσκονθ' Ἡελίοιο βόες καὶ ἴφια μῆλα,
ἑπτὰ βοῶν ἀγέλαι, τόσα δ' οἰῶν πώεα καλά,
πεντήκοντα δ' ἕκαστα· γόνος δ' οὐ γίγνεται αὐτῶν,
οὐδέ ποτε φθινύθουσι· θεαὶ δ' ἔπι ποιμένες εἰσίν,
νύμφαι ἐϋπλόκαμοι, Φαέθουσά τε Λαμπετίη τε,
ἃς τέκεν Ἡελίῳ Ὑπερίονι δῖα Νέαιρα.
τὰς μὲν ἄρα θρέψασα τεκοῦσά τε πότνια μήτηρ
Θρινακίην ἐς νῆσον ἀπῴκισε τηλόθι ναίειν,
μῆλα φυλασσέμεναι πατρώϊα καὶ ἕλικας βοῦς.

Eius fabulae inventorem CCCL dies noctesque anni lunaris hac imagine adumbrasse apertissimum est. Eam igitur fabulam ad suos usus accommodavit Archimedes, ludificans mathematicos Alexandrinos spe numeri inveniendi, quem facile pasceret Sicilia, inventum autem non caperet orbis terrarum. Itaque is numerus vel methodo illa Pelliana quaerendus erit, vel indagandum, qua via Archimedes rationem putaverit.

In Incredibilium libro p. 355. in nona observatione quod apud Dionysium in Arte rhetorica p. 235, 11. articulum ad *λύπας* appositum esse scripsi, etsi quivis id per errorem dictum esse intelliget, tamen a me ipso corrigi par est, ne hoc quoque in iniuriis numeretur. Addidissem autem huic primo libro alterum, si fecisset Schaeferus, quod rogaveram, ut patefaceret quas iniurias sibi illatas conqueritur. Et ferebatur quidem aliquid Halam misisse, quod per censorem aliquem primi Incredibilium libri diurna litteraria in publicam lucem profer-

rent: sed non videtur inventus esse, qui ei caussae patronus haberi vellet.

Impressa iam ea dissertatiuncula, quae est de mensura utriusque ἄν, litteras a Seidlero meo accepi, in quibus ille de quibusdam illorum exemplorum, in quibus ἄν potentiale dubitationem fecerat, suam mecum communicavit sententiam. Is in quarto, quod Aeschyli in Agamemnone est, ordine verborum mutato legi posse observat,

ἑλόντες οὐκ ἂν αὖθις ἀνθάλοιεν ἄν.

In quinto, Sophoclis in Aiace, ipse quoque in ἀντατιμάσαιμ᾽ ἄν incidit, nescius a Bothio hoc esse occupatum. In decimo, eiusdem poetae in Electra, sententiam requirere κἄν existimat. In undecimo, quod est in Aeschyli Septem ad Thebas, ut ego, ἂν ἀληθεύσαιμ᾽ ἐγὼ corrigit, aliter tamen de praegressis verbis sentiens.

INDEX OPVSCVLORVM.

1. De particula ἄν libri IV.

Liber I.

Cap. 1. de origine particularum ἄν et κέν . . . p. 1
2. de collocatione 6
3. de significatu 8
4. de constructione 13
5. grammaticorum de constructione sententia . 14
6. de ἄν et κὲν cum indicativo summatim . . 15
7. de ἄν et κὲν cum indicativo praeteritorum in re facta 20
8. de ἄν cum indicativo futuri 28
9. de ἄν cum indicativo praesentis 38
10. de ἄν cum indicativo in re non facta . . 48
11. de omissa particula ἄν universe 57
12. de indicativo particula ἄν vel κὲν necessario omissa 58
13. de indicativo particula ἄν rhetorice omissa . 70
14. de indicativo particula ἄν ironice omissa . . 74

Liber II.

Cap. 1. de modis verbi obliquis 76
2. de coniunctivo pro futuro 79
3. de particula ἄν et κὲν cum coniunctivo apud epicos 81
4. de coniunctivi usu deliberativo apud recentiores 87
5. de ἄν cum coniunctivo deliberativo . . . 93
6. de sententiis conditionalibus et finalibus . . 94
7. de usu particulae ἄν cum coniunctivo in sententiis conditionalibus, et primum quidem de εἰ et ἢν cum coniunctivo . . . 95
8. de ἐπεί, εὖτε, πρίν cum coniunctivo . . . 103
9. de ἕως aliisque idem significantibus particulis cum coniunctivo 109

10. de pronominibus et adverbiis cum coniunctivo 113
11. de particula ἄν cum coniunctivo in sententiis finalibus 119
12. de ὅπως et ὅπως μὴ cum futuro vel coniunctivo, item de οὐκ ἔχω ὅπως et similibus 124
13. de ἵνα et ἵν' ἄν cum coniunctivo 151

Liber III.

Cap. 1. de vi optativi universe 139
2. de optativo pro indicativo 139
3. de optativo pro coniunctivo 143
4. de optativo cum ἄν pro coniunctivo cum ἄν 147
5. de optativo rectae orationis sine ἄν . . . 154
6. de optativo rectae orationis cum ἄν . . . 164
7. de optativo cum ἄν pro futuro 165
8. de optativo cum ἄν pro praeterito . . . 167
9. de optativo cum ἄν in iubendo 170
10. de optativo cum ἄν in optando 170
11. de optativo cum ἄν in sententia conditionali 171
12. de optativo cum ἄν in sententia finali . . 174

Liber IV.

Cap. 1. de ἄν cum imperativo 176
2. de ἄν cum infinitivo 179
3. de ἄν cum participio 182
4. de ἄν omisso verbo 187
5. de ἄν repetito 188
6. de omisso ἄν propter aliud ἄν 192
7. de collocatione particulae ἄν 193

2. Emendationes Coluthi 205
3. De Archimedis problemate bovino 228
4. Hermesianactis elegi 239
5. De Aeschyli Prometheo soluto dissertatio 253
6. De hyperbole dissertatio 284
7. De inscriptionibus quibusdam Graecis 303
8. Septem aperta operta apud Aeschylum 333
9. Incredibilium liber primus 341
10. De mensura utriusque ἄν 373
11. Carmen gratulatorium ad Chr. Dan. Beckium . . . 389

GODOFREDI HERMANNI

OPVSCVLA.

VOL. IV.

DE PARTICVLA ἄν LIBRI IV. *)

LIBER PRIMVS.

I.

De origine particularum ἄν et κέν.

De usu particularum ἄν et κέν etsi a multis est atque doctissimis viris vel separatim vel ubi occasio ferret disputatum, tamen haec tam inexhausta materia est, ut neque illi non aut praetermiserint multa, alia autem minus recte explicuerint, nec, si quis denuo id negotii suscipiat, non idem sibi quoque eventurum videat, praesertim quum difficultas rei immensum quantum augeatur codicum discrepantia et corruptione. Quod si ego E. H. Barkeri, viri mihi amicissimi, rogatu adduci me passus sum, ut de his particulis scriberem, ea id mente feci, ut magis fundamenta iacere doctrinae, qua harum ratio particularum contineretur, quam omnia, quae explananda esse intelligerem, accurate pertractare mihi proponerem. Quamquam enim

*) Editi sunt primo in Diarii Classici fascic. LXVIII—LXXII. a. 1826. 1827. deinde in editione Londinensi Thesauri Stephaniani. Opusculis hisce inserere volueram multis in partibus auctos atque ex materia quam satis amplam paratam habeo locupletatos: sed ubi comperi certatim typis repetitum iri illam editionem Thesauri, abieci hoc consilium, ne quis mea opera in ista aemulatione abuteretur.

optandum est, ut quis usum harum particularum secundum tempora et gentes et genera scribendi deinceps ordine persequatur, tamen haec res tam infiniti operis est, ut ego quidem mihi ab ea abstinendum putaverim, satisque duxerim, veteris tantum sermonis et eius qui cultissimus habetur consuetudinem respicere, ex iis autem, quae labascens Graecitas sibi indulsit, non nisi hic illic aliquid delibare.

Est autem de particulis ἄν et κέν dicturo ante omnia unde ortae sint quaerendum. Quarum quum Georgius Bumbar, qui de iis dissertationem edidit, alteram participium esse verbi cuiusdam ἀμί, quod idem sit atque ἐάω, alteram ex imperativo verbi κέω, quasi *pone* dicas, factam putat, adeo hae mirae sunt et incredibiles derivationes, ut eas refutare non videatur operae pretium esse. Non omnium particularum inveniri origo potest, sed multas ex aliis particulis natas esse apparet. Quod factum est non solum pluribus in unam coniungendis, quales sunt γοῦν et γάρ, vel ἀμφί, i. e. ἄναφι· sed etiam nunc mutilando, ut ex πέρι πέρ factum; nunc correptius pronunciando, ut ex μήν, δή, τοί exstiterant μέν, δέ, τέ; nunc etiam utraque ratione coniuncta, ut ex νῦν dictum est νύ. Huiusmodi multa exempla etiam in Germanica lingua exstant. Ita *doch* ex *da auch*, *noch* ex *nach auch* exstitere. Aliae ex nominibus adiectivis factae sunt, ut ἀλλά; vel ex pronominibus, ut ὅτι; vel ex adverbiis, ut πού, πώς; aliae ex verbis sunt derivatae, ut ἄρα; quin etiam integra verba aut enunciationes in particulas versae sunt, ut ἀμέλει, et apud nos *zwar*, quod est ex *es ist wahr* contractum. Haec qui consideraverit, non dubitabit, opinor, quin ἄν ex ἄνα, κέν autem ex καί sit ortum.

Et κε quidem nemo non videt quam sit etiam significatu cum particula καί cognata. Habet enim καί natura sua vim quamdam dilatandi, ut, de quo dicitur, id de pluribus unum intelligi indicet. Atqui eo illud, de quo dicitur, quodammodo incertum fit, ut quod non necessitate quadam, sed magis pro exemplo, qualia plura sint, commemoretur. Apertum est enim, quam parum intersit, utrum ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, an ὅς καὶ θεοῖς ἐπιπείθηται·

utrum *εἴ κεν θάνατόν γε φύγοιμεν*, an *εἰ καὶ θάνατόν γε φύγοιμεν* dicas.

Difficilius explicatu est, quomodo *ἄν* ex *ἄνα* deductum illam significationem acceperit. Videtur tamen huius quoque rei probabilis ratio afferri posse. Particula *ἄνα*, quae recisa ultima littera mansit in Germanica lingua, primum ac proprium usum habet in iis, quae in alicuius rei superficie ab imo ad summum eundo conspiciuntur: motus enim significationem ei adhaerere quum ex eo intelligitur, quod non est apta visa quae cum verbo *εἶναι* componeretur, tum docet usus eius adverbialis, ut *ἀλλ' ἄνα ἐξ ἑδράνων*. Caeteri significatus ex eo, quem primum posuimus, facile explicari possunt, quales sunt *secundum*, et *per*, et *sursum*, atque inde *retro*, quoniam natura omnia deorsum feruntur. Ex illo autem significatu, qui est *secundum*, qui patet latissime, nec tantum ad locum, sed etiam ad alia refertur, ut *ἀνὰ κράτος*, *ἀνὰ μέρος*, *ἀνὰ λόγον*, is usus natus est, quo distributiones certa numerorum proportione factae indicantur, in quo genere nos similiter particula *zu* utimur. Eius usus antiquissimum exemplum exstat in Odyss. *ι*. 208.

τὸν δ' ὅτε πίνοιεν μελιηδέα οἶνον ἐρυθρόν,
ἓν δέπας ἐμπλήσας, ὕδατος ἀνὰ εἴκοσι μέτρα
χεῦε.

In quo exemplo quoniam, ut in plerisque aliis, etiam verbum sibi accusativum postulat, ambiguum videri potest, particula utrum praepositio sit an adverbium. Sed praepositionem esse alia exempla docent, ex quibus satis habeo unum commemorare Polybii II. 24, 13. *ἔτι δὲ μὴν καὶ ἐν Σικελίᾳ καὶ Τάραντι στρατόπεδα δύο παρεφήδρευεν· ὧν ἑκάτερον ἦν ἀνὰ τετρακισχιλίους καὶ διακοσίους πεζούς, ἱππεῖς δὲ διακοσίους.* Multo usu tamen factum est, ut particula ista in hoc genere etiam sine casu pro adverbio poneretur. Neque enim perperam dictum putandum est illud in Apocalypsi c. 21, 21. *ἀνὰ εἷς ἕκαστος*, ut *καθ' εἷς*, quod notavit Lucianus in Pseudologista c. 9. T. III. p. 577. Nam etiam alii sic loquuti sunt: ut Plutarchus in

Aemilio c. 32. *μετὰ δὲ τὰς ὁπλοφόρους ἁμάξας ἄνδρες ἐπορεύοντο τρισχίλιοι, νόμισμα φέροντες ἀργυροῦν ἐν ἀγγείοις ἑπτακοσίοις πεντήκοντα τριταλάντοις, ὧν ἕκαστον ἀνὰ τέσσαρες ἐκόμιζον.* Ex hac igitur adverbiali potestate praepositionis *ἀνά*, significantis *secundum*, ortum videtur *ἄν*. Nam praepositio priusquam in coniunctionem vertatur, in adverbium abierit necesse est, quia sic demum sine nomine inseri orationi potest. Ita ex *πέρι* adverbio, quod est *valde*, facta est coniunctio *πέρ, quamvis*. Igitur quum particulae *ἄν* ea ubique vis sit, ut ad aliquam conditionem referatur, quae conditio saepe adiungitur, ubi autem non est addita, tamen cogitari debet, patet id ipsum per praepositionem *ἀνὰ* disertius indicari: ut quum dicimus *ἐβουλόμην ἄν, εἰ ἐδυνάμην*, quid id aliud est quam *ἐβουλόμην ἀνὰ τοῦτο, εἰ ἐδυνάμην?* aut quum non diserte adiecta conditione *ἐὰν λέγῃ*, vel *ὅταν λέγῃ*, vel *ὃς ἂν λέγῃ*, quid aliud quam *εἰ λέγῃ ἀνὰ τοῦτο, λέγειν αὐτόν*, et *ὅτε λέγῃ ἀνὰ τοῦτο, λέγειν ποτέ*, et *ὃς λέγῃ ἀνὰ τοῦτο, λέγειν τινά?* Ita apparet, particulam *ἄν* conditione addenda id quod aliter certum definitumque esset, incertum et infinitum reddere. Vt quum *ὃς λέγῃ* dicimus, est id *is qui dicat*, quod est finitum; *ὃς ἂν λέγῃ* autem, *quicumque dicat:* quod est infinitum, quoniam ad eam notionem, quae pronomine continetur, conditio accedit veritatem rei e casu fortuito suspendens. Vnde particula ista dicta est a grammaticis *σύνδεσμος ἀναιρετικὸς τοῦ γεγονότος*.

II.

De collocatione.

Ad collocationem quod attinet, neutra particula in principio orationis poni potest, non praegressa alia voce. Vtrique enim inest quaedam sententiae debilitatio, quum quod aliter de una re certa diceretur, ad aliquam e pluribus incertis rebus transferat: unde ei non potest nisi secundarius aliquis in oratione locus concedi. Itaque has particulas aut post illud verbum, ad quod pertinent, aut post eorum

unum aliquod verborum, quae cum illo verbo unam enunciationem efficiunt, collocari necesse est. Sed differunt ea in re aliquid. Ἄν enim quum non sit enclitica, et tamen initio poni nequeat, apertum est poni eam debere post eorum aliquod vocabulorum, ad quorum sententiam constituendam pertinet. Κέν autem, quae quod enclitica est, ab incipienda oratione arcetur, etiam ante ea verba, ad quorum sententiam pertinet, poni potest, dummodo aliqua vox in eadem constructione verborum praecesserit. Hinc Homerus Iliad. χ. 20. dixit, ἦ σ' ἂν τισαίμην. Altera particula si uti voluisset, dixisset, ἦ κέ σε τισαίμην. Et quod idem posuit Iliad. η. 125.

ἦ κε μέγ' οἰμώξειε γέρων ἱππηλάτα Πηλεύς,

Syagrus apud Herodotum VII. 159. nisi in alium voluisset versum heroicum convertere,

ἦ κε μέγ' οἰμώξειεν ὁ Πελοπίδης Ἀγαμέμνων,

prosa oratione dicere debuisset, ἦ μέγα ἂν οἰμώξειεν. At ὄντως ἄν σε τισαίμην licebat dici. Neque enim ὄντως loquentis affectionem animi, ut ἦ, sed rei, de qua sermo est, quamdam conditionem indicat. Quae vis quum inest in particulis, quae ea plerumque carent, tum ipsae quoque statim a particula ἄν excipi possunt: ut καί, ubi cum vi quadam dictum fortius pronunciatur, *re vera* significans, ut apud Herodotum IV. 118. καὶ ἂν ἐδήλου. Praeterea quaedam inveniuntur locutiones, quae duobus membris in unum contractis etiam particulam ἄν a propria eius sede revellunt, ut usitatissima formula οὐκ οἶδ' ἂν εἰ πείσαιμι. Sed de his infra suo loco. Caeterae coniunctiones, quae incipere orationem nequeunt, quum statim post primam vocem collocari soleant, naturaque sua ad initium orationis pertineant, iure hoc habent praecipuum, ut et ἄν et κέν, ut quae ad ipsam sententiam spectent, post eas poni debeant. Tales dico, ut μέν, δέ, τέ, γάρ, ἄρα, μὲν γάρ, μέντοι. Sed hae particulae quum longius a principio remotae aliis verbis subiiciuntur, recte praecedit ἄν vel κέν. Alia ratio est particularum ratiocinativarum, ut ἄρα, δῆτα, οὖν, quae nunc

ante nunc post ἄν ponuntur, prouti magis ad praegressam vocem, vel ad totam sententiam spectant. Quin illae quoque coniunctiones, quas ante dicebamus, μέν, δέ, γάρ, et quae sunt aliae huiusmodi, certa conditione etiam statim post ἄν collocantur. Fit hoc, ubi ἄν vel κέν cum particulis conditionalibus vel pronominibus relativis vel aliis vocibus ita coniunctum est, ut aut coaluerit cum iis in unam dictionem, aut pro una tamen habeatur. Itaque ἐὰν μέν, ἐπεὰν δέ, ὅταν γάρ, ὁπόταν τε dicitur; et sic etiam εὖτ' ἄν δέ, ἡνίκ' ἄν δέ, et ὃς ἄν δέ, ut apud Herodotum I. 138. VII. 8, 4. ὃς ἂν μέν νυν apud eumdem III. 72. Sed quum divisim ista dicuntur, ut εἰ ἄν, non potest sequi coniunctio, sed media ponitur inter eas, ut εἰ δ' ἄν, ἐπεὶ δ' ἄν, ὅτε δ' ἄν. Vnde etiam εὖτε δ' ἂν et ἡνίκα δ' ἂν recte dici apparet. Et ὃς δ' ἂν quidem plerumque divisim dicitur, sed fere cum quodam potestatis discrimine. Pertinet huc etiam τάχιστ' ἄν τε apud Thucyd. II. 63. Κἐν vero quum hac forma numquam coalescat cum alia voce, semper coniunctioni postponitur: εἰ δέ κε μὴ δώωσιν. Sed Doriensium lingua in κα mutatum coalescit: unde praecedit coniunctionem: αἴκα δ' ἄρνα λάβῃ τῆνος γέρας. Atque haec quidem de collocatione universe. Nam plura ex hoc genere infra suis locis promenda erunt.

III.

De significatu.

Nunc de significatu harum particularum explicemus. Est autem nihil in linguarum ratione difficilius, quam particularum vim ac potestatem perspicere, distincteque declarare. Quae quum plerumque sensu quodam percipiatur, ex obscuris et latentibus notionibus prodeunte, difficillime revocari ad claras et distinctas notiones potest, revocataque saepe evanescit magis, quam comprehenditur ac retinetur, ut quae hoc ipsum, sentiri potius, quam intelligi velit. Accedit quod plerarumque particularum tam varia est ratio, tamque multiplex usus, ut quamvis diligenter explices, tamen aegre invenias, quod ubique aptum

sit atque accommodatum. Eaque difficultas augetur etiam eo, quod, si ab aliarum comparatione linguarum auxilium petas, quod in huiusmodi re optimum esse adminiculum solet, nulla est lingua, cuius particulis ad hunc finem ita uti possis, ut eae non aut maiorem, aut minorem, aut ex parte saltem diversam vim habeant, eoque, dum explicandae rei non sine utilitate adhibentur, tamen simul etiam proclivitatem ad errandum afferant. Ac nescio an haec omnia praecipuo quodam modo quadrent in particulas ἄν et κέν, quibus non solum in aliis, quas ego quidem norim, linguis nullae particulae ex omni parte respondent, sed in ipsa Graecorum lingua quaedam particulae adeo sunt similes, ut ne ab his quidem quomodo differant statim appareat. Sed quum omnino non nisi duplex via pateat, quam quis in hoc genere ingredi possit, una, ut diuturna accurataque veterum scriptorum lectione ita persentiscat potestatem et usum harum particularum, quemadmodum solemus in iis linguis, quas quotidiana sermonis consuetudine addiscimus; altera, ut, posteaquam hunc sensum comparasse nobis videamur, ad claras eum distinctasque notiones revocare studeamus, quae quidem via sola relicta est ei, qui docere vult: conabimur hanc, quamvis difficilem provinciam in nos recipere, rogamusque lectores, ut has subtilitatum latebras nobiscum perreptare ne fastidiant.

Sunt in lingua Graeca tres aliae particulae, quae similem ut ἄν et κέν vim habent, ἴσως, πού, et τέ, sed differunt gradu et modo. De sola enim significatione et potestate nunc, non de constructione, loquor. Commune omnium hoc est, quod sententiam quodammodo debilitant, eique aliquid ambiguitatis addunt. Cuius ambiguitatis primo gradus diversi sunt: alia enim possibilia, alia fortuita, alia veri similia, alia probabilia esse dicimus. Atque omnium minime certa sunt, de quibus hoc tantum scimus, posse ea esse, sed nihil habemus, esse unde coniiciamus. Proxima his sunt, quae utrum sint, an non sint, fortuitum est, i. e. ex aliqua conditione suspensum, cuius veritas prius cognoscenda sit, quam verumne sit, quod ex ea pendet, sciamus. Sequuntur ea, quae veris similia

sunt: de quibus etsi non constat nobis, tamen esse ea potius, quam non esse credimus. Postrema sunt probabilia: quae sunt ea, quae mirum foret si non essent, quia rationem, quare esse debeant, idoneam videmus. Eadem vero omnia etiam modos quosdam habent, qui sunt duo, positi in eo, quod aut ad ipsam tantum cogitationem loquentis, aut ad rei, de qua sermo est, aliquam conditionem referuntur. Et ille quidem modus, qui ad loquentis cogitationem spectat, complectitur possibilia et veri similia, de quibus quis nihil amplius, quam de alteris se ambigere, de alteris opinari significat. Alter autem modus fortuita et probabilia continet, quibus in ipsis est aliquid, quare sint aut fiant, sed illud in alteris ignotum, notum autem in alteris. Itaque gradu haec ita se excipiunt, ut possibilibus fortuita, fortuitis verisimilia, veri similibus probabilia succedant: modi autem hanc iubent distributionem fieri, ut possibilia et verisimilia fortuitis et probabilibus opponantur, possibilium autem ad verisimilia eadem sit comparatio, quae fortuitorum ad probabilia. Singulis horum sua destinata sunt vocabula: ac possibilibus quidem et verisimilibus adverbia ἴσως et πού; fortuitis autem et probabilibus particulae ἄν sive κέν, et τέ. Considerabimus haec ita, ut in singulis etiam id, quod iis oppositum est, respiciamus: quod eo minus negligi convenit, quo maior est horum discriminum subtilitas.

Ac possibilibus indicandis inservit ἴσως, *forsitan*, Germanice *vielleicht:* quod est coniicientis, sed non scientis. Ei adverbio oppositum est verbum nudum sine particula, quo simpliciter veritas rei indicatur. Verisimilibus autem significandis adhibetur πού, *fortasse*, *wohl:* quod est opinantis, sed non affirmantis. Itaque ei opposita sunt ἦ et δή, quibus utitur, qui iam non opinari se, sed credere atque confidere affirmat. Fortuita notantur particulis ἄν vel κέν, quae Latine plerumque non possunt exprimi, sed si quae Latina particula ad propriam earum vim quodammodo accedit, est ea *forte:* Germani aptiorem habemus particulam *etwa*, sed non tamen ubique satis accommodatam. Est autem ἄν et κέν sumentis

aliquid, sed non contendentis: qui ubi iam non sumit, sed contendit, contrario utitur vocabulo *πάντως*. Probabilia denique per particulam *τὲ* exprimuntur, quae Germanice plerumque per *ja* encliticam exprimi potest, Latina in lingua *fere* vel *nimirum* non prorsus alienae sunt, sed aliquanto tamen fortiores. Haec autem oratio colligentis est, sed non dicentis necessarium esse: unde qui iam non colligit, sed firmius rationem concludit, *ἀναγκαίως* dicat necesse est.

Illustrabo haec versu Homeri, in quo his particulis omnibus locus est:

σύν τε δύ' ἐρχομένω, καὶ ἴσως πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν.

i. e. *duobus consociatis, forsitan alter altero plus videt: zwei beisammen, sieht vielleicht einer weiter als der andere.* Hoc qui dicit, fieri posse indicat, ut alter altero plus videat, sed utrum id fiat an non fiat, nescit. Quod si scit fieri ita, simpliciter id enunciat sine ulla particula, *πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν.* Sed si dicit,

σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί που πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν,

hoc dicit: *alter fortasse altero plus videt: zwei beisammen, sieht wohl einer weiter als der andere.* Eo autem opinari se indicat, ita fieri, sed non affirmat. Affirmare si vult, adverbio uti debet, quo non videri sibi ita, sed confidere se indicet, *ἦ δὴ πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν.* Porro si dicit,

σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί κεν πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν,

id hanc vim habet: *alter forte altero plus videt: zwei beisammen, sieht etwa einer weiter als der andere.* Quod qui dicit, ex fortuita aliqua conditione pendere significat, ut ita eveniat. Quod si tollit conditionem, *πάντως πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν* dicat necesse est. Denique quod ipse posuit poeta,

σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν,

in hanc sententiam dictum est: *alter nimirum altero plus*

videt: zwei beisammen, sieht ja einer weiter als der andere. Id vero est eius, qui probabile et consentaneum esse dicit, ita fieri, etsi non ait plane necessarium esse. Hoc enim si vult, dicendum est, *ἀναγκαίως πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν.*

Apparet ex his, ut opinor, et quid differant ipsae particulae inter sese, et quid singulae oppositum cogitari postulent. Quae si paucis comprehendere volumus, haec sunt. Quum *ἴσως* ad ea, quae possunt fieri; *που* ad verisimilia; *ἄν* et *κέν* ad ea, quae fortuita sunt, i. e. ex aliqua conditione pendent; *τέ* denique ad probabilia spectet: dubitantem, si *ἴσως* adhibeat, ita confirmamus; *non solum potest esse, sed est;* si *πού: non solum verisimile, sed verum est;* si *ἄν* vel *κέν: non solum conditione aliqua, sed omnino est;* si *τέ: non solum probabile et consentaneum, sed necessarium est.*

Non absre fuerit, haec etiam alio exemplo confirmare, Odyss. α. 197.

ἀλλ᾽ ἔτι που ζωὸς κατερύκεται εὐρέϊ πόντῳ.

Non potuit hic *τέ,* aut quod paullo fortius est, *τοὶ* poni. Hac enim particula indicaret Minerva, non modo se, sed etiam Telemachum, quem alloquitur, tantum abesse ut mortuum putent Vlyssem, ut eum vivere parum dubium, immo probabile esse credant. Contra si *ἴσως* dixisset, non multum profecto contulisset ad consolandum Telemachum: nam ipse sciebat, quamdiu non constaret de morte Vlyssis, forsitan vivere illum, etiam si parum esset verisimile. Multo minus particula *κέν* adhiberi potuit. Ita enim significaret Minerva, se id sumere, tamquam quod casu accidere potuerit, vivere Vlyssem, si non periisset. Quod Germanice dicas, *er lebt etwa noch.* At haec tam nulla fuisset consolatio, ut etiam minuere debuisset spem, quae Telemacho admodum exigua relicta erat. Ex his patet, necessario utendum fuisse particula *πού,* quae quia prodit Minervam verisimile putare vivere Vlyssem, sola Telemachum ad eamdem potest fiduciam erigere.

IV.

De constructione.

Construi dicimus verba, quae coniuncta plenam sententiam efficiunt. Nunc particulae ἄν et κέν, quoniam conditionis significationem continent, verbo quidem carere nusquam possunt: nam sicubi deest verbum, intelligendum est: modos autem formasque verbi admittunt omnes, quia in omnibus accedere potest conditionis notatio. Sed non cum omnibus tamen solae per se construi in eo quidem sermone possunt, qui deposita prisci temporis fluctuatione certas est dicendi leges sequutus. Itaque recte dicas construi ἄν cum indicativo, optativo, participio, infinitivo, ut ἔλεγον ἄν, λέγοιμ᾽ ἄν, λέγων ἄν, λέγειν ἄν· non autem possis dicere solas per se cum coniunctivo construi: neque enim λέγῃ ἄν dici licet: quamquam ὃς ἄν iure dicemus cum illo construi verbi modo. Patet autem quid intersit. Nam modus verbi, quocum ipsa per se constructa est particula ἄν, aliam eius accessione potestatem accipit. Aliud est enim ἔλεγον ἄν, quam ἔλεγον· et sic caetera, quae attulimus. In coniunctivi autem potestate nihil mutatur, sive accedat ἄν, sive non accedat: mutatur vero potestas illius vocabuli, cui adiunctus est coniunctivus: nam ἐάν, ὅταν, ὃς ἄν aliam vim habent, quam εἰ, ὅτε, ὅς. Itaque non ἄν dicendum est cum coniunctivo construi, sed voces illas, quibus adiunctum est ἄν. Ex his enim pendet coniunctivus, etiam si careant particula illa. Idque etiam aliis argumentis cognoscitur, et primum quidem eo, quod multa eiusmodi vocabula cum particula illa in unam vocem coaluerunt, ut ὅταν, ὁπόταν, ἐάν, ἐπεάν, ἐπειδάν, et Dorica αἴκα, ὄκκα· deinde e collocatione verborum, quae semper particulam illis vocabulis, numquam verbo colligat. Non enim dici potest, ὃς λέγῃ ἄν. Sed quod in coniunctivo, idem saepe etiam in aliis verbi modis accidit, ut cum iis non particula ἄν, sed alia vox adiunctam habens illam particulam construatur. Id monendum iudicavi propterea, quod quum mihi in explicando usu illarum

particularum eam videam rationem tenendam esse, ut, quaecumque earum constructio sit, verbi partes, quod adiunctum habent, deinceps persequar, tamen interdum eam, quae vere constructio est, ab illa, quae videtur esse, sed non est, distinguere oportebit.

V.

Grammaticorum de constructione sententia.

Grammaticorum quae fuerit de constructione particulae ἄν sententia, optime cognosci potest e scriptore de syntaxi in Bekkeri Anecdotis, qui illam doctrinam omnium plenissime exposuit. Eius verba infra suis locis afferentur. Hic satis est paucis, quid illi sentiant, complecti. Ac de quinque qui excepto participio numerantur verborum modis solum imperativum negant istam particulam admittere; cum caeteris autem eam omnibus construi aiunt. Item temporibus adiungi affirmant omnibus, exceptis praesente et perfecto et futuro. Infinitivis addi dicunt omnibus; item participiis.

Haec verane an non satis accurate dicta sint, quaeri potest duobus modis; uno, qui experientiae exemplorumque finibus continetur, qui per se caecus est, praesertim in tanta dissensione codicum; altero, qui in particulae verbique modorum ac temporum natura pervestiganda est positus, qui est ad intelligentiam rei quidem aptissimus, sed tamen, nisi usu exemplisque comprobetur, non facit satis. Convenit vero ab hoc facere initium, ut ubi apparuerit quid possit dici, deinde quaeratur, quid dici consueverit. Ac ratiocinetur quis ita fortasse: quoniam infinitivus nudam verbi notionem contineat, consequens esse, ut, si cum infinitivo construatur particula illa, construi possit etiam cum caeteris verbi formis omnibus; item, si infinitivus omnium temporum adiiciatur, ut possit etiam cum temporum omnium indicativis coniungi. At haec non recte conclusa foret ratio. Nam illa infinitivi constructio ubique est orationis obliquae, neque locum habet, nisi ubi in recta ora-

tione is verbi modus, cuius vicem sustinet infinitivus, adiungi sibi particulam patitur. Hinc patet, prius de his verbi modis, quam de infinitivo videndum esse.

VI.

De ἂν et κὲν cum indicativo summatim.

Par est autem, ex verbi modis primum commemorari indicativum. De eo, ipsaque particula non satis accurate praeceptum a grammaticis: quorum sententia his comprehensa est verbis scriptoris de syntaxi in Bekkeri Anecd. p. 126. *Ἄν· τοῦτον τὸν σύνδεσμον οἱ τεχνικοὶ δυνητικὸν προσαγορεύουσι· σημαίνει γὰρ πρᾶγμα μὴ γενόμενον, δυνάμενον δὲ γενέσθαι, εἰ μή τι συμβὰν ἐκώλυεν, οἷον, εἰ μὴ τὴν Ἑλένην Ἀλέξανδρος ἥρπασεν, οὐκ ἂν Τροία ἀπώλετο. ἠδύνατο, φησί, μὴ ἀπολέσθαι Τροία, εἰ μὴ τῆς ἀπωλείας τὴν αἰτίαν παρέσχε τὴν Ἑλένην ἁρπάξας Ἀλέξανδρος.* Et paullo post: *ἐξ οὖν ὑπαρχόντων χρόνων, ἐνεστῶτος, παρατατικοῦ, παρακειμένου, καὶ ὑπερσυντελικοῦ, ἀορίστου, μέλλοντος, ἐνεστῶτι καὶ παρακειμένῳ καὶ μέλλοντι οὐ συντάσσεται, τοῖς μέντοι τρισὶ τοῖς λοιποῖς παρὰ πᾶσι τοῖς σοφοῖς εὑρίσκεται.* Explicat haec doctissimus grammaticus, Apollonius lib. III. de syntaxi cap. 6. p. 204. s. *ὁ δὴ ἂν σύνδεσμος αὐτὸ μόνον ἐκ τηρήσεως εἴρηται ὡς παρῳχημένοις συντάσσεται, ἐξῃρημένου τοῦ παρακειμένου. ἐφ᾽ ἧς συντάξεως εἰ ἔροιτό τις, ἐν τῷ γράψω ἂν παρὰ τί τὸ ἀκατάλληλον ἐγένετο, οὐκ ἔστι φάναι ἢ μόνον ἐκ τῆς ἀντιλήψεως.* [*ὃ ἀκατάλληλόν ἐστιν.*] (Haec verba aut ut interpretis additamentum delenda sunt, aut mox post *ἀνθυπαλλαγὴ* inserenda.) *οὔτε γὰρ ἀριθμοῦ ἀνθυπαλλαγή, οὔτε ἄλλου του, ὃ δύναται διελέγξαι τὸ ῥῆμα μὴ συμπληθυόμενον ἢ συγχρονούμενον ἢ συνδιατιθέμενον. ἦν δὲ τὸ αἴτιον τοῦτο· τὰ γεγονότα τῶν πραγμάτων ὁ σύνδεσμος ἀναιρεῖν θέλει, περιϊστάνων αὐτὰ εἰς τὸ δύνασθαι, ἔνθεν καὶ δυνητικὸς εἴρηται. τὸ μὲν γὰρ ἔγραψα ἢ τὸ ἔγραφον ἢ τὸ ἐγεγράφειν ἢ ἀπὸ μέρους γεγονότα ἐστίν, ἢ καὶ ἐκπαλαι γεγονότα· ἔνθεν*

προσέρχεται τοῖς δυναμένοις τὴν ὕλην αὐτοῦ παραδέξασθαι, ἔγραφον ἄν, ἔγραψα ἄν, ἐγεγράφειν ἄν· οὐ μὴν τῷ γράφω ἢ γράψω· οὐ γὰρ παρῴχηται, ἵν' ἐγχωρήσῃ καὶ ἡ ἐκ τοῦ συνδέσμου ἀναίρεσις μὲν τοῦ γεγονότος, ἐπαγγελία δὲ τοῦ ἐσομένου. καὶ ἐντεῦθεν δὲ πειθόμεθα ὅτι οὐ παρῳχημένου συντέλειαν σημαίνει ὁ παρακείμενος, τήν γε μὴν ἐνεστῶσαν. ὅθεν οὐδὲν δυνησόμενον γενέσθαι παρεδέξατο, καὶ διὰ τοῦτο ἀπροσδεὴς τοῦ ἄν συνδέσμου ἐγεγόνει. ἐν τῇ συνδεσμικῇ συντάξει ἐντελέστερον τὰ τοιαῦτα δέδεικται. Aegre quidem caremus illa uberiore expositione, sed tamen vel ex his, quae hic obiter attulit Apollonius, colligi potest, alii quam debebat fundamento disputationem eius superstructam esse. Mirum profecto est, etiam doctissimos eruditissimosque grammaticos saepenumero non modo, quod accidere cuivis potest, in ratione reddenda errare, sed etiam quae usu firmata et comprobata sunt vel ignorare videri, vel diserte ut prava reiicere. Vtrumque factum videmus in hac disputatione. Nam neque caussa, cur praesenti et futuro iungi nequeat ἄν, recte explicata est ab Apollonio, neque ipsum illud verum est, non consociari particulam istam cum his temporibus, quandoquidem futurum saltem, in primis apud Homerum, quem prae caeteris scriptoribus omnibus grammatici illi tractabant, saepissime adsciscit ἄν. Nititur Apollonii sententia eo, quod ἄν tollat veritatem facti, faciatque ut quid non fieri factumve esse, sed posse fieri cogitetur. Nunc ait imperfectum, aoristum, plusquamperfectum, vel quae ex parte facta sint, vel pridem facta designare: idcirco iis convenire ἄν. Quibus hoc videtur dicere, temporibus istis vel penitus vel ex parte tolli factum: quae enim facta sint, iam non fieri; in praesente autem et futuro nihil esse, quod tolli possit: nam quod fiat, non etiam non fieri; quam esse etiam perfecti rationem, quippe quod praesentem a perfecta re statum indicet; quod autem futurum sit, ne eo quidem dum pervenisse, ut fieret. Haec quamvis subtiliter sint disputata, tamen, quoniam fundamentum, quo nituntur, angustioribus est quam oportuerat limitibus cir-

cumscriptum, vera quidem sunt intra hos limites, quod autem extra eos est, intactum relinquunt. Nam particula ἄν quum ubique ad conditionem aliquam referatur, quae conditio aut impleta aut non impleta intelligitur, eum tantummodo eius usum, quo ad non impletam conditionem refertur, qui longe est altero crebrior, spectavit Apollonius. Vnde fieri non potuit, quin ita, ut fecit, rationem concluderet. Nam quidquid ad conditionem non impletam refertur ex eaque pendet, praeterito tempore dicendum est, quia illud, non esse impletam conditionem, res est iam praeterita. Itaque non Graeca solum, sed aliae quoque et nescio an omnes linguae in hoc genere verbis praeteriti temporis utuntur, sive de praeterita re, sive de praesente, sive de futura loquendum sit. Vt *facturus essem* qui dicit, iam non factum esse sciat necesse est illud, quod si esset factum, ipse id quod agebat erat facturus. Neglexit vero Apollonius alteram rationem, qua particula ἄν ad impletam conditionem refertur. Quae ratio quoniam non levius momentum quam prior illa ad plenam accuratamque rei expositionem habet, nos utramque ita coniungemus, ut ambas ex communi quem habent fonte repetamus.

Quaecumque fieri vel non fieri dicimus, aut simpliciter affirmamus negamusve facta esse, vel fieri, vel fore: cui usui nudus omnium temporum indicativus inservit: aut ita commemoramus, ut effectio eorum restringatur conditione aliqua, quae eam vel ex parte vel totam tollat: quod fit adiectione particulae ἄν. Haec enim particula quoniam rei fortuitae notationem continet, facit indicativo addita, ut effectio e fortuita aliqua caussa suspensa esse intelligatur. Significat ergo illa constructio, fieri quid, si fors ferat. Itaque quum ἔλεγον sine restrictione dicatur, ἔλεγον ἄν refertur ad conditionem aliquam, e cuius eventu pendeat effectio. Nunc conditio illa aut impleta intelligitur, aut non impleta. Si impleta, ut ἔλεγον ἄν, ὁπότε τις ἐρωτῴη, veritas facti ex parte tollitur, ex parte autem affirmatur. Nam neque quod semel certo tempore factum sit, neque quod semper, enunciatur, sed indicatur quod ut plurimum, prouti fors ferret, fieri consueverit. Ita-

que oppositum cogitatur, *οὐ μὴν ἀεί*, vel quidquid huiusmodi quoque loco res requirit. Non impleta autem si intelligitur conditio, ut *ἔλεγον ἄν, εἰ ἐβουλόμην*, veritas facti tota tollitur, affirmaturque tantum, impendisse eius effectionem. Vnde oppositum cogitatur, *ἀλλ' οὐκ ἔλεγον.*

Ex his primo colligitur, *ἔλεγον ἄν* in utroque genere, et in eo quod in re facta, et in eo quod in re non facta versatur, eamdem vim habere. Nam quod aliae linguae haec genera discernunt, ut Latina, quae in altero *dicebam fere*, in altero *dicerem* usurpat, nihil id ad Graecos, qui quod commune horum generum est respicientes, in utroque eadem forma dicendi utuntur.

Deinde illud quoque apparet, cur, ubi non impleta conditio intelligitur, necessario praeteritis temporibus utendum sit, praesens autem eique compar perfectum, ac futurum excludantur. Nam neque quid fuisset, neque quid nunc esset, neque quid futurum esset, cogitari potest, nisi iam constet, non esse factum id, unde ista pendebant. Quare quum illud, non esse impletam conditionem, iam sit res praeterita, etiam quae ex illa conditione pendebant, in praeteritis numerantur. Sed ne quis forte conturbetur, quod non impletam conditionem vocamus, quae videatur eodem iure impleta dici posse, quemadmodum *facerem, nisi vetitum esset* idem est quod *facerem si esset licitum:* monendum putamus, conditionem posse vel affirmativam vel negativam esse, qualiscumque autem sit, notionem spectandam esse eam, quae ex illa conditione suspensa est: ut *facerem*, vel *non facerem:* nam conditio est caussa, qua quid fiat. Itaque *facerem* sic intelligitur, si caussa esset faciendi: at non est caussa faciendi: quare non facio; *non facerem* autem, si caussa non faciendi esset: at non est caussa non faciendi: non ergo non facio, i. e. facio.

Denique vero etiam de impletae conditionis temporibus iudicari poterit. Ac dicat quis forsitan, quae impleta aliqua conditione fiant, non minus debere praeteriti temporis esse, quia hoc quoque, esse illam conditionem impletam, pro praeterito habendum sit: aliter enim nondum

impletam fore. Esset id omnino ita, si in hoc genere, ut in altero, certum factum respiceretur. Atqui id nec fit, nec fieri potest: alioquin in omni certo facto addendum esset ἄν, quia nihil usquam fit, nisi caussa sit cur fiat. Quamobrem in iis tantum factis illa loquendi ratio usurpatur, quae non unum certum factum, sed plura incerta, ut quidque forte factum, forte etiam non factum est, continent. In his igitur conditio nec tempori certo nec rei adstricta est: nam in solo casu versatur, cuius natura in eo est posita ut caussa facti lateat, factum autem ipsum impletae ignotae conditionis documentum sit, factumque esse, si sit factum, intelligatur. Itaque quod supra posuimus, ἔλεγον ἄν, ὁπότε τις ἐρωτῴη, nihil est aliud, quam, ὁπότε τις ἐρωτῴη ἔλεγον, εἰ ἔλεγον, vel ἔλεγον, ὁσάκις ἔλεγον. Quod si conditio ita est cum ipso facto coniuncta, ut impletam esse non nisi ex facto ipso cognoscatur, consequens est, quocumque in tempore factum illud colloces, etiam conditionem cum eo coniunctam fore. Quare in hoc quidem genere nihil est, quod prohibeat, quin et λέγω ἄν, et λέξω ἄν recte dici existimentur. Vt quod apud Aristophanem est,

καὶ ταῖς ἀδελφαῖς ἀγοράσαι χιτώνιον
ἐκέλευσεν ἄν,

quid tandem caussae esse dicamus, cur, si eadem res ut quae nunc fiat, vel olim futura sit, narretur, non possit dici κελεύει ἄν, vel κελεύσει ἄν? Immo vel ex eo id colligas, quod in hoc genere praeteritum tempus non potest, ut in altero, quod est conditionis non impletae, atque in re non facta versatur, ad praesentia et futura adhiberi, sed unice continetur in praeteritis. His nihil aliud nunc quidem efficere volo, quam ut non rationi repugnare ostendam particulae ἄν in impleta conditione consociationem cum praesentis futurique indicativo: ex quo consequitur, ne perfectum quidem excludendum esse. Alia res est, si usum spectamus. Multa enim, quamvis recte dicantur, non sunt tamen usitata: contra sunt etiam, quae usus prava receperit. Et poterit, si quis negat usu comprobari illas

constructiones, eo uti argumento, quod Herodotus I. 196. ubi saepius cum praeterito ἄν in re facta coniunxit, omnem illam narrationem non ut caetera, quae de Babyloniorum institutis refert, praesenti tempore complexus sit, sed quasi de industria transtulerit in praeteritum, sic exorsus: *νόμοι δὲ αὐτοῖσι ὧδε κατεστέαται· ὁ μὲν σοφώτατος ὅδε, κατὰ γνώμην τὴν ἡμετέρην, τῷ καὶ Ἰλλυριῶν Ἐνετοὺς πυνθάνομαι χρῆσθαι· κατὰ κώμας ἑκάστας ἅπαξ τοῦ ἔτεος ἑκάστου ἐποιέετο τάδε.* Sed de his nunc quidem satis.

VII.

De ἄν et κἐν cum indicativo praeteritorum in re facta.

Igitur quum duplex sit usus particularum ἄν et κἐν cum indicativo constructarum, alter in re facta propter impletam conditionem, alter in re non facta propter conditionem non impletam: iam de utroque explicabimus, initio facto a priore.

Quod a quibusdam traditum est, particulas ἄν et κἐν cum praeteritis in re facta constructas ita usurpari, ut quid non semel, sed iterum iterumque factum indicent, in eo est sane aliquid veri, sed multo tamen latius patet harum usus particularum. Quum enim per eas particulas, ut supra ostendimus conditio aliqua significetur, quam ipsum factum impletam esse monstret: consequens est, huiusmodi locutionem, ἔλεγεν ἄν, ubique ita exprimi posse, *dicebat, si dicebat.* Nam verbo ἔλεγεν affirmamus dixisse aliquem, particulae autem adiectione indicamus, illud dicere ex aliqua re fortuita pependisse, totumque factum fuisse fortuitum. Illa fortuita autem varia sunt, ut, *dicebat, si dicebat hic; si hoc; si huic; si hoc tempore; si hoc loco; si hoc modo.*

Ac frequentissimus est huius locutionis usus, quum de pluribus factis aliquod ita commemoratur, ut quodlibet possit intelligi. In quo quod fortuitum est, fere vel in tempore, vel in persona, vel in re quapiam accessoria ver-

satur. Vt in tempore apud Homerum Od. β. 104. (τ. 149· ω. 139.)

ἔνθα κεν ἠματίη μὲν ὑφαίνεσκεν μέγαν ἱστόν,
νύκτας δ' ἀλλύεσκεν.

Male in his locis postrema Wolfii editio *καὶ* praebet. Vide Schaeferum in praefat. ad Iuliani orat. in Constant. p. XVIII. de hoc usu particulae *ἄν* disserentem. De re saepius facta sermonem esse, verbum frequentativum indicat. Sed additum *κέν* non quotidie telam texuisse Penelopam significat, sed plerumque, ut forte ei libebat. Dubiae auctoritatis hoc est Iliad. ν. 732.

ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεὺς
ἐσθλόν· τοῦ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκοντ' ἄνθρωποι·
καί τε πολέας ἐσάωσε, μάλιστα δέ κ' αὐτὸς ἀνέγνω.

Vetus haec et agnita a grammaticis scriptura est, quorum fuerunt, qui *καὐτὸς* pro *καὶ αὐτὸς* dictum putarent, alii autem *κε* abundare dixerunt: utrique male. Sed mori poetae convenientius est *δέ τε*. Non diversum est, quod legitur Od. σ. 260.

καὶ γὰρ Τρῶας φασὶ μαχητὰς ἔμμεναι ἄνδρας,
ἢ μὲν ἀκοντιστάς, ἢ δὲ ῥυτῆρας ὀϊστῶν,
ἵππων τ' ὠκυπόδων ἐπιβήτορας, οἵ κε τάχιστα
ἔκριναν μέγα νεῖκος ὁμοιΐου πολέμοιο.

Verba sunt Vlyssis ad Troiam profecturi, qui etsi fortes perhiberi Troianos ait, tamen non videtur bella novisse, quae ab iis feliciter gesta esse diceret, sed hoc tantum velle, viros fortes facile posse quamvis magnum bellum profligare. Itaque hoc quoque in loco poetam *οἵ τε* dedisse non dubium esse puto. Apertiora haec sunt Sophoclis in Philocleta v. 289.

πρὸς δὲ τοῦθ', ὅ μοι βάλοι
νευροσπαδὴς ἄτρακτος, αὐτὸς ἂν τάλας
εἰλυόμην δύστηνος ἐξέλκων πόδα
πρὸς τοῦτ' ἄν· εἴ τ' ἔδει τι καὶ ποτὸν λαβεῖν,

καί που πάγου χυθέντος, οἷα χείματι,
ξύλον τι θραῦσαι, ταῦτ' ἂν ἐξέρπων τάλας
ἐμηχανώμην· εἶτα πῦρ ἂν οὐ παρῆν.

Et Aristophanis Plut. v. 982.

ἀλλ' ἀργυρίου δραχμὰς ἂν ἤτησ' εἴκοσιν
εἰς ἱμάτιον· ὀκτὼ δ' ἂν εἰς ὑποδήματα·
καὶ ταῖς ἀδελφαῖς ἀγοράσαι χιτώνιον
ἐκέλευσεν ἄν, τῇ μητρί θ' ἱματίδιον·
πυρῶν τ' ἂν ἐδεήθη μεδίμνων τεττάρων.

Alia apud hunc exempla vide ibidem **1011**. s. **1142**. s. **1179**. seqq. Nub. **54**. **855**. **977**. seqq. **1382**. seqq. Ran. **914**. **920**. **924**. **927**. **946**. ubi codd. Rav. et Ven. εἶπ' ἄν; **948**. **950**. **1022**. Eq. **1354**. Av. **506**. **520**. ubi aliter Brunckius; **1288**. Pac. **213**. **217**. **641**. **643**. Lys. **509**. ubi non habet Brunckius; **510**. seqq. **517**. seqq. Lucian. Necyomant. **7**. T. I. p. **465**. Piscat. **11**. **12**. T. I. p. **579**. Philopseud. **35**. T. III. p. **61**. seqq. Encom. Demosth. **39**. T. III. p. **520**. ubi nemo non videat interpungendum esse, μάτην, εἶπεν ἄν, ἐπρεσβεύσαμεν. Herodotus I. **196**. ὅσοι δὲ τοῦ δήμου ἔσκον ἐπίγαμοι, οὗτοι δὲ εἴδεος μὲν οὐδὲν ἐδέοντο χρηστοῦ, οἱ δ' ἂν χρήματά τε καὶ αἰσχίστας παρθένους ἐλάμβανον· ὡς γὰρ δὴ ἐξέλθοι ὁ κήρυξ πωλέων τὰς εὐειδεστάτας τῶν παρθένων, ἀνίστη ἂν τὴν ἀμορφεστάτην ἢ εἴ τις αὐτέων ἔμπηρος ἦε· καὶ ταύτην ἀνεκήρυσσε, ὅστις θέλει ἐλάχιστον χρυσίον λαβών, συνοικέειν αὐτῇ· ἐς ὃ τῷ τὸ ἐλάχιστον ὑπισταμένῳ προεκέετο· τὸ δὲ ἂν χρυσίον ἐγένετο ἀπὸ τῶν εὐειδέων παρθένων. Solum hic ultimum ἂν potest alicui dubitationi obnoxium esse, quum primo adspectu nihil in illa sententia fortuiti insit. Ac vellem liber aliquis αὖ praeberet. Defendi tamen potest ἄν. Nam quum illud certissimum sit, aurum ex pretio pro venustioribus accepto datum esse, apertum est, ἄν non ad verbum ἐγένετο, sed ad nomen χρυσίον esse referendum, idque etiam collocationi particulae convenit: *quantum id forte auri erat, e venustiorum pretio erat confectum.* Nempe accipere illum ali-

quid auri certum erat; quantum autem acciperet, fortuitum. Eadem ratio in multa alia exempla quadrat, ut in illud, quod ex Sophocle apposui, *εἶτα πῦρ ἂν οὐ παρῆν*, et in Aristophanis quem adscripsi locum. Nam ea saepissime est nominis et verbi coniunctio, ut quod fortuitum in sententia inest, ab nomine demum ad verbum transeat. Demosthenes in Conon. p. **1257, 12.** ed. Reisk. *ἦν οὖν δεινοποιεῖσθαι τοῖς ἄλλοις ὥραν συμβαίνοι, ταύτην ἂν ἤδη ἐπαρῴνουν οὗτοι.* Lucian. Encom. Demosth. **24.** T. III. p. **500.** de Proteo: *τὸ γενόμενον ὅ φασιν αὐτὸν γενέσθαι, δρασμὸν ἐξευρίσκοντα τῆς ἀνθρωπίνης ὄψεως, ἐπεὶ κατηναλώκει πάσας ἰδέας ἂν θηρίων καὶ φυτῶν καὶ στοιχείων, αὖθις αὖ πενίᾳ μορφῆς ἐπεισάκτου Πρωτέα γενέσθαι.*

Omnino autem nihil illo particulae *ἄν* usu frequentius. Herodotus III. **119.** *ἡ δὲ γυνὴ τοῦ Ἰνταφέρνεος φοιτέουσα ἐπὶ τὰς θύρας τοῦ βασιλέως, κλαίουσα ἂν καὶ ὠδύρετο.* Sic II. **109.** III. **51. 148.** IV. **200.** VII. **211.** et cum verbis frequentativis II. **174.** IV. **42. 78. 130.** Plato Apol. Socr. **7.** p. **22.** B. *ἀναλαμβάνων οὖν αὐτῶν τὰ ποιήματα, ἃ μοι ἐδόκει μάλιστα πεπραγματεῦσθαι αὐτοῖς, διηρώτων ἂν αὐτοὺς τί λέγοιεν.* Vide Xenoph. Hist. Gr. VI. **2, 28. 4, 17.** Aliquid dubitationis admittit Aristophanis locus in Pace v. **69.**

> *ἔπειτα λεπτὰ κλιμάκια ποιούμενος*
> *πρὸς ταῦτ' ἀνηρίχᾶτ' ἂν εἰς τὸν οὐρανόν,*
> *ἕως ξυνετρίβη τῆς κεφαλῆς καταῤῥυείς.*

Nam etsi *ἄν* non solum in Aristophanis libris, sed etiam apud Etym. M. p. **99, 29.** et Suidam v. *ἀναῤῥιχᾶσθαι* invenitur, tamen Etymologicum Gud. p. **52, 54.** et Orion p. **621, 38.** *τὸν* omittunt, Suidas autem in v. *ἀνερῥιχῶντο* et Philemon in Lexico p. **149.** atque ex eo Favorinus habent *ἀνερῥιχᾶτ' ἂν πρὸς τὸν οὐρανόν.* Quare vel *ἀνηρίχᾶτ' ἄνω πρὸς οὐρανόν*, vel, quod malim, *ἀνηρίχᾶτ' ἄνω 'ς τὸν οὐρανὸν* scribendum videtur.

Saepe fortuitum illud, quod per particulas *ἄν* et *κἀν*

significatur, non in tempore, sed in iis, qui fecerunt aliquid, positum est. Legitur hodie Iliad. χ. 369.

ἄλλοι δὲ περίδραμον υἷες Ἀχαιῶν
οἳ καὶ θηήσαντο φυὴν καὶ εἶδος ἀγητὸν
Ἕκτορος.

At quis vel mediocriter in Homero versatus haec ferat? Nam primo καὶ et languidissime, et contra morem poetae adiectum est. Quod ubi sic poni videtur, ut paullo ante v. 364. et Iliad. α. 249. ibi τὸν καί, τοῦ καὶ non sunt pronomina relativa, sed demonstrativa, neque καὶ sic adnectendae sententiae caussa, sed alio fine adiectum est. Deinde nusquam Homerus εἶδος ἀγητὸν dixit, nisi forte quis ita accipiat Od. ξ. 177. quo tamen loco non minus, quam in caeteris, Iliad. ε. 787. θ. 228. ω. 376. h. Apoll. 198. homo potius ipse εἶδος ἀγητὸς dicitur. Vera scriptura praefixa est scholio ed. Villois. ubi non, ut Heynius refert, οἳ καί ἑ, sed οἵ κέ ἑ scriptum est. Hinc locum illum sic esse corrigendum patet:

οἵ κέ ἑ θηήσαντο, φυὴν καὶ εἶδος ἀγητὸν
Ἕκτορα.

Particula illa hic ita rem saepius factam significat, ut non tam ad ea, quae deinceps, quam ad id, quod a pluribus simul, aliis atque aliis factum sit, referatur. Eadem ratio est verborum frequentativorum εἴπεσκεν et οὐτήσασκεν illo in loco. Caeterum nemo non videt, particulam κὲ non ad pronomen, sed ad verbum pertinere. Nam si pronomen demonstrativum substituas, recte dices, οὗτοι δέ ἑ θηήσαντό κε. Simillimus est Platonis locus in Apol. Socr. p. 18. C. ἔπειτα εἰσὶν οὗτοι οἱ κατηγόροι πολλοὶ καὶ πολὺν ἤδη χρόνον κατηγορηκότες, ἔτι δὲ καὶ ἐν ταύτῃ τῇ ἡλικίᾳ λέγοντες πρὸς ὑμᾶς, ἐν ᾗ ἂν μάλιστα ἐπιστεύσατε, παῖδες ὄντες, ἔνιοι δ' ὑμῶν καὶ μειράκια, ἀτεχνῶς ἐρήμην κατηγοροῦντες ἀπολογουμένου οὐδενός. Demosthenes de corona p. 301, 19. ἀλλ' ὅμως οὐδεὶς πώποτε τούτων διαπαντὸς ἐδωκεν ἑαυτὸν εἰς οὐδὲν τῇ πόλει, ἀλλ' ὁ μὲν γράφων οὐκ ἂν ἐπρέσβευσεν, ὁ δὲ πρεσβεύων οὐκ

ἂν ἔγραψεν. Andocides de myster. p. 73. Reisk. ubi Bekkerus p. 146. particulam uncis inclusit: *οὐ γὰρ ἔστιν ὅστις πώποτε ὑμῶν παριὼν τὴν οἰκίαν τὴν ἡμετέραν ἀνεμνήσθη ἢ ἰδίᾳ τι ἢ δημοσίᾳ κακὸν παθὼν ὑπ᾽ ἐκείνων, οἳ πλείστας μὲν στρατηγήσαντες στρατηγίας πολλὰ τρόπαια τῶν πολεμίων καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν ὑμῖν ἀπέδειξαν, πλείστας δὲ ἄλλας ἀρχὰς ἄρξαντες καὶ χρήματα διαχειρίσαντες τὰ ὑμέτερα οὐδὲν ἂν πώποτε ὤφλον.* Id nos diceremus, *die nicht etwa schuldig wurden.*

Rariora sunt exempla, in quibus neque in tempore, neque in personis, sed in ipso facto aliquid fortuiti est. Homerus Od. δ. 546.

> *ἦ γάρ μιν ζῶόν γε κιχήσεαι, ἦ κεν Ὀρέστης*
> *κτεῖνεν ὑποφθάμενος, σὺ δέ κεν τάφου ἀντιβολήσαις.*

Nos diceremus, *oder es hat ihn etwa Orestes getödtet.* Nemo reprehenderet, si ibi *ἢ καὶ* legeretur. Sed agnitum *κἐν* etiam ab antiquis interpretibus.

Quae hactenus attulimus, ita erant comparata, ut ἄν particula per se sola vel esset constructa cum indicativo praeteriti, vel posset cum eo constructa existimari. Sed est aliud genus loquendi, in quo ea particula non est per se constructa cum verbo, sed pertinet ad vocem conditionis significantem, quales sunt *εἰ, ὅς* aliaeque. Od. ζ. 282.

> *βέλτερον, εἴ κ᾽ αὐτή περ ἐποιχομένη πόσιν εὗρεν*
> *ἄλλοθεν.*

melius est, si forte ipsa sibi maritum quaesivit. Nos hic quoque *etwa.* Nam sententia conditionalis, ubi incerti quid est in conditione, facile admittit istam particulam. Itaque videntur id etiam Dorienses esse imitati. Incertus Pythagoreus apud Galium p. 722. *αὐτίκα, κατηγορεῖς ἱεροσυλίαν τεύ, αἴκ᾽ ἐγένετο τῶργον, ἀλαθὴς ὁ λόγος.* Et *αἴ an* significante p. 729. *ἐπεὶ αἴ τις ἐρωτήσαι τὼς λέγοντας ὡς τὸ αὐτὸ ἐστὶν ἄδικον καὶ δίκαιον, αἴκα δή τι δίκαιον περὶ τὼς γονέας ἔπραξαν, ὁμολογοῦντι καὶ ἄδικον*

ἄρα. Deberet ad hoc genus referri hoc Aristophanis in Lys. 1098.

ὦ Πολυχαρίδα, δεινά γ' αὖ πεπόνθαμες,
αἰκ' εἶδον ἀμὲ τῶνδρες ἀναπεφλασμένως.

Et pertinet sane huc, nisi quod de re non facta accipiendum est. Nam recte Elmsleius, δεινά τἄν ἐπεπόνθεμες, nisi quod fortasse satius erat δεινά τἄν πεπόνθεμες scribi.

Sed est hoc epicorum atque Doriensium proprium. Atticos vero non reperias in huiusmodi sententiis ἄν indicativo iunxisse. Legitur quidem in quibusdam libris apud Aristophanem Nub. 1152.

ΣΩ. ὥστ' ἀποφύγοις ἂν ἥντιν' ἂν βούλῃ δίκην.
ΣΤ. κεἰ μάρτυρες παρῆσαν, ὅτ' ἐδανειζόμην;
ΣΩ. πολλῷ γε μᾶλλον, κἂν παρῆσαν χίλιοι.

Sed non dubitandum quin vera sit plerorumque et meliorum librorum scriptura, κἂν παρῶσι, quae tamen est simplicius interpretanda, quam visum est Reisigio p. 104. Nam κἂν παρῶσι dicit Socrates, quia etiam illa, ὥστ' ἀποφύγοις ἂν ἥντιν' ἂν βούλῃ δίκην, de praesente vel futuro dixit. In Lysistr. 1025. qui scribendum censuerunt.

κἄν με μὴ 'λύπεις, ἐγώ σου κἂν τόδε τὸ θηρίον
τοὐπὶ τῷφθαλμῷ λαβοῦσ' ἐξεῖλον ἄν, ὃ νῦν ἔνι,

decepti sunt eo, quod aoristus sequitur. Recte vero libri κἄν με μὴ λυπῇς. Non minus temere ἄν, i. e. ἐάν, illatum in Demosth. prooem. p. 1451, 18. ubi non dubium est quin scribi debeat: οὔτ' ἂν εἴ μοι τὰ δέοντα ἐδοκεῖτε προαιρεῖσθαι, παρῆλθον, περίεργον ἡγούμενος τοῖς ἀφ' αὑτῶν ἃ χρὴ ποιοῦσι λέγειν, οὔτ' ἂν εἰ τοὐναντίον.

Alia quaedam huius generis non abhorrent a communi usu. Herodotus III. 150. τὰς μητέρας ἐξελόντες, γυναῖκα ἕκαστος μίαν προσεξαιρέετο τὴν ἂν ἐβούλετο ἐκ τῶν ἑαυτοῦ οἰκητῶν. Ita aliquot codd. iique recte: nam in aliis per grammaticos deleta videtur particula. Differentia manifesta est: nam τὴν ἐβούλετο esset *eam, quam volebat*; τὴν ἂν ἐβούλετο est, *quam forte volebat*, sive mavis, *quamcumque volebat*. Haec in praesens tempus translata,

alterum sic est dicendum, *προεξαιρέεται ἣν βούλεται*, alterum *προεξαιρεῖται ἣν ἂν βούληται*. Lucianus Dial. mort. IX. 2. T. I. p. 361. *καὶ μακάριος ἦν αὐτῶν, ὄντινα ἂν καὶ μόνον προσέβλεψα*. Idem in Demon. 10. T. II. 379, 18. *πλέον δὲ ἢ ἔλαττον ἔχαιρε συνὼν ἑνίοις αὐτῶν, μόνοις ἐξιστάμενος ὁπόσοι ἂν ἐδόκουν αὐτῷ ὑπὲρ τὴν τῆς θεραπείας ἐλπίδα διαμαρτάνειν*. His quidem in duobus exemplis potuerat etiam optativus, sed omisso *ἄν*, poni. Sic etiam in hoc Antiphontis loco p. 768, (85. §. 11.) *ἔπειτα τὸν χορὸν συνέλεξα ὡς ἐδυνάμην ἄριστα, οὔτε ζημιώσας οὐδένα, οὔτε ἐνέχυρα βίᾳ φέρων, οὔτ' ἀπεχθανόμενος οὐδενί, ἀλλ' ὥσπερ ἂν ἥδιστα καὶ ἐπιτηδειότατα ἀμφοτέροις ἐγίγνετο, ἐγὼ μὲν ἐκέλευον καὶ ἠγούμην, οἱ δ' ἑκόντες καὶ βουλόμενοι ἔπεμπον*. Pertinet ad hoc constructionis genus etiam Demosthenis locus p. 1106. ult. *οἱδὲ τῇ παρακλήσει χρησάμενοι περιπετάσματι, διαθήκας ἐμαρτύρησαν, ὡς ἂν μάλισθ' οἱ δικασταὶ ταύτην τὴν διαθήκην ἐπίστευσαν τοῦ πατρὸς εἶναι, ἐγὼ δὲ ἀπεκλείσθην τοῦ λόγου τυχεῖν ὑπὲρ ὧν ἀδικοῦμαι, οὗτοι δέ, φωραθεῖεν τὰ ψευδῆ μεμαρτυρηκότες· καίτοι τό γ' ἐναντίον ᾤοντο τούτου. Illi vero, provocationis praetextu usi, de testamento testati sunt eo modo, quo facillime iudices hoc patris testamentum esse credere, ego autem ab oranda caussa meu excludi debebam, ipsi vero — falsa testati esse deprehenderentur: atqui contrarium sperabant.* Illa enim *οὗτοι δέ*, (hic voce paullum subsistit orator) *φωραθεῖεν τὰ ψευδῆ μεμαρτυρηκότες*, ironice dicta esse patet. Apud Herodotum vero quod I. 108. in quibusdam libris scriptum est, *λάβε τὸν ἂν Μανδάνη ἔτεκε παῖδα*, ita demum a soloecismi reprehensione quis liberet, si contendat veritum esse Astyagen, ne forte Mandane gemellos esset aut tergeminos enixa. At id vix erit cui probetur: rectequo codd. plerique omittunt *ἄν*. Offendat fortasse aliquem *ἄν* etiam apud Lucianum Halc. 5. T. I. p. 181. *ταῦτα γὰρ τοῖς νέοις ὡς ἂν εἶπον παιδίοις οὐδ' εἰς νοῦν ἐλθεῖν δυνατὰ φαίνεται*. Nam commemoraverat paullo ante *τὰ νήπια παντελῶς βρέφη τὰ πεμπταῖα ἐκ γενετῆς ἢ δεκα-*

ταῖα. Sed non est cur discipliceat ista locutio, cuius hic sensus est, τοῖς οὕτως ἂν ὡς εἶπον νέοις οὖσι παιδίοις.

VIII.

De ἄν cum indicativo futuri.

Pergimus ad ἂν cum futuro coniunctum, qua constructione, quamvis improbata grammaticis, epici veteres usi sunt saepissime, quum quidem aliquid fortuiti inesse rei futurae indicandum putarunt. Sed neque Latinis, neque Germanis particula est, quae in hoc genere ubique Graecae particulae vim exprimat.

Nihilominus percipi eius potestas ubique potest. Vt a difficilioribus incipiam, quod Odyss. γ. 80. legitur,

εἴρεαι ὁππόθεν εἰμέν· ἐγὼ δέ κέ τοι καταλέξω,

id Germanice dicas: *ich will dir es wohl sagen.* Quod quid sit si accuratius quaeras, apparet, sensum esse, *si tibi placet, dicam.* Sic etiam Iliad. ξ. 267.

ἀλλ' ἴθ', ἐγὼ δέ κέ τοι Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων
δώσω ὀπυιεμέναι καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν.

Non est enim haec oratio simpliciter et sine conditione promittentis, sed aliquam adiicientis dubitationem, si scilicet alteri placeat. Cuiusmodi in locis apertum est, non potuisse τέ poni, quod est quodammodo affirmantis id, quod fieri consentaneum est.

Apertior est rei fortuitae significatio in his verbis, Iliad. α. 139.

ὅ δέ κεν κεχολώσεται, ὅν κεν ἵκωμαι.

Alia exempla vide vers. 523. δ. 176. ζ. 260. ϑ. 404. ι. 61. 386. ubi tamen quibusdam optativus placuit, eumque in postrema editione posuit Wolfius. ξ. 239. ο. 211. ρ. 515. χ. 42. Od. δ. 80. 753. π. 297. ρ. 540. τ. 558. h. Ven. 140. Et ἄν, Iliad. χ. 66.

αὐτὸν δ' ἂν πύματόν με κύνες πρώτῃσι θύρῃσιν
ὠμήσταὶ ἐρύουσιν.

Vide vers. 49. et β. 488. (Od. δ. 240. λ. 327. 516.) Non minus saepe ὅς cum futuro has particulas adsciscit. Iliad. α. 174.

πάρ᾽ ἔμοιγε καὶ ἄλλοι,
οἵ κέ με τιμήσουσι.

Vide β. 229. ι. 155 297. μ. 226. ρ. 241. Od. ε. 36. κ. 288. 432. π. 438. Et ὅτε atque ὁπότε. Iliad. υ. 335.

ἀλλ᾽ ἀναχωρῆσαι, ὅτε κεν συμβλήσεαι αὐτῷ.

Quod nos dicimus, *wenn etwa.* Od. π. 282.

ὁππότε κεν πολύβουλος ἐνὶ φρεσὶ θήσει Ἀθήνη,
νεύσω μέν τοι ἐγὼ κεφαλῇ.

Quo loco in vertendo omittendum κέν. Sic etiam Iliad. φ. 340.

μὴ δὲ πρὶν ἀπόπαυε τεὸν μένος· ἀλλ᾽ ὁπότ᾽ ἂν δὴ
φθέγξομι᾽ ἐγὼ ἰάχουσα, τότε σχεῖν ἀκάματον πῦρ.

Hic quidem φθέγξομαι dubium, futurumne sit an coniunctivus. Cum εἰ coniunctum κέν rursum per *wenn etwa*, *si forte*, exprimi potest Iliad. β. 258.

εἴ κ᾽ ἔτι σ᾽ ἀφραίνοντα κιχήσομαι, ὥς νύ περ ὧδε.

Vide ο. 213. ρ. 557. Od. ε. 417. nisi hoc loco coniunctivus est. Saepissime vero, ubi εἰ significat *an*, ut Od. ο. 523. π. 238. ρ. 79. σ. 264. Tum etiam εἰσόκε, Odyss. ϑ. 317.

ἀλλά σφωε δόλος καὶ δεσμὸς ἐρύξει,
εἰσόκε μοι μάλα πάντα πατὴρ ἀποδώσει ἔεδνα.

Itaque fortasse etiam ποιήσομαι Iliad. γ. 409. non coniunctivus, sed futurum est.

Talia non reperias apud illos scriptores, qui sermone iam magis stabilito usi sunt: diserteque συνήσω ἄν in soloecismis numeratum ab Luciano in Pseudologista c. 2. T. III. p. 555. Coniungere quidem hos quoque ἄν cum futuro quidam existimarunt, quorum aliquos, qui tamen satis leviter hanc rem attigerunt, citavit Schaeferus ad

Greg. Cor. p. 66. Nominavit tamen eosdem Astius ad Platonem de Legg. p. 358. Addi possunt Coraes ad Isocr. p. 155. et Lobeckius ad Phryn. p. 733. seq. Sed rectius commemorabuntur Heindorfius ad Platonis Phaedon. p. 22. et Werferus in Actis Monac. I. p. 103. 248. 252. Quibus qui nuper accessit Reisigius in commentatione de particula ἄν p. 99. seq. quum in animum induxisset, particula illa veritatem rei extolli potius, quam deprimi, fieri non potuit, quin proferret, quae vereor ut multis persuadeat. Indicabo primum aliquot locos adiectione particulae vel ab librariis vel a criticis depravatos. Arist. Ach. 392. Av. 832. Lysistr. 542. de quo loco vide Reisigium p. 101. et in Coniect. p. 177. 188. ac nos ad Oed. Col. 1454. Platon. Phaedr. p. 231. D. Antiphont. p. 34. (674. Reisk.) Apud Isocratem quae exempla exstant, quum in cod. Vrbin. omnia sublata sint, dubitari potest an id grammaticis acceptum feramus, praesertim quum codex ille ipsas exhibeat subscriptiones eorum, qui orationes istas recognoverint: vide Bekkeri editionem p. 15. 31. 277. 297. 312. 401. Sed utcumque illi grammatici pro suo arbitrio refinxerint Isocratem, tamen quibusdam saltem in locis librorum fide expulisse istam constructionem videntur, ut in Areop. 35. §. 89. p. 211. (244. Lang.) et in Trapez. 21. §. 51. p. 528. (639) ubi in verbis γνώσεσθε ἄν cod. Vrb. omittit particulam, quae unde orta fuerit si quaeris, verisimillimum est, quum consueto errore exaratum esset γνώσεσθαι, supra autem adscriptum ε, inde conflatum esse γνώσεσθαι ἄν. Omnino autem vix ullus est scriptor, in quo non aliquando ἄν librariorum errore vel inscitia cum futuro constructum reperiatur.

Quibusdam vero in locis non tantum tribuerim auctoritati grammaticorum, ut iis sicubi ἄν cum futuro consociatum correxisse videantur, continuo assentiendum putem. Est autem duplex ratio, qua ἄν cum futuro coniungi possit, una, quum vere construitur cum illa verbi forma; altera, quum consociatur quidem particula futuro, sed non ut constructa cum eo censenda sit.

Dicatur primo de ea, quae vere constructio habenda est. Ac nihil obstare, quin particula ἄν in narratione rei

fortuito factae non solius praeteriti temporis propria, sed communis temporum omnium esse existimetur, supra ostendimus. Quod si is usus in praesente et futuro tam rarus, quam frequens in praeteritis est, non est id mirum: narrationes enim fere in praeteritis versantur. Sed quum etiam praesentia futuraque narrari possint, non temere damnem, sicubi etiam cum his temporibus, ea quidem lege qua in praeteritis, *ἄν* coniunctum reperiatur.

Nunc quidem non nisi unum in promptu habeo exemplum, idque valde dubium, apud Isocratem. Sublatum est enim in cod. Vrbin. sive librorum fide, sive quod Heliconius eiusque socii illam constructionem non putabant ferendam esse. In Panegyrico ille c. 48. §. 214. p. 102. (p. 111. Lang.) ad bellum Persis inferendum adhortans, his verbis utitur: *μόνος γὰρ οὗτος ὁ πόλεμος κρείττων εἰρήνης ἐστί, θεωρίᾳ μὲν μᾶλλον ἢ στρατείᾳ προσεοικώς, ἀμφοτέροις δὲ συμφέρων, καὶ τοῖς ἡσυχίαν ἄγειν βουλομένοις καὶ τοῖς πολεμεῖν ἐπιθυμοῦσιν. ἔξεσται γὰρ ἂν τοῖς μὲν ἀδεῶς τὰ σφέτερ' αὐτῶν καρποῦσθαι, τοῖς δ' ἐκ τῶν ἀλλοτρίων μεγάλους πλούτους κατακτήσασθαι.* Codex Vrbinas *εἴη γὰρ ἄν.* Ac sane *ἔξεσται* videri potest ex interpretatione in textum venisse, praesertim quum saepius vulgata lectio, si ad libri Vrbinatis scripturam comparetur, interpretationis speciem prae se ferat. Patet vero, si recte se habet *ἔξεσται ἄν*, prorsus eodem modo dictum esse, ut *ἐξῆν ἄν* diceretur, si res ista esset temporis praeteriti. Hac sola ratione, si scriptura recte se habet, defendi possit locus Herodoti III. 104. *οἱ δὲ δὴ Ἰνδοὶ τρόπῳ τοιούτῳ καὶ ζεύξει χρεώμενοι ἐλαύνουσι ἐπὶ τὸν χρυσὸν λελογισμένως, ὅκως ἂν καυμάτων τῶν θερμοτάτων ἐόντων ἔσονται ἐν τῇ ἁρπαγῇ.* Quasi dicas, *ut, quoties id faciunt, faciant maximi caloris tempore.*

Alterius generis, in quo *ἄν* iunctum quidem futuro, sed constructum cum aliis verbis est, multo plura exempla inveniuntur: quorum etsi nonnulla suspecta sunt, tamen res ipsa maxime videtur dubia esse. Apud Pindarum Nem. VII. 100. (68) vulgo legitur: *μαθὼν δέ τις ἂν ἐρεῖ, εἰ παρ μέλος ἔρχομαι ψέγιον ὄαρον ἐννέπων.* Boeckhius, recte iudi-

cans usum Pindari *ἐρέει* requirere, *ἄν* delendum putat. At hoc vix addiderint librarii, quos credibilius est *τὶς* inseruisse. Patet vero, *ἄν* non ad verbum, sed ad participium referendum esse. Sed quod apud eumdem poetam Isthm. V. 54. Boeckhius scribi vult, *εἰρήσεταί πά κ' ἐν βραχίστοις*, ut *κ' ἐν* sit pro *κε ἐν*, id vel propter collocationem istarum particularum Graeci sermonis ratio repudiat. Thucydides II. 80. *τοῦ δ' αὐτοῦ θέρους, οὐ πολλῷ ὕστερον τούτων, Ἀμπρακιῶται καὶ Χάονες, βουλόμενοι Ἀκαρνανίαν πᾶσαν καταστρέψασθαι καὶ Ἀθηναίων ἀποστῆσαι, πείθουσι Λακεδαιμονίους ναυτικόν τε παρασκευάσασθαι ἐκ τῆς ξυμμαχίδος, καὶ ὁπλίτας χιλίους πέμψαι ἐς Ἀκαρνανίαν, λέγοντες ὅτι, ἢν ναυσὶ καὶ πεζῷ ἅμα μετὰ σφῶν ἔλθωσι, ἀδυνάτων ὄντων ξυμβοηθεῖν τῶν ἀπὸ θαλάσσης Ἀκαρνάνων, ῥᾳδίως ἂν Ἀκαρνανίαν σχόντες καὶ τῆς Ζακύνθου καὶ Κεφαλληνίας κρατήσουσι, καὶ ὁ περίπλους οὐκέτι ἔσοιτο Ἀθηναίοις ὁμοίως περὶ Πελοπόννησον.* Nonnulli codd. *ἂν* omittunt; alii habent *κρατήσωσι*. Nihil vero vitii in vulgata. Nempe si separatim singula posuisset Thucydides, ita scripsisset: *ὅτι ῥᾳδίως ἂν Ἀκαρνανίαν σχοῖεν, καὶ τῆς Ζακύνθου καὶ Κεφαλληνίας κρατήσουσιν.* Eo differt huius loci sententia ab simili VI. 33. *ἡγούμενοι, εἰ ταύτην σχοῖεν, ῥᾳδίως καὶ τἆλλα ἕξειν.* Isocrates ad Demonic. §. 25. p. 8. Lang. vulgo: *οὕτω δ' ἂν ἄριστα χρήσει τοῖς φίλοις, ἐὰν μὴ περιμένῃς τὰς παρ' ἐκείνων δεήσεις, ἀλλ' αὐτάγγελος αὐτοῖς ἐν τοῖς καιροῖς βοηθῇς.* Iure, ut mihi videtur, hanc scripturam probat Werferus. Codd. quidam omittunt *ἄν;* alii, in iisque Vrbinas, etiam copulam, *οὕτως ἄριστα* exhibentes. Quid sit illud *οὕτω δ' ἄν*, intelligas, ubi plene dixeris, *οὕτω δ' ἂν χρώμενος, ἄριστα χρήσει.* Aeschines de falsa leg. §. 11. p. 196. Reisk. *οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα μεμνήσομαι καὶ δυνήσομαι εἰπεῖν, καὶ ὑμεῖς μαθήσεσθε.* Quod quid aliud est quam *οὕτω γὰρ ἂν ποιῶν?* Sed hic quoque codd. nonnulli omittunt *ἄν*. Contra apud Lucian. Dial. mort. XIII. 6. T. I. p. 394. et de calumn. non temere cred. 6. T. III. p. 133. in hac locutione pro futuro optativum praebuerunt codices.

Sic apud Thucydidem I. 33. Bekkerus edidit: *γενήσεται δὲ ὑμῖν πειθομένοις καλὴ ἡ ξυντυχία κατὰ πολλὰ τῆς ἡμετέρας χρείας, πρῶτον μὲν ὅτι οὐκ ἀδικουμένοις καὶ ἑτέρους βλάπτουσι τὴν ἐπικουρίαν ποιήσεσθε, ἔπειτα, περὶ τῶν μεγίστων κινδυνεύοντας δεξάμενοι, ὡς ἂν μάλιστα μετ᾽ ἀειμνήστου μαρτυρίου τὴν χάριν καταθεῖσθε.* Libri *κατάθησθε* vel *καταθῆσθε:* in uno cod. *η* a correctore in spatio duarum litterarum capace exaratum. Ac recte quidem Bekkerus: sed non tamen absurdum est, quod Fr. Volcmar Fritzschius, iuvenis bene in his litteris versatus, coniiciebat, *καταθήσεσθε.* Omnino autem, nisi fallor, in qualibet accessoria parte sententiae *ἄν* locum habet, si illi ipsi parti aliquid fortuiti adscribendum est. Quare non soloecum esse puto, quod unus alterve codex in Aristoph. Nub. 465. praebet,

ἆρά γε τοῦτ᾽ ἂν ἐγώ ποτ᾽
ὄψομαι;

Non enim ad futurum, sed ad *τοῦτο* referendum est *ἄν.* Quod explicatius ita dicas: *ἆρά γε τοῦτ᾽ ἂν εἴη, ὃ ἐγώ ποτ᾽ ὄψομαι;* Caeteri libri et Suidas: *ἆρά γε τοῦτ᾽ ἄρ᾽;* Venetus, *ἆρά γε τοῦτ᾽ ἄρ᾽,* ut Reisigius edidit. Sed ut *ἄρα* post *ἆρα* defendi possit, *ἆρα* non potest. Similiter in Platonis Phaedone p. 61. C. *σχεδὸν οὖν, ἐξ ὧν ἐγὼ ἤσθημαι, οὐδ᾽ ὁπωστιοῦν ἄν σοι ἑκὼν εἶναι πείσεται.* Hic quoque nescio an a grammaticis expulsum sit *ἄν,* quod abest in membranis Bodleianis et aliis quibusdam codd. Xenophon. Cyrop. VII. 5, 21. *νῦν δ᾽ ἐπ᾽ αὐτοὺς ἴωμεν ἐν ᾧ πολλοὶ μὲν αὐτῶν καθεύδουσι, πολλοὶ δ᾽ αὐτῶν μεθύουσι, πάντες δὲ ἀσύντακτοί εἰσιν· ὅταν δὲ καὶ αἴσθωνται ἡμᾶς ἔνδον ὄντας, πολὺ ἂν ἔτι μᾶλλον ἢ νῦν ἀχρεῖοι ἔσονται ὑπὸ τοῦ ἐκπεπλῆχθαι.* Huic loco simillimus est hic Dinarchi in Demosth. §. 111. p. 73. Reisk. *μὴ οὖν ἄχθεσθε αὐτοῦ κλαίοντος καὶ ὀδυρομένου· πολὺ γὰρ ἂν δικαιότερον ἐλεήσετε τὴν χώραν, ἣν οὗτος κατέστησεν εἰς κινδύνους, τοιαῦτα πράττων.* Bekkerus ibi *ἐλεήσαιτε* ex coniectura edidit, valde illa quidem probabili, sed tamen non evidenter necessaria. Non potest repre-

hendi, quod legitur apud Lucianum Fugitiv. 24. T. III. p. 377. *κατίωμεν, ὡς κἂν ὀλίγους αὐτῶν ἐπιτρίψωμεν σήμερον.* Sed alia ibi exstat scriptura, *ὡς οὐκ ἄν*, quam apertum est aut optativum aut futurum requirere, *ὡς nam* significante. Eadem ratione *τάχ' ἄν* futuro iunxit Antisthenes rhetor, p. 30. §. 6. (p. 58. Reisk.) *ὃς πρῶτον μὲν οὐκ οἶσθα οὐδ' ὅπως ἔδει μάχεσθαι, ἀλλ', ὥσπερ ὗς ἄγριος ὀργῇ φερόμενος, τάχ' ἄν ποτε ἀποκτενεῖς σεαυτόν, κακῷ περιπεσών τῳ.* De quo non magis dubitandum quin recte dictum sit, quam de *κἄν*. Euripides El. 485.

κἂν ἔτ' ἔτι φόνιον ὑπὸ δέραν
ὄψομαι αἷμα χυθὲν σιδάρῳ·

Lucian. Dial. meretr. XI. 4. T. III. p. 310. *περὶ γὰρ τῶν ἐτῶν κἂν ὁ πάππος διηγήσεταί σοι, εἴγε ζῇ ἔτι.* Sed in Aristoph. Av. 1314.

ταχὺ δ' ἂν πολυάνορα τάνδε πόλιν
καλεῖ τις ἀνθρώπων,

ubi Reisigius p. 101. *καλεῖ* tuetur, quia ei *ἄν* probabilitatem rei augere potius quam minuere visum est, nihil prorsus ego invenire queo quo futurum defendam, praeferamque quamvis paucorum librorum scripturae *καλοῖ*, plerisque doctorum probatae. Caeterum recte in hoc versu nuper G. Dindorfium *τὰν πόλιν* dedisse puto, velimque etiam *ταχὺ τἄν* scribi. Adiungit Reisigius Euripidis locum Heracl. 769. quem ita scribit: *οὔποτε θνατῶν ἥσσονές ποτ' ἂν ἔκ γ' ἐμοῦ φανοῦνται.* Libri *εἴτ' ἐμοῦ* vel *οὔτ' ἐμοῦ*. Quae hic Elmsleius duo foedissima latere menda putat, repetitum *ποτὲ* et *ἄν* iunctum futuro, non menda sunt, sed recte composita oratio. Illa potius duo vitiosa sunt, *εἴτ' ἐμοῦ*, et quod nomen substantivum deest. Vtrumque removeris, si scripseris:

Ζεύς μοι σύμμαχος, οὐ φοβοῦ-
μαι· Ζεύς μοι χάριν ἐνδίκως
ἔχει· οὔποτε θνατῶν
ἥσσους θεοί ποτ' ἂν ἔν γ' ἐμοὶ φανοῦνται.

Multo minus afferre debebat Reisigius Soph. Trach. 672

τοιοῦτον ἐκβέβηκεν, οἷον ἂν φράσω,
γυναῖκες, ὑμῖν θαῦμ᾽ ἀνέλπιστον μαθεῖν.

Quo modo quis umquam loquutus est? In Andromacha Euripidis autem v. 465.

οὐδέποτ᾽ ἂν δίδυμα
λέκτρ᾽ ἐπαινέσω βροτῶν,

metricis deberi arguunt codices, non habentes eam particulam.

Sed dicendum de τίς ἄν cum futuro. In Eurip. Iph. T. 894. haec leguntur:

τίς ἂν οὖν τάδ᾽ ἂν ἢ θεὸς ἢ βροτὸς ἤ
τι τῶν ἀδοκήτων,
ἄπορον πόρον ἐξανύσας,
δυοῖν τοῖν μονοῖν Ἀτρείδαιν φανεῖ
κακῶν ἔκλυσιν;

Reisigius pro ea, quam sibi fecit notione particulae, p. 100. τίς ἂν φανεῖ absurdam interrogationem esse dicit, Seidleroque accedit, ἄν ad participium ἐξανύσας referenti. Nimirum factum est id eodem modo, quo supra vidimus usum Thucydidem, quia in mente habebat poeta, τίς ἂν οὖν τάδ᾽ ἂν ἐξανύσειεν; Illa in opinione defixus Reisigius apud Theocritum XXVII. 38. pro,

τίνα κεν, τίνα μῦθον ἐνίψω,

Scribi iubet τίνα καί. At non magis absurda est talis interrogatio, quam quum nos *wer wohl* vel *wer etwa* dicimus. In Eurip. Bacch. 639. Brunckius e cod. E.

τί ποτ᾽ ἂν ἐκ τούτων ἐρεῖ;

Quem non dixerim, ut Elmsleius, non magis potuisse in tantula re errare. Nam potest id sic explicari, τί ποτ᾽ ἂν εἴη, ὃ ἐκ τούτων ἐρεῖ; Alii libri ἄρ᾽ habent. Aeschines in Ctesiph. §. 155. p. 542. Reisk. τότε μὲν ταῦτ᾽ ἐκήρυττεν, ἀλλ᾽ οὐ νῦν, ἀλλὰ παραστησάμενος τὸν τῆς

ὀρφανίας τοῖς παισὶν αἴτιον τί ποτ' ἂν ἐρεῖ ἢ τί φθέγξεται; Ex undecim Bekkeri codd. unus tantum, isque e correctione, ἀνερεῖ, quod non receptum velim. Dinarchus in Demosth. §. 69. p. 49. Reisk. τί δ' ἄν, τιθῶμεν γὰρ ταῦτα, ἐὰν κατὰ τὸ ψήφισμα τὸ Δημοσθένους ἀπαιτῇ πέμψας ἡμᾶς Ἀλέξανδρος τὸ χρυσίον τὸ κομισθὲν εἰς τὴν χώραν ὑπὸ Ἁρπάλου, καὶ πρὸς τῷ γεγενῆσθαι τὴν τῆς βουλῆς ἀπόφασιν τοὺς παῖδας καταπέμψῃ πρὸς ἡμᾶς τοὺς νῦν ὡς ἑαυτὸν ἀνακεκομισμένους, καὶ τούτων ἀξιοῖ πυνθάνεσθαι τὴν ἀλήθειαν ὑμᾶς, πρὸς θεῶν, ὦν ἄνδρες, τί ἐροῦμεν; Isocrates Euag. c. 25. §. 80. p. 328. Lang. τίνα γὰρ ἂν εὑρήσομεν τῶν τότε γενομένων, εἰ τοὺς μύθους ἀφέντες τὴν ἀλήθειαν σκοποῖμεν, τοιαῦτα διαπεπραγμένον, ἢ τίνα τοσούτων μεταβολῶν ἐν τοῖς πράγμασιν αἴτιον γεγενημένον; Codd. Vrb. et Vat. omittunt ἄν, ex sententia grammaticorum. Iam, spero, nolet Struvius, quod suaserat in programmate XV. in fragmentis Dionysii Halic. ab Angelo Maio editis lib. XIV. c. 15. τί γὰρ ἂν δυνήσονται δεινὸν ἐργάζεσθαι τοὺς ὁμόσε χωροῦντας αἱ βαθεῖαι κόμαι, ita mutari, ut aut deleatur ἄν, aut δύναιντο reponatur. Sophoclis vero locus in Philoct. 1089. ubi Brunckius ex uno codice dedit,

τί ποτ' ἄν μοι τὸ κατ' ἦμαρ
ἔσται;

non est huc trahendus, quum ibi aptissime αὖ in caeteris libris scriptum sit.

Quod si τί ἄν licuit cum futuro coniungere, coniicias fortasse eamdem etiam negationis rationem esse, ut quae per interrogationem in τί convertatur. Vereor tamen ut id idoneis exemplis comprobari possit. Nam in Aristoph. Vesp. 942. ubi vulgo,

οὐκ ἂν σὺ παύσει χαλεπὸς ὢν καὶ δύσκολος,

cod. Rav. male οὐκ αὖ. Reisigius autem p. 101. sine controversia οὔκουν reponendum censet. Qui si p. 102. de-

fendendum iudicavit, quod in Nub. 1157. libri quidam, in iisque Ravennas habent,

οὐδὲν γὰρ ἄν με φλαῦρον ἐργάσεσθ' ἔτι.

ubi alii libri ἐργάσαισθ' exhibent, non erat cur in pari caussa eamdem constructionem damnaret. Sed neque his quidquam tribuendum, neque Eurip. Androm. 239.

οὐκ ἂν σιωπῇ Κύπριδος ἀλγήσεις πέρι;

ubi pariter codd. quidam οὐκ αὖ, viri docti autem οὔκουν. In Thesmoph. 814. non recte legitur,

ἀλλ' ἡμεῖς ἂν πολλοὺς τούτων
ἀποδείξομεν ταῦτα ποιοῦντας.

Vbi quum alii ἀποδείξωμεν corrigant, mihi potius servato ἀποδείξομεν videtur αὖ pro ἄν, et αὐτὰ pro ταῦτα scribendum esse, ut hi duo versus in unum tetrametrum coniungantur. Quod scriptum est apud Xenoph. Ephes. III. 8. p. 66, 9. οὐ γὰρ ἐντεῦθέν μέ τις ἐξέλοιτο, οὐδ' ἂν ἐπίδοιμι τὸν ἥλιον, οὐδ' ἂν εἰς φῶς ἐλεύσομαι, in eo facilius feras ἄν futuro additum, quam non additum optativo. Sed hoc genus scriptorum non est in exemplis purae dictionis habendum.

Vt etiam ὃς ἄν cum futuro commemoremus, invenitur id apud Polybium XXXVIII. 5, 7. καὶ προεμέτρησεν ἕτερον ψήφισμα παράνομον, ὥστε κυρίους εἶναι τοὺς ἀνθρώπους, οὓς ἂν ἐπὶ στρατηγίᾳ αἱρήσονται. Vbi videndum, utrum ἄν deleri, an, quod Schweighaeuserus fecit, αἱρήσωνται scribi debeat, de qua aoristi forma disputavit Lobeckius ad Phryn. p. 716. seqq. Apud Platonem de Legg. XII. p. 947. C. recte Astius ex Stephani emendatione, οὓς ἂν οἱ προσήκοντες τοῦ τελευτήσαντος ἐπόψωνται, confirmata ab uno duobusve codd. Vide Lobeckium ad Phryn. p. 734. In Euthydemo p. 290. D. εἰ οὖν, ἦ δ' ὅς, δεόμεθα ἐκείνης τῆς τέχνης, ἥτις ἂν ᾧ ἂν κτήσηται ἢ ποιήσασα ἢ θηρευσαμένη, αὐτὴ καὶ ἐπιστήσεται χρῆσθαι, καὶ ἡ τοιαύτη ποιήσει ἡμᾶς μακαρίους, ἄλλην δή τινα, ἔφη, ζητητέον ἀντὶ τῆς στρατη-

γικῆς. Omittunt prius ἄν membr. Bodl. et tres e tredecim codd. Bekkeri. Apud Herodotum I. 93. vulgo ἐς ὃ ἄν συνοικήσουσι. Sed quidam codd. ut Werferus scribendum monuit, συνοικήσωσι.

Quod si summam horum, quae disputavimus, paucis volumus comprehendere, sic erit statuendum: primo videri ἄν construi posse cum futuro in narratione rei fortuitae; deinde coniungi cum eo, sed non ut sit constructum, posse, ubi pertineat ad aliam notionem, quam quae in verbi futuro inest, dummodo ea talis sit, ut ipsa per se rei fortuitae ac dubiae notationem apte recipiat.

IX.

De ἄν cum indicativo praesentis.

Magis quam futuri, praesentis indicativi constructio cum particula ἄν controversa est. Eam tuebatur Brunckius, quem vide ad Aristoph. Plut. 885. Eq. 1131. Ach. 873. Negant grammatici: de quibus supra dictum. Si qua est ratio, qua ἄν cum praesentis indicativo coniungi possit, non potest alia esse, quam duplex illa, de qua modo in futuri explicatione dictum est. Sed in hoc quoque genere magna pars exemplorum corrupta est, et saepe quidem metricorum industria, aliquando etiam criticorum imperitia grammaticae. Qui errores hodie vel sublati sunt, vel removeri a quovis possunt. Vide Aristoph. Plut. 883. Nub. 395. Ran. 1421. Ach. 157. Av. 1069. Vesp. 343. Thesm. 99. Stobaei Serm. III. 75. p. 44, 14. V. 67. p. 69, 8. XCI. 24. p. 503, 20. CVIII. 59. p. 571, 10. CXX. 30. Eclog. I. 8. p. 126. Euripidis versum in El. 1121. egregia emendatione sanavit Io. Vlr. Faesi, Turicensis:

ὁρᾷς; ἄν' αὖ σὺ ζωπυρεῖς ἄλγη νέα·

i. e. ἀναζωπυρεῖς. Quae Matthiae in gr. Gr. §. 598. c. attulit, aliena sunt, praeter Platonis locum in Alcib. II. p. 142. E. ubi nunc γοῦν pro γ' ἄν restitutum. Apud eumdem de Legg. I. 14. p. 647, A. recte Astius, ἆρ' οὐ καὶ

νομοθέτης; In Cratylo p. 391. B. optimi libri *αὖ* pro *ἂν* praebuerunt, qua mutatione etiam Andocides de pace cum Lacedaem. 24. p. 165. (100. Reisk.) indiget: vide §. 9. Demostheni epist. 2. p. 1467, 9. codicis ope menda exempta est: item Andocidi p. 126. §. 86. (p. 41. Reisk.). Sunt etiam apud Homerum nonnulla huiusmodi, maxime in Odyssea: ut γ. 255.

ἦτοι μὲν τόδε κ᾽ αὐτὸς ὀΐεαι, ὥς κεν ἐτύχθη,
εἰ ζώοντ᾽ Αἴγισθον ἐνὶ μεγάροισιν ἔτετμεν
Ἀτρεΐδης, Τροίηθεν ἰών, ξανθὸς Μενέλαος.

Nam quis non credat *τόδε γ᾽ αὐτὸς* a poeta profectum esse? Quamquam hoc quidem videri potest per attractionem quamdam vel mutationem structurae dictum esse, quasi voluerit dicere, *τόδε κ᾽ αὐτὸς ὀΐεαι κακὸν γενέσθαι Αἰγίσθῳ.* Et α. 316.

δῶρον δ᾽, ὅττι κέ μοι δοῦναι φίλον ἦτορ ἀνώγει,
αὖτις ἀνερχομένῳ δόμεναι οἰκόνδε φέρεσθαι.

Scribe *ἀνώγῃ.* B. 86.

ἐθέλεις δέ κε μῶμον ἀνάψαι.

Cod. Harl. *ἐθέλοις δὲ καί.* Vnde Wolfius in postrema ed. *ἐθέλοις δέ κε*, recte, si signum interrogandi apposuisset. Ω. 87.

ἤδη μὲν πολέων τάφῳ ἀνδρῶν ἀντεβόλησα
ἡρώων, ὅτε κέν ποτ᾽ ἀποφθιμένου βασιλῆος
ζώννυνται τι νέοι καὶ ἐπεντύνονται ἄεθλα.

Vt monui in diss. I. de legibus quibusdam subtilioribus sermonis Homerici p. 7. quemadmodum Latine dici non potest, multos vidi, *quum certamina instituerint iuvenes*, sed dicendum est *quum instituunt*, ita etiam Graecus sermo non admittit coniunctivum in tali sententia. Quod si hic non mendosa est particula *ἄν*, suspicor ita esse coniunctivos restituendos, ut simul et hic, et Od. λ. 415. *ἀντιβολήσας* scribatur. Nam veteres quidam h. l.

ἀντεβόλησας, sed male in eo versu qui hos sequitur sic scribebant:

ἀλλά κε κεῖνα μάλιστα ἰδὼν ἐτεθήπεας θυμῷ.

Vtrumque in postrema editione recepit Wolfius. Vulgo ἐτεθήπεα, ex Od. ξ. 166. ut opinor. Alii ἐτεθήπεο, alii θηήσαο, quam veram scripturam esse vix sinit dubitare simillimus locus, Od. λ. 415. seqq. Aliud corruptum exemplum invenitur Od. ξ. 162.

τοῦ μὲν φθίνοντος μηνός, τοῦ δ' ἱσταμένοιο,
οἴκαδε νοστήσει, καὶ τίσεται, ὅς κεν ἐκείνου
ἐνθάδ' ἀτιμάζει ἄλοχον καὶ φαίδιμον υἱόν.

Hic aut ἀτιμάζῃ scribendum, aut, servato indicativo, ὅστις, quod alii libri habent.

Sed satis de his, quae ferri nequeunt. Dicam nunc de illis duobus modis, quos supra monui rationi non repugnare, si possint exemplis confirmari. Eorum prior erat is, ut in narratione rei fortuitae quemadmodum in praeteritis, sic etiam cum praesentis indicativo coniungeretur ἄν. Fateor vero, nullum mihi exemplum occurrisse, quod hunc usum ita firmet, ut non aut corruptum, aut saltem suspectum videatur. Sed quemadmodum temerarius esset, qui dubiis exemplis confideret, ita non minus inconsiderate ageret, qui quae non aut certis aut multis exemplis comprobata videret, ne posse quidem dici contenderet. Apud Homerum Iliad. ξ. 484. legitur:

τῷ καί κέ τις εὔχεται ἀνὴρ
γνωτὸν ἐνὶ μεγάροισιν ἀρῆς ἀλκτῆρα λιπέσθαι.

Non facile haec quisquam reprehenderet, si verbum esset temporis praeteriti. Verum etsi haec est plerorumque librorum scriptura, tamen nihil ei tribuendum est. Omissum est κε in codice apud Clarkium, omittitque in explicatione loci Eustathius p. 998, 41. (995, 15.) Cod. Vrat. d. autem habet κε, quod ut et consuetudini poetae

et sententiae ipsi melius conveniens verum iudicandum est: *τῷ καί τέ τις εὔχεται ἀνήρ.* Sic Iliad. *ι.* 159.

τοὔνεκα καί τε βροτοῖσι θεῶν ἔχθιστος ἁπάντων.

Apud Aristophanem in Ach. 873. Boeotus, interrogatus quid afferat, respondet:

ὅσ᾽ ἔστ᾽ ἂν ἀγαθὰ Βοιωτοῖς ἁπλῶς.

Id nos diceremus, *was es etwa gutes in Boeotien giebt.* Haec etsi et codd. nonnullorum et vett. edd. scriptura est, tamen optimi quidam libri *ἂν* omittunt, *ἔστιν* scriptum exhibentes: fatendamque, potuisse *ἂν* vel e prima sequentis vocabuli syllaba nasci, vel a metricis, quum *ἔστ᾽ ἀγαθὰ* scriptum invenissent, inseri. Non tamen rationi repugnat particula. Sed ut hic non ferenda videatur, quia cum ipso est verbo constructa, non offendit tamen, si ad aliam vocem refertur. Illustre exemplum exstat in Xenophontis Symposio 4, 37. *ἐγὼ δὲ οὕτω μὲν πολλὰ ἔχω, ὡς μόλις αὐτὰ καὶ ἐγὼ ἂν αὐτὸς εὑρίσκω.* Delevit *ἂν* Schaeferus, quem nuper sequutus est L. Dindorfius. Non recte, mea sententia. Numquid enim aliud est illud Sophoclis, *εἶτα πῦρ ἂν οὐ παρῆν*, et quae plurima similia supra commemoravimus? Nimirum sic est illud explicandum, *ὡς μόλις αὐτὰ καὶ εἰ ἐγὼ αὐτὸς ζητοίην εὑρίσκω.* Haec igitur qui damnet, quoniam rariora sunt, vereor ne parum perspectam habeat Graeci sermonis elegantiam.

Ab hoc exemplo ut iam ad illud genus transeamus, in quo particula non est proprie cum verbo constructa, non pauca huiusmodi inveniuntur, quae cave temere corrigas. Non est ad hoc genus referendus locus Thucydidis IV. 63. memorabilis ille propter liberiorem, sed tamen iustam verborum structuram: *τὸ ξύμπαν τε δὴ γνῶμεν, πειθόμενοι μὲν ἐμοί, πόλιν ἔξοντες ἕκαστος ἐλευθέραν, ἀφ᾽ ἧς αὐτοκράτορες ὄντες τὸν εὖ καὶ κακῶς δρῶντα ἐξ ἴσου ἀρετῇ ἀμυνούμεθα· ἢν δὲ ἀπιστήσαντες ἄλλοις ὑπακούσωμεν, οὐ περὶ τοῦ τιμωρήσασθαί τινα, ἀλλὰ καὶ ἄγαν, εἰ τύχοιμεν, φίλοι μὲν ἂν τοῖς ἐχθίστοις, διάφοροι δὲ οἷς οὐ χρή, κατ᾽ ἀνάγκην γιγνόμεθα.* Sic plerique et

optimi libri: vulgo *γιγνώμεθα*. Quis hic non primo adspectu vel *γιγνόμενοι*, quod, ut *ἔξοντες*, ex *γνῶμεν* pendeat, vel saltem *γιγνοίμεθα* exspectet? Et tamen omnia recte habent. Ac primum, in quo haeserunt interpretes, *οὐ περὶ τοῦ τιμωρήσασθαί τινα* sic est dictum, ut referatur ad *φίλος*: volebat enim dicere, *οὐκ ἂν περὶ τοῦ τιμωρήσασθαί τινα φίλοι γιγνοίμεθα*, scilicet *οἷς χρή*: sed ne bis dicendum esset *φίλοι*, in altera parte posuit, addito statim opposito: atque ut *φίλοι* et *διάφοροι*, *τοῖς ἐχθίστοις* et *οἷς οὐ χρὴ* invicem opposuit, sic opposuit etiam *γιγνοίμεθα ἄν* et *κατ' ἀνάγκην γιγνόμεθα*, ita quidem ut optativus ad *ἄν* ex illo indicativo supplendus sit. Itaque plene sic dicas: *οὐ περὶ τοῦ τιμωρήσασθαι ἀλλήλοις φίλοι γενησόμεθα, ἀλλὰ καὶ ἄγαν, εἰ τύχοιμεν, φίλοι μὲν ἂν γιγνοίμεθα τοῖς ἐχθίστοις, διάφοροι δὲ οἷς οὐ χρὴ κατ' ἀνάγκην γιγνόμεθα.* Non valde dissimile est hoc Demosthenis Ol. I. p. 15, 8. *οὔτε γὰρ ὡς δοκεῖ καὶ φήσειέ τις ἂν μὴ σκοπῶν ἀκριβῶς, εὐπρεπῶς, οὐδ' ὡς ἂν κάλλιστ' αὐτῷ τὰ πράγματα ἔχοι.* Vide ibi Schaeferum, cui displicet *ἔχει*, unice probatur *ἔχοι*. Neutri a codd. fides deest. Vtrumvis alterum ex se repeti cogitatione postulat.

Aptius afferri poterit hoc Aristophanis in Eq. 1131.

> *χοὕτω μὲν ἄν, εὖ ποιεῖς,*
> *εἰ σοι πυκνότης ἔνεστ'*
> *ἐν τῷ τρόπῳ, ὡς λέγεις,*
> *τούτῳ πάνυ πολλή.*

Haec est libri Ravennatis aliorumque scriptura, quae si sic intelligitur, *οὕτω μὲν ἂν ποιῶν, εὖ ποιεῖς*, non est quod eam vituperes. Sed quum *ποιοῖς* in cod. Ven. ac Suid. edd. vett. et cod. Oxon. legatur, non opus est indicativum tueri. Quod Stobaeus Serm. XXI. 5. ex Menandri Thrasyleonte attulit,

> *κατὰ πολλ' ἂν ἐστὶν οὐ καλῶς εἰρημένον*
> *τὸ γνῶθι σαυτόν· χρησιμώτερον γὰρ ἦν*
> *τὸ γνῶθι τοὺς ἄλλους·*

ubi apud Anton. Meliss. scriptum est *κατὰ πολλῶν*, H.

Stephanus in Sent. Com. p. 408. et Dobraeus ad Aristoph. p. (110) *κατὰ πολλά γ'* emendarunt, parum probabiliter. Multo verisimilius est, quod Porsonus coniecit, *κατὰ πόλλ' ἄρ' ἐστίν*. Mihi tamen genuinum videtur *κατὰ πολλῶν*, a Stobaeo autem profectum *ἐστίν*. In Platonis Apol. Socr. p. 41. B. uti editi habent, *καὶ δὴ καὶ τὸ μέγιστον, τοὺς ἐκεῖ ἐξετάζοντα καὶ ἐρευνῶντα ὥςπερ τοὺς ἐνταῦθα διάγειν, τίς αὐτῶν σοφός ἐστι, καὶ τίς οἴεται μέν, ἔστι δ' οὔ·* membr. Bodl. et quinque de sedecim codd. Bekkeri, octoque optimi apud Stallbaumium praebent *τίς ἂν αὐτῶν σοφός ἐστι*. Qui locus est eiusmodi, ut, si aliunde satis firmari possit ista constructio, ad sensum venustissime addita videatur particula, subindicans singulari casu fieri, ut quis vere sapiens inveniatur. Est enim *τίς ἄν qui forte*, nobis *wer etwa:* eiusque exempla etiam cum futuro iuncti vidimus. Et concedere debebunt, *τίς ἄν* cum indicativis omnium temporum construi posse, si qui Schaefero assentiuntur, qui *τάχ' ἄν* ita dici putat, ut *ἄν* ad *τάχα* pertineat, neque ad verbum referatur. Par enim caussa est. Nam latet in isto *ἄν* talis sententia, *τίς ἂν εἴη ὅς*. Videtur autem valde placere sibi ea in re Schaeferus, qui de illo *τάχ' ἄν* non solum ad Greg. Cor. p. 44. sed saepius ad Sophoclem monuerit, ut ad Oed. R. 523. ad Oed. Col. 965. et 1076. et in addendis ad Oed. R. 139. Vellem vero demonstrasset vir doctissimus. Nam ex istis exemplis, quibus utitur, ne illa quidem duo, quae ex Platonis Phaedro attulit, rem comprobant. Eorum prius est p. 256. B. C. *ἐὰν δὲ δὴ διαίτῃ φορτικωτέρᾳ τε καὶ ἀφιλοσόφῳ, φιλοτίμῳ δὲ χρήσωνται, τάχ' ἄν που ἐν μέθαις ἤ τινι ἄλλῃ ἀμελείᾳ τῷ ἀκολάστω αὐτοῖν ὑποζυγίω λαβόντε τὰς ψυχὰς ἀφρούρους, συναγαγόντε εἰς ταὐτόν, τὴν ὑπὸ τῶν πολλῶν μακαριστὴν αἵρεσιν εἱλέτην τε καὶ διεπράξαντο, καὶ διαπραξαμένω τοιοῖπον ἤδη χρῶνται μὲν αὐτῇ, σπανίᾳ δέ, ἅτε οὐ πάσῃ δεδογμένα τῇ διανοίᾳ πράττοντες.* Alterum hoc est, p. 265. B. *τῆς δὲ θείας τεττάρων θεῶν τέτταρα μέρη διελόμενοι, μαντικὴν μὲν ἐπίπνοιαν Ἀπόλλωνος θέντες, Διονύσου δὲ τελεστικήν, Μουσῶν δ' αὖ ποιη-*

τικήν, τετάρτην δὲ Ἀφροδίτης καὶ Ἔρωτος, ἐρωτικὴν μανίαν ἐφήσαμέν τε ἀρίστην εἶναι, καὶ οὐκ οἶδ' ὅπη τὸ ἐρωτικὸν πάθος ἀπεικάζοντες, ἴσως μὲν ἀληθοῦς τινὸς ἐφαπτόμενοι, τάχα δ' ἂν καὶ ἄλλοσε παραφερόμενοι, κεράσαντες οὐ παντάπασιν ἀπίθανον λόγον, μυθικόν τινα ὕμνον προσεπαίσαμεν μετρίως τε καὶ εὐφήμως τὸν ἐμόν τε καὶ σὸν δεσπότην Ἔρωτα, ὦ Φαῖδρε, καλῶν παίδων ἔφορον. Nam in priore horum locorum etiamsi τάχα abesset, recte potuerat ἄν participio addi, quo significaretur, *si forte animos non custoditos deprehendant.* Omittunt autem ἄν aliqui codd.. In altero vero quis non videt, si participio substituatur simplex oratio, dicendum esse, τάχα δ' ἂν ἄλλοσε παραφεροίμεθα. Vnde hic quoque ἄν cum verbo constructum esse patet. Talis est etiam Aristophanis locus in Vespis v. 280.

τάχα δ' ἂν διὰ τὸν χθιζινὸν ἄνθρω-
πον, ὃς ἡμᾶς διεδύετ'
ἐξαπατῶν, λέγων ὡς
καὶ φιλαθήναιος ἦν καὶ
τὰν Σάμιῳ πρῶτος κατείποι,
διὰ τοῦτ' ὀδυνηθείς,
εἶτ' ἴσως κεῖται πυρέττων.

Nam quid aliud istud participium, quam brevior quaedam dicendi ratio est, contracta ex eo, quod plene diceretur, τάχ' ἂν ὀδυνηθείη, καὶ εἶτα κεῖται πυρέττων? Itaque eiusmodi potius locis utendum erat Schaefero, qualis hic est Andocidis in or. de myster. 117. p. 15. sive 136. Bekk. 58. Reisk. φέρε δὴ τοίνυν, ὦ ἄνδρες, τάχα γὰρ ἂν αὐτὸ βούλεσθε πυθέσθαι, ὁ δὲ Καλλίας τί βουλόμενος ἐτίθη τὴν ἱκετηρίαν. Omittit ἄν codex unus, nescio an e correctione cuiuspiam grammatici. At quis non corrigat, τάχα γὰρ ἂν βούλοισθε πυθέσθαι? Similiter peccatum in quibusdam libris Herodoti VIII. 136. de quo loco in optativi explicatione dicetur.

Non est hic silentio praetereundus locus Aristophanis in Pace v. 1028. in quo me iure notavit Dobraeus p. (110) quod in Elem. D. M. ὁπόσ' ἂν χρεών ἐστι reliquerim.

Ipse *ὁπόσ' ἐστὶ χρεὼν* legere videtur. Vulgo ibi, *τί δ' οὐ σὺ φρονεῖς ὁπόσ' ἐστὶ χρεὼν τόν γε σοφῇ δόκιμον φρενί.* Suidae cod. Leid. *ὁπόσα χρεών ἐστι τὸν σοφῇ.* Codd. Rav. et Ven. *ὁπόσ' ἂν χρεών ἐστι τὸν σοφῇ.* G. Dindorfius ita edidit:

> *πῶς δ' οὐχί; τί γάρ σε πέφευγ', ὅσα χρὴ*
> *σοφὸν ἄνδρα; τί δ' οὐ σὺ φρονεῖς, ὁπόσ' ἂν*
> *χρεὼν τόν γε σοφῇ δόκιμον*
> *φρενὶ πορίμῳ τε τόλμῃ;*

Id mihi quidem non videtur ferri posse, quia sive *ᾗ* sive *εἴῃ* intelligas, non recte procedit sententia. Quin ne illa quidem, *ὅσα χρὴ σοφὸν ἄνδρα*, quo sensu verbis *τί γάρ σε πέφευγε* aptari possint, video. Immo vix puto dubitari posse, quin nihil sint nisi explicatio verborum *ὁπόσα χρεὼν τὸν σοφῇ δόκιμον φρενί.* Hinc effici arbitror, excidisse nonnulla, quae autem habemus, sic esse scribenda: *πῶς δ' οὐχί; τί γάρ σε πέφευγε; τί δ' οὐ σὺ φρονεῖς ὁπόσα χρεών ἐστι σοφῇ δόκιμον φρενὶ πορίμῳ τε τόλμῃ.*

Pertinet ad hanc disputationem etiam *ἐὰν* cum indicativo praesentis iunctum, quod recentiores, in iisque ipsi grammatici non raro usurparunt. De qua re a Bastio Schaeferoque disputatum est in Epimetro II. ad Arist. Plut. p. XXXVIII. seq. Atqui originem tamen aliquam habere consuetudo ista debet. Non est enim credibile, si illud soloecum est, subito soloecismum placuisse Graece loquentibus. Immo istae a genuina linguae ratione aberrationes fere ex eo natae sunt, quod imitari, quae apud antiquos et bonos scriptores exquisitiora viderentur, in laude numerabatur; quae imitationes, quum caussae cur illi aliquando a regula declinassent non essent satis perspectae, saepissime in vitium degenerarunt. Non debebat quidem Schneiderus in Epicuri epistola p. **27**, **84**. *ἐάν τις βαστάζει* defendere, neque Reiskius in Demosth. or. in Neaer. p. **1374**, **24**. e cod. Bav. dare, *ἐὰν δ' εἴξεισι*, neque ab aliis ferri apud Lycurgum **109**. p. **162**. sive p. **266**. Bekk. **212**. Reisk.: *ὅταν ἐν τοῖς ὅπλοις ἐκστρατευόμενοί εἰσι.* Heinrichius ibi *ἴωσι* edidit, quod non ausim

defendere; Im. Bekkerus autem aliique ὧσι scribendum putant, quod, nisi forte et ὅταν et εἰσὶ ut ab interprete adiecta deleri volemus, omnino probandum est.

Aliter vero sentio de Herodoti verbis III. 69. in quibus idem est, atque apud Lycurgum, librorum consensus: ἦν γὰρ δὴ μή ἐστι ὁ Κύρου Σμέρδις, ἀλλὰ τὸν καταδοκέω ἐγώ, οὗτοι μιν σοί τε συγκοιμώμενον καὶ τὸ Περσέων κράτος ἔχοντα δεῖ χαίροντα ἀπαλλάσσειν. Nuper editum εἰ ex coniectura, quam nequaquam probo. Nam etsi hic et ἦν μὴ ᾖ et εἰ μὴ ἔστι dici potuit, tamen ne ἦν μὴ ἔστι quidem idonea ratione carere puto. Sic enim loqui videtur Otanes, ut non neget quidem, posse illum Cyri filium esse, quo fine particula rem fortuitam significante utitur, sed indicet tamen, se certo credere, non esse eum Cyri filium, quod exprimit indicativo adiuncto. Magis id eluceret, si sic dixisset: ἦν γὰρ δὴ μὴ ᾖ ὁ Κύρου Σμέρδις, ἀλλ' ἔστι τὸν καταδοκέω ἐγώ· ut paullo post in eodem capite scriptum est: ἦν γὰρ δὴ μὴ τυγχάνῃ τὰ ὦτα ἔχων, ἐπίλαμπτος δὲ ἀφάσσουσα ἔσται, εὖ εἰδέναι ὡς ἀϊστώσει μιν. Quo loco quod tres codd. habent, εἰ τυγχάνει, minime praetulerim. Nam est quidem in illo liberiore modorum usu negligentia quaedam, sed laudanda illa potius quam vituperanda, quia non inscitiam fontem habet, sed intelligentiam veri aptique. Comparari potest Theagis locus apud Stobaeum I. 67. qui in vulgatis edd. bis scriptus invenitur p. 8. et 10. notabilis etiam propter formam ὅκκαν, quam ex cod. A. pro ὅκα recepit Gaisfordius p. 31. ὅκκαν οὖν ἐς τὸ ἓν τὰ τρία ταῦτα μύλῃ, μίαν ἐπιδεξάμενα συναρμογάν, τόκα δὲ γίνεται ἀρετὰ καὶ ὁμολογία ἐν τᾷ ψυχᾷ· ὅκκαν δὲ στασιάζοντα καὶ ἀπ' ἀλλάλων ἀπέσπασται, τόκκα δὲ γίνεται κακία καὶ ἀναρμοστία ἐν τᾷ ψυχᾷ. Nam etsi quis, quoniam cod. A. ἀπόσπασται habet, coniicere possit ἀποσπᾶται scribendum esse, tamen, si quid mutandum, aptius foret ἀπόσπαστα, omisso verbo, ut saepius in eodem fragmento infra. Sed defendi potest ἀπέσπασται, non tamen ut ex ὅκκα, sed ut ex ὅτε, quod latet in ὅκκα pendeat. Istud ὅκκα, haec enim genuina scriptura est, quum saepissime in ista Theagis dissertatione, uti

debebat, cum coniunctivo constructum sit, semel additum habebat indicativum *ἐπικρατεῖ*, quem recte Gaisfordius cum Schowio in coniunctivum mutavit. In Cliniae fragmento, quod numero 66. est in illo capite Stobaei, pro *αἴκ' ὀρθοπλοεῖ* cod. A. praebuit *καὶ ὀρθοπλοεῖ*. In Archytae fragmento, quod est ibidem 70. p. 12, 48. recte Gaisfordius: *φαμὶ τὰν ἀρετὰν ἦμεν ποττὸ μὴ κακοδαιμονεῖν ἱκανάν, τὰν δὲ κακίαν ποττὸ μὴ εὐδαιμονεῖν, αἴκα τὰς ἕξιας αὐτὰς κρίνωνες*. Legebatur ibi *κρίνομες*, et in cod. A. *κρίνοιμες*. Sic etiam in Ecphantae loco apud Stobaeum XLVIII. 64. p. 333, 34. scribendum: *καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις ἀνθρώποις, αἴκα ἁμαρτάνωντι, ὁσιωτάτα κάθαρσις ἐξομοιωθῆμεν τοῖς ἀρχόντεσσιν*. Vbi editum *ἁμαρτάνοντι*. Nec dubitandum, quin in his Pythagoreorum apud Galium p. 712. *ἐπεὶ δέ κα γαμεῖται*, et p. 751. *αἴκα χρή*, coniunctivi *γάμηται* et *χρῇ* reponendi sint. Sed p. 709. ubi est, *αἴκα ταὐτόν ἐστι τἀγαθὸν καὶ κακόν*, scribendum *αἴπερ*, quod saepius ibidem in iisdem verbis, et p. 708. 716. usurpatum.

Denique ne desiderentur indicativi perfecti cum *ἂν* coniuncti exempla, haec adiiciam: Hesiodi apud Stob. Serm. II. 14.

ἔμμορέ τοι τιμῆς, ὅς κ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ.

Sed in Hesiodi libris O. et D. 345. recte *ὅς τ' ἔμμορε* scriptum. Et Dionysii Hal. in epistola ad Pompeium de praecipuis Historicis p. 786, 14. *εἰ δ' ὑπερεῖδεν ἐν τούτοις, ἐφ' οἷς μάλιστ' ἂν ἐσπούδακε, τῆς τε συμπλοκῆς τῶν φωνηέντων γραμμάτων καὶ τῆς κυκλικῆς εὐρυθμίας τῶν περιόδων, καὶ τῆς ὁμοειδείας τῶν σχηματισμῶν, πολὺ ἀμείνων ἂν ἦν αὐτὸς ἑαυτοῦ κατὰ τὴν φράσιν*. Quis vero dubitet, quin expungenda sit particula, qua nihil opus esse, iam a Stephano erat monitum?

X.

De ἄν cum indicativo in re non facta.

Explicuimus indicativi cum particula ἄν consociationem eam, quae quod impletae conditionis notionem continet, ad rem factam refertur. Nunc dicendum est de altero genere, quod quoniam ad conditionem non impletam spectat, ad rem, quae non est facta, referatur necesse est. Significat enim id, quod fieret, si impleta esset conditio, non fit autem, quia non est impleta. Hoc genus cur imperfecti tantum et plusquamperfecti et aoristi proprium sit, supra dictum, cap. VI. monitumque, si aliam vim habere videatur, quam in re facta, id videri tantummodo, non esse, quia differentia omnis non in indicativo et particula, sed in eo sit posita, utrum de impleta an de non impleta conditione sit cogitandum. Quare ubi neque adiecta est conditio non impleta, neque apparet intelligendane sit an non, ibi prorsus ambiguum manet, quomodo verba interpretari debeas. Vt apud Aristophanem in Pace: 1198.

> ὦ φίλτατ', ὦ Τρυγαῖ', ὅσ' ἡμᾶς τἀγαθὰ
> δέδρακας, εἰρήνην ποιήσας· ὡς πρωτοῦ
> οὐδεὶς ἐπρίατ' ἂν δρέπανον οὐδὲ κολλύβου.

Perinde est, sive vertas, *antea nemo facile emebat falcem collybo*, sive dicas, *nemo emisset:* si scilicet venalis fuisset.

Videamus iam usum ipsum. Et primo quidem apud epicos. Homerus Od. β. 184.

> οὐκ ἂν τόσσα θεοπροπέων ἀγόρευες.

Non diceres. Et ε. 39.

> πόλλ', ὅσ' ἂν οὐδέποτ' ἐκ Τροίης ἐξήρατ' Ὀδυσσεύς,
> εἴπερ ἀπήμων ἦλθε, λαχὼν ἀπὸ λῃΐδος αἶσαν.

Potuit hic etiam *εἴ κεν* dici. Sic enim loquuntur veterrimi. Iliad. *ψ.* 526.

εἰ δέ κ' ἔτι προτέρω γένετο δρόμος ἀμφοτέροισιν,
τῷ κέν μιν παρέλασσ', οὐδ' ἀμφήριστον ἔθηκεν.

Et in versu illo apud Herodotum I. 174.

Ζεὺς γάρ κ' ἔθηκε νῆσον, εἴ κ' ἐβούλετο.

Et cum pronomine: Odyss. *ν.* 205.

ἐγὼ δέ κεν ἄλλον ἐρισθενέων βασιλήων
ἐξικόμην, ὅς κέν μ' ἐφίλει καὶ ἔπεμπε νέεσθαι.

Non necessarium erat alterum *κέν*. Nam oratio, quae suspensa est ex alia sententia, verbi modo servato non indiget repetitione particulae. Quin recentiores etiam adspernantur repetitionem huiusmodi. Nec repetiit Homerus Od. *δ.* 178.

οὐδέ κεν ἡμέας
ἄλλο διέκρινεν φιλέοντέ τε τερπομένω τε,
πρίν γ' ὅτε δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψεν.

Nihil nos diremisset, antequam mors occuluisset. Nam si primaria sententia conditionalis est, non possunt non omnia conditionalia esse, quae pendent ex ea. Secus est, ubi sententia principalis sine conditione est, ut Od. *τ.* 25.

δμωὰς δ' οὐκ εἴας προβλωσκέμεν, αἵ κεν ἔφαινον.

Non sivisti exire ancillas, quae, si exiissent, *lucem fuissent praebiturae.* Hic si omisisset particulam, praebuisse illas lucem dixisset.

Recentior usus eo tantum ab epico differt, quod particulam *ἄν* in secundaria sententia non aliter, quam si necessaria est, addit. Temporum ratio eadem est. Ac primo imperfectum plerumque refertur ad praesens. Aristoph. Eccl. 151.

ἐβουλόμην μὲν ἕτερον ἄν τῶν ἡθάδων
λέγειν τὰ βέλτισθ', ἵν' ἐκαθήμην ἥσυχος·
νῦν δ' οὐκ ἐάσω.

Saepe vero etiam ad praeteritum, eiusmodi quidem, quod diuturnitatem aliquam vel repetitionem facti continet. Herodotus I. 68. *ἦ κου ἄν, ὦ ξεῖνε Λάκων, εἴπερ εἶδες τάπερ ἐγώ, κάρτα ἂν ἐθωύμαζες.* *Miratus esses.* Vide cap. 170. III. 25. V. 48. VIII. 30. Aristoph. Nub. 1056. Antiphon p. 625. 644. 645. 688. 716. 718. 721. 733. 734. Dinarchus p. 10. Lycurgus p. 179. Andocides p. 12. 50. Isaeus p. 53. Lysias p. 171.

Plusquamperfecti non obscura ratio est. Aeschines in Ctesiph. p. 643. s. *καὶ ἴσαι αἱ ψῆφοι αὐτῷ ἐγένοντο· εἰ δὲ μία μόνον μετέπεσεν, ὑπερώριστ' ἄν, ἢ ἀπέθανεν.* Antiphon p. 689. *εἰ μὲν γὰρ ὑπὸ τῶν πληγῶν ὁ ἀνὴρ παραχρῆμα ἀπέθανεν, ὑπ' ἐμοῦ μέν, δικαίως δ' ἂν ἐτεθνήκει.* Andocides p. 45. *εἰ γὰρ ἦλθεν, ἐδέδετ' ἂν ἐν τῷ ξύλῳ.* Demosth. pro cor. p. 242, 9. *ἐπεὶ διά γε ὑμᾶς αὐτοὺς πάλαι ἂν ἀπολώλειτε.* Ita codd. et grammaticus in Bekkeri Anecd. T. I. p. 126, 33. Nam prava quorumdam librorum scriptura *ἀπολώλατε*, quam Matthiae in gr. Gr. §. 509, 5. b. pro genuina habebat, addito *ἄν* ferri nullo modo potest. Ac vel apud scholiastam Aristidis T. II. p. 143. quem locum Lobeckius ad Aiacem p. 235. adhibuit, *εἰλήφει ἄν* haud cunctanter pro *εἴληφεν ἄν* reponi debebat. Alia plusquamperfecti cum *ἄν* coniuncti exempla apud Demosthenem exstant p. 652, 21. 660, 20. 667, 12. 680, 27. 726, 29. 855, 27. 867, 1. 889, 20. 901, 11. 916, 10. 1018, 14.

Aoristus plerumque de praeterito tempore usurpatur, ut ap. Aristoph. Ran. 732.

οἷσιν ἡ πόλις προτοῦ
οὐδὲ φαρμάκοισιν εἰκῇ ῥᾳδίως ἐχρήσατ' ἄν.

Quum vero ad praesens tempus refertur, est illud de eo quod cito perficitur intelligendum. Ita apud Sophoclem Oed. R. 1438. quum Oedipus dixisset, *ῥῖψόν με γῆς ἐκ τῆσδ' ὅσον τάχιστα,* Creon respondet:

ἔδρασ' ἄν, εὖ τοῦτ' ἴσθ' ἄν, εἰ μὴ τοῦ θεοῦ
πρώτιστ' ἔχρῃζον ἐκμαθεῖν τί πρακτέον.

Facerem. Apud Herodotum I. 42. Adrastus, non libenter se regis iussa facere ostendit his verbis: *ὦ βασιλεῦ, ἄλλως μὲν ἔγωγε ἂν οὐκ ἤϊα ἐς ἆεθλον τοιόνδε· οὔτε γὰρ συμφορῇ τοιῇδε κεχρημένον εἰκός ἐστι ἐς ὁμήλικας εὖ πρήσσοντας ἰέναι, οὔτε τὸ βούλεσθαι πάρα, πολλαχῇ τε ἂν ἴσχον ἐμαυτόν.* Male et contra sententiam loci novissimus editor *ἀνίσχον* dedit. Imperfecto utitur propter illud *πολλαχῇ*: ante, ubi semel capiendum consilium in mente habet, *ἤϊα* posuit: nondum enim, mea sententia, vicit Buttmannus, *ἤϊα* imperfecti formam esse: Aristophanes Av. 786.

αὐτίχ' ὑμῶν τῶν θεατῶν εἴ τις ἦν ὑπόπτερος,
εἶτα πεινῶν τοῖς χοροῖσι τῶν τραγῳδῶν ἤχθετο,
ἐκπτόμενος ἂν οὗτος ἠρίστησεν ἐλθὼν οἴκαδε,
κἄτ' ἂν ἐμπλησθεὶς ἐφ' ἡμᾶς αὖθις ἂν κατέπτετο.

Sed quod statim sequitur,

εἴ τε Πατροκλείδης τις ὑμῶν τυγχάνει χεζητιῶν,
οὐκ ἂν ἐξίδισεν εἰς θοιμάτιον, ἀλλ' ἀνέπτετο,

nescio an dictum sit vere de re praeterita, quum factum quid huiusmodi esse a Patroclide significet.

De futuris satis constat *ἔμελλον* et *ἐμέλλησα* usurpari eo quod ipsa huius verbi tempora indicant discrimine. Sed est etiam ubi sine huius verbi accessione futurum tempus respiciatur, ita tamen, ut, recte explicata sententia, res ad praesens vel ad praeteritum redeat. Vt apud Antiphontem p. 778. *οὐδέποτε ἠθέλησαν ἐλθεῖν ἐπὶ τοῦτο τὸ δίκαιον, εὖ εἰδότες ὅτι οὐκ ἂν τούτοις κατ' ἐμοῦ ἔλεγχος ἐγίγνετο οὗτος, ἀλλ' ἐμοὶ κατὰ τούτων, ὅτι οὐδὲν δίκαιον οὐδ' ἀληθὲς ἠτιῶντο.* Potuerat dicere, *εὖ εἰδότες οὐκ ἂν τούτοις γενήσεσθαι ἔλεγχον.* Nunc quemadmodum loquutus est, hoc dicit: *noluerunt ea via uti, quia, si id fecissent, non mihi ea, sed ipsis nocuisset.*

Sed in his omnibus quum nihil difficultatis sit, alias potius loquendi formulas consideremus. Ac primo quidem sententias, quae *ἄν* pronomini relativo iunctum habent. Apertum est autem, si qua sententia, quae ipsa per se

conditionem non impletam contineat, reliquae orationi adnectatur, oportere ἄν adiici. Vt apud Herodotum I. 86. Croesus, interrogatus, quis sit, quem appellet, respondet: *τὸν ἂν ἐγὼ πᾶσι τυράννοισι προετίμησα μεγάλων χρημάτων ἐς λόγους ἐλθεῖν.* Demosth. in Mid. p. 536, 25. *νῦν δὲ τοῦτο μὲν οὐκ ἐποίησεν, ἐν ᾧ τὸν δῆμον ἐτίμησεν ἄν.* Idem ad Phorm. p 914, 19. *ἔστιν οὖν, ὦ ἄνδρες δικασταί, οὗτος ὁ ἄνθρωπος ἢ γενήσεταί ποτε, ὃς ἀντὶ δισχιλίων ἑξακοσίων δραχμῶν τριάκοντα μνᾶς καὶ τριακοσίας καὶ ἑξήκοντα ἀποτίνειν προείλετ' ἄν;* Idem in I. de falso test. in Steph. p. 1111, 21. *ἔστιν οὖν, ὅστις ἂν τοῦ ξύλου καὶ τοῦ χωρίου καὶ τοῦ γραμματείου τοσαύτην ὑπέμεινε μίσθωσιν; ἔστι δ' ὅστις ἂν δι' ὃν ὠφειλήκει τοσαῦτα χρήματα ἡ τράπεζα, τούτῳ τὰ λοιπὰ ἐπέτρεψεν;*

Et cum ὅπως. Idem ibidem p. 440. 1. *ἔστιν οὖν ὅπως ταῦτ' ἄν, ἐκεῖνα προειρηκώς, ὁ αὐτὸς ἀνὴρ μὴ διαφθαρεὶς ἐτόλμησεν εἰπεῖν;* Eurip. Iph. Taur. 385.

οὐκ ἔσθ' ὅπως ἔτεκεν ἂν ἡ Διὸς δάμαρ
Λητὼ τοσαύτην ἀμαθίαν.

Mire hanc formulam mutavit Herodotus VIII. 119. *εἰ γὰρ δὴ ταῦτα οὕτω ἐρρήθη ἐκ τοῦ κυβερνήτεω πρὸς Ξέρξεα, ἐν μυρίῃσι γνώμῃσι μίαν οὐκ ἔχω ἀντίξοον μὴ οὐκ ἂν ποιῆσαι βασιλῆα τοιόνδε· τοὺς μὲν ἐκ τοῦ καταστρώματος, καταβιβάσαι ἐς κοίλην νῆα, ἐόντας Πέρσας καὶ Περσέων τοὺς πρώτους· τῶν δ' ἑρετέων, ἐόντων Φοινίκων, ὅκως οὐκ ἂν ἴσον πλῆθος τοῖσι Πέρσῃσι ἐξέβαλε ἐς τὴν θάλασσαν.* Nam pro *οὐκ ἔστι* hic ad *μὴ οὐκ ἂν ποιῆσαι* refertur ὅπως.

Commemoranda hic est etiam formula *οἶδ' ὅτι ἄν* et *οἶδ' ὅ τι ἄν.* Aristoph. Ach. 555.

ταῦτ' οἶδ' ὅτι ἂν ἔδρατε.

Av. 1221.

ἆρά γ' οἶσθ' ὅτι
δικαιότατ' ἂν ληφθεῖσα πασῶν Ἰρίδων
ἀπέθανες, εἰ τῆς ἀξίας ἐτύγχανες;

Antiphon p. 712. *εὖ γὰρ ἴδεις ὅτι οὐδεὶς ἂν ἦν σοι, ὃς ἐκεῖνον τὸν ὅρκον διομοσάμενος ἐμοῦ κατεμαρτύρησεν.* Dinarchus p. 10. *ἐφ' οἷς οὐκ οἶδ' ὅ τι πότ' ἂν ἐποίει, εἰ συνέβη κατορθῶσθαι αὐτῷ ἃ συνεβούλευσεν.* Demosthenes ad Phaenipp. init. p. 1038, 4. *εἰ μὴ γὰρ οὗτος ἡμῖν σαφῶς διώρισε, τί πρῶτον δεῖ ποιεῖν τοὺς ἀντιδεδωκότας καὶ τί δεύτερον, καὶ τἄλλα δ' ἐφεξῆς, οὐκ οἶδ' ὅποι προῆλθεν ἂν ἡ τουτονὶ Φαινίππου τόλμα.* Interdum ἂν etiam praecedit in hac formula, ut apud eumdem in Steph. I. p. 1103, 20. *ἐγὼ γὰρ αὐτὸς οὐκ ἂν οἶδ' ὅ τι ἄλλο εἶχον ψηφίσασθαι, τῶν πεπραγμένων μὲν μηδὲν εἰδώς, τὰ δὲ μαρτυρούμενα ἀκούων.*

Sed ubi sententiae istae ex alia sententia, in qua iam inest conditio non impleta, pendent, non additur ἄν, et recte quidem. Nam quae primariae sententiae natura est, eadem est etiam, plerumque saltem, earum, quae ex ea aptae sunt. Vtar ad rem demonstrandam exemplo prorsus simili, ut ea, quae modo attuli. Lycurgus p. 165. (242. Bekk.) *καίτοι κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους, ὦ ἄνδρες, τίς οὐκ ἂν τὴν πόλιν ᾐλέησεν, οὐ μόνον πολίτης, ἀλλὰ καὶ ξένος ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις ἐπιδεδημηκώς; τίς δ' ἦν οὕτως ἢ μισόδημος τότε ἢ μισαθήναιος, ὅστις ἐδυνήθη ἂν ἄτακτον ἑαυτὸν ὑπομεῖναι ἰδεῖν;* Recte illud ὅστις ἐδυνήθη ἄν dictum est, quia sine conditione dictum erat id ex quo hoc pendet: *quis tanto in civitatem odio fuit, ut militiam detrectavisset?* Sed ubi ita mutaveris, ut conditio in principalem sententiam recipiatur: *τίς ἂν ἦν οὕτω μισόδημος,* iam sine ἄν dicendum erit, ὅστις ἐδυνήθη. En exempla. Demosthenes in Timocr. p. 705, 26. *ἓν ἂν αὐτοῦ τις ἐποιεῖτο κατηγόρημα, ὅ τι δήποτε τοῦτ' ἦν.* Epicurus in Ep. ad Herodot. 6. p. 3. *εἰ μὴ ἦν ὃ κενὸν καὶ χώραν καὶ ἀναφῆ φύσιν ὀνομάζομεν, οὐκ ἂν εἶχε τὰ σώματα ὅπου ἦν, οὐδὲ δι' οὗ ἐκινεῖτο, καθάπερ φαίνεται κινούμενα.* Ibid. 8. p. 4. *εἴτε τὸ κενὸν ἦν ὡρισμένον, οὐκ ἂν εἶχε τὰ ἄπειρα σώματα ὅπου ἐνέστη.* Non debebat recipi Scaligeri coniectura ἂν ἔστη, quam et grammatica repudiat, et usus Epicuri, ut qui hoc ἔνστημα vocet in Ep. ad Pythocl. 9. p. 31.

Eadem ratio est particularum finalium, ut ὄφρα, ὡς, ὅπως, ἵνα. Aristophanes Eccles. 151.

ἐβουλόμην μὲν ἕτερον ἂν τῶν ἡθάδων
λέγειν τὰ βέλτισθ', ἵν' ἐκαθήμην ἥσυχος.

Vide Vesp. 961. Illud notandum, hanc constructionem indicativi sine particula ἄν de more usurpari, ubi sententia principalis, sive addito ἄν, sive non addito, conditionem non impletam continet, ut apud Aeschylum Prom. 746.

τί δῆτ' ἐμοὶ ζῆν κέρδος, ἀλλ' οὐκ ἐν τάχει
ἐρρίψ' ἐμαυτὴν τῆσδ' ἀπὸ στύφλου πέτρας,
ὅπως πέδῳ σκήψασα τῶν πάντων πόνων
ἀπηλλάγην;

Exempla quaedam dedit Matthiae in gr. Gr. §. 520. not. 5. qui tamen neque Eurip. Phoen. 213. afferre debebat, quo in loco ἵνα non *ut*, sed *ubi* significat, neque Platonis locum in Menone ita truncatum apponere, ut Plato legentibus aliter, quam licet, loquutus videatur. Integer locus hic est p. 89. B. καὶ γὰρ ἄν που καὶ τόδ' ἦν· εἰ φύσει οἱ ἀγαθοὶ ἐγίγνοντο, ἦσάν που ἂν ἡμῖν οἳ ἐγίγνωσκον τῶν νεῶν τοὺς ἀγαθοὺς τὰς φύσεις· οὓς ἡμεῖς ἂν παραλαβόντες, ἐκείνων ἀποφηνάντων, ἐφυλάττομεν ἐν ἀκροπόλει, κατασημηνάμενοι πολὺ μᾶλλον ἢ τὸ χρυσίον, ἵνα μηδεὶς αὐτοὺς διέφθειρεν, ἀλλ' ἐπειδὴ ἀφίκοιντο εἰς τὴν ἡλικίαν, χρήσιμοι γίγνοιντο ταῖς πόλεσιν. Apertum est, expressam esse in principali sententia conditionem non impletam. Quod si quae per οὓς adiuncta est sententia, iterum habet ἄν, factum id est eo, quod non pendet ex priore sententia, sed sola per se constat. Quod autem in fine mutatur verbi modus, id recte quidem observat Buttmannus fieri propter praegressum ἀφίκοιντο, sed non explicuit tamen. Nimirum non recte dixisset Plato ἐπειδὴ ἀφίκοντο, quod sic indicasset, non fuisse illos ad iustam aetatem perventuros. Quod si participio usus esset, recte dixisset, ἀλλ' ἀφικόμενοι εἰς τὴν ἡλικίαν χρήσιμοι ἐγίγνοντο. Nec non potuit ἐγίγνοντο dicere, quam-

vis praegresso *ἀφίκοιντο*. Eurip. Inone ap. Stobaeum LXVIII. 12. p. 420.

νόμοι γυναικῶν οὐ καλῶς κεῖνται πέρι.
χρῆν γὰρ τὸν εὐτυχοῦντά γ' ὅτι πλείστας ἔχειν
γυναῖκας, εἴπερ καὶ τροφὴ δόμοις παρῆν,
ὡς τὴν κακὴν μὲν ἐξέβαλλε δωμάτων,
τὴν δ' οὖσαν ἐσθλὴν ἡδέως ἐσώζετο.

Ita, nisi fallor, scribendum: nam male vulgo *εἴπερ ἄν*. Sed boni libri *ἂν* omittunt. Heathius *ἐξέβαλλ' ἂν* scribendum putabat, quod vituperat, iure quidem, sed parum exploratam habens huius rei rationem Valckenarius in Diatr. de fr. Eur. p. 176. quod etiam Brunckio accidit, quem vide de hac constructione ad Aesch. Prom. 155. ad Eurip. Hec. 214. ad Apoll. Rhod. I. 281. Explicui ad Viger. p. 791. et 851.

Noli vero putare, non licere omnino in hoc genere loquendi particulis finalibus addere *ἄν*. Immo necessaria aliquando eius adiectio est. Nam ubi non, quid fuisset, sed quid potuisset fieri indicare volumus, necessaria est particula. Demosthenes de falso test. ad Aphobum p. 849, 14. *πρῶτον μὲν γὰρ εἴπερ ὡς ἀληθῶς ταῦτα μὴ ἐμαρτύρησεν, οὐκ ἂν νῦν ἔξαρνος ἦν, ἀλλὰ τότ' εὐθὺς ἐπὶ τοῦ δικαστηρίου, τῆς μαρτυρίας ἀναγιγνωσκομένης, ἡνίκα μᾶλλον ἂν αὐτὸν ἡ νῦν ὠφέλει.* Hic *ἂν* positum, ubi ad primum adspectum abesse debebat. Recte vero posuit: *ubi ei plus quam nunc prodesse potuisset.* Omissa particula, sensus foret, *ubi plus profuisset.*

Quae particularum finalium, eadem etiam conditionalium ratio est. Nam non aliter iis additur *ἄν*, quam ubi necessarium est. Est autem necessarium tribus potissimum modis. Primo ubi non simpliciter dicendum est *si esset*, de eo, quod non est; sed *si posset esse*, de eo quod non modo non est, sed ne potest quidem esse. Vt apud Demosthenem in Steph. de trierarch. p. 1229, 22. *ἔτι τοίνυν ὑπηρεσιάν τὴν κρατίστην ἔλαβον, πολλῷ πλεῖστον ἀργύριον δούς. οὗτοι δ' εἰ μὲν εἶχον χείρον' ἂν ἡμῶν, οὐδὲν ἂν ἦν δεινόν. νῦν δ' οὐδ' ὁποιαντινοῦν πω μεμί-*

σθωνται, περὶ τοῦ πλείονος ἀντιλέγοντες. Ita libri quidam, recte, ut mihi videtur. Alii omittunt ἄν· *si hi*, inquit, *remiges habituri fuissent multo deteriores, non mirum foret.* Omisso ἄν, diceret, *si hi habuissent remiges deteriores:* ut oppositum foret, *at non habuerunt deteriores.* At habuerunt illi nullos omnino. Itaque apparet duplicem inesse conditionem, ut, quum altera, quia in principali sententia ἄν est, carere ea particula potuerit, altera eam requirat. Plene enim omnia si dicas, haec habebis: *si illi habuissent remiges, non foret mirum, si hi remiges deteriores fuissent.* Alter modus est, quum in principali sententia non inest conditio non impleta. Nam si tum non ad εἰ adderetur ἄν, nescires utrum de re vere facta, an de cogitata sermo esset. Demosthenes ad Timoth. p. 1201, 18. εἰ τοίνυν τοῦτο ἰσχυρὸν ἂν ἦν τούτῳ πρὸς ὑμᾶς τεκμήριον, ὅτι ἐξεδίδου τὸν Αἰσχρίωνα, ὃν πεμφθῆναί φημι ὑπὸ τούτου, καὶ λαβεῖν τὰς φιάλας παρὰ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ, καὶ τὴν μνᾶν τοῦ ἀργυρίου δανείσασθαι, κἀμοὶ γενέσθω τεκμήριον πρὸς ὑμᾶς ὅτι συνειδώς με ἀληθῆ ἐγκαλοῦντα οὐ τολμᾷ τὸν Αἰσχρίωνα παραδοῦναι. Dinarchus p. 39. seq. (189. Bekk.) εἶτ' οὐ δεινόν, ὦ Ἀθηναῖοι, εἰ, ὅτι μὲν εἷς ἀνὴρ ἔφησε Πιστίας, Ἀρεοπαγίτης ὤν, ἀδικεῖν με, καταψευδόμενος κἀμοῦ καὶ τῆς βουλῆς, ἴσχυσεν ἂν τὸ ψεῦδος τῆς ἀληθείας μᾶλλον, καὶ διὰ τὴν ἀσθενείαν τὴν τότε καὶ τὴν ἐρημίαν τὴν ἐμὴν ἐπιστεύθησαν αἱ κατ' ἐμοῦ ψευδεῖς γιγνόμεναι κατασκευαί; Si dixisset, εἶτ' οὐ δεινὸν ἂν ἦν, omittere ἄν in sequentibus debuisset. Antiphon p. 780. (88. §. 29. Bekk.) καίτοι δεινόν, εἰ οἱ αὐτοὶ μὲν μάρτυρες τούτοις ἂν μαρτυροῦντες πιστοὶ ἦσαν, ἐμοὶ δὲ μαρτυροῦντες, ἄπιστοι ἔσονται· καὶ εἰ μὲν πάνυ μὴ παρεγένοντο μάρτυρες, ἐγὼ δὲ παρειχόμην ἄν, ἢ τοὺς παραγενομένους μὴ παρειχόμην, ἑτέρους δέ τινας, εἰκότως ἂν οἱ τούτων λόγοι πιστότεροι ἦσαν τῶν ἐμῶν μαρτύρων. Hoc in loco ambo modi, de quibus dictum, coniuncti sunt. Nam illa εἰ τούτοις ἂν μαρτυροῦντες πιστοὶ ἦσαν, et εἰ εἰκότως ἂν πιστότεροι ἦσαν τῶν ἐμῶν μαρτύρων,

dicta sunt, quia nulla est conditio non impleta in primaria sententia *δεινόν ἐστιν*. Hoc autem *εἰ παρειχόμην ἄν*, ubi non recte a Bekkero cum duobus codd. omissum est *ἄν*, propterea dictum est, quia duplicem habet conditionem. Sensus hic est: *malum vero, si iidem testes pro illis testantes fide digni essent, pro me autem nullam fidem habebunt; et, si omnino non affuissent testes, ego autem exhibiturus fuissem, vel, qui affuissent, non exhibuissem, sed alios, ipsorum dicta plus fidei, quam mei testes, habuissent.* Adde conditionem non impletam principali sententiae, et videbis ita dici debere: *καίτοι δεινὸν ἂν ἦν, εἰ οἱ αὐτοὶ μάρτυρες τούτοις μαρτυροῦντες πιστοὶ ἦσαν, καὶ — εἰκότως οἱ τούτων λόγοι πιστότεροι ἦσαν τῶν ἐμῶν μαρτύρων.* Hinc iudicari poterit de loco Demosthenis de cor. p. **260**, 1. *καὶ τίς οὐκ ἂν ἀπέκτεινέ με δικαίως, εἴ τι τῶν ὑπαρχόντων τῇ πόλει καλῶν λόγῳ μόνον καταισχύνειν ἐπεχείρησα;* Codd. quidam *ἐπεχείρησα ἄν*. Sed recte omittunt particulam alii codd. et Plutarchus p. **542**. A. Tertius denique modus, quo *ἂν* additur, is est, quum in oratione ex pluribus membris composita, praecessit sententia carens conditione non impleta, licet eiusmodi conditio in sententia principali insit. Nam non posset intelligi, de re non vera, sed cogitata sermonem esse, si praecedentia rem factam continent. Aeschines c. Timarch. p. **107**. (**329**. §. **85**. Bekk.) *οὐκοῦν ἄτοπον ἂν εἴη, ὦ Ἀθηναῖοι, εἰ μηδὲν μὲν ἐμοῦ λέγοντος, αὐτοὶ βοᾶτε τὴν ἐπωνυμίαν τῶν ἔργων ὧν σύνιστε τούτῳ, ἐμοῦ δὲ λέγοντος ἐπιλέλησθε· καὶ μὴ γενομένης μὲν κρίσεως περὶ τοῦ πράγματος, ἥλω ἄν, γεγονότος δὲ ἐλέγχου ἀποφεύξεται;* Apertum est, si hic abesset *ἄν*, sensum fore, *si hic caussa cecidit*, non, *si cecidisset.*

XI.

De omissa particula ἂν universe.

In communi scriptorum usu multo saepius omissa particula *ἂν* dubitationem excitavit viris doctis, quam adiecta,

quum multi, quod plerumque fieri viderent, ubique faciendum fuisse existimarent. Qua opinione nihil in arte critica cogitari potest perniciosius. Quaerendum est potius, utrum quid necessario, an usu quodam et consuetudine fiat, omninoque caussae prius sunt investigandae, quam regulae constituendae. Et hac quidem in re, in qua nunc versamur, illud ante omnia videndum est, quid sit, quod dicimus omitti particulam. Potest enim dupliciter intelligi. Nam aut nihil mutari sententiam putamus detracta particula, aut mutari quadam ratione. Quodsi nihil mutari sententiam volemus, recte quidem loquemur, quum omitti particulam dicemus, sed committemus tamen aliquid absurdi, quia si particula aliquid tamen significat, nihil eam significare necesse esset, si perinde esset, utrum adderetur an omitteretur. Sin mutari omissione particulae volemus sententiam, omitti particulam non recte dicemus, quia, ubi non illud significandum est, ad quod opus est particula, abesse eam necessarium est, ut non omitti, sed non ponenda esse dicenda sit. Itaque quum utrovis modo absonum sit, omissam dici particulam, videndum an tertia quaedam ratio relinquatur, qua iure dici possit omitti. Est vero ita. Nam mutari sententiam quum dicimus, aut plane aliud quid dicere eum, qui loquitur, indicamus, aut idem quidem, sed cum levi aliquo et quod non magni referat discrimine dicere. Et hoc quidem quum fit, ut sententia maneat eadem, parumque intersit, utrum addatur an omittatur, tum vero recte licebit omissam dici. Itaque hanc omnem disputationem in duas partes dividemus, quarum in priore de particula necessario omissa, i. e. ne ponenda quidem, in altera de non necessaria eius omissione dicemus.

XII.

De indicativo particula ἄν vel κἂν necessario omissa.

Vulgaris est opinio, verba quaedam, ut *ὤφελον*, *ἔμελλον*, *ἐχρῆν*, *ἔδει*, *προσῆκεν*, et alia, carere posse

particulae adiectione, et nisi semper, tamen plerumque ea carere. Vid. Matthiae gr. Gr. §. 510. 6. et quem ille laudat Schaeferum Melet. cr. p. 130. seq. de χρῆν et ἔμελλον disserentem. Non temere hoc fieri, sensisse videtur Matthiae §. 508. not. 1. sed debebat eam rationem amplius persequi, praesertim quum ita simplex et plana sit, ut non possit non statim cuivis apparere. Neque enim ullum illorum verborum est, quod non aut saepe aut aliquando certe particulam ἄν tam necessario requirat, quam alibi adspernetur. Nam ubicumque aliquid, quod etiam sine conditione verum est, commemoratur, abesse debet particula: ubi autem aliquid nominamus, quod nonnisi certa conditione verum est, necessaria est particulae adiectio. Intelligitur id autem ex opposito. Nam quod sine conditione verum est, ei non licet opponi, non esse verum: quod autem certa tantum conditione est, ei recte oppones, non esse, sublata conditione. Declarabo rem exemplis. Sophocles El. 1505.

> χρῆν δ' εὐθὺς εἶναι τήνδε τοῖς πᾶσιν δίκην,
> ὅστις πέρα πράσσειν γε τῶν νόμων θέλει,
> κτείνειν· τὸ γὰρ πανοῦργον οὐκ ἂν ἦν πολύ.

Χρῆν dicit, quia oportere indicat sine conditione: nec potest opponi, ἀλλ' οὐ χρή: nam si oportet, quomodo potest non oportere? At non omnia fiunt, quae oportebat. Itaque quod opponere potes, aliud est: ἀλλ' οὐκ ἔστι. Contra non dicit, τὸ γὰρ πανοῦργον οὐκ ἦν πολύ, sed addit particulam. Nam illa tantum conditione non forent multi nefarii. Atqui, quia non exstat lex illa, sunt multi. Itaque oppositum est, ἀλλ' ἔστι πολύ. Iam facile intelligetur, cur ea potissimum verba, quae vel necessitatem aliquam significant, ut ὤφελε, ἐχρῆν, ἔδει, προσῆκε, vel libertatem faciendi, ut ἐξῆν, ἐνῆν, vel veritatem rei, ut ἦν, ἔμελλεν, saepissime careant particulae accessione. Nam quae fieri oportet, vel licet, vel quae sunt aut futura sunt, plerumque simpliciter veritatem rei continent,

ex nulla conditione suspensam. Attulit Matthiae §. 508. not. 1. Sophoclis hoc in Oed. R. 255.

οὐδ' εἰ γὰρ ἦν τὸ πρᾶγμα μὴ θεήλατον,
ἀκάθαρτον ὑμᾶς εἰκὸς ἦν οὕτως ἐᾶν,

et Xenophontis Mem. S. II. 7, 10. εἰ μὲν τοίνυν αἰσχρόν τι ἔμελλον ἐργάσασθαι, θάνατον ἀντ' αὐτοῦ αἱρετέον ἦν. Vtrumque recte dictum. Nam et non expiare caedem, et turpe quid facere impium erat, semperque impium est. Itaque tantum abest, ut haec anomalia quaedam sit, quemadmodum Schaefero videbatur in Meletem. p. 55. ut certissimam legem habeat particulae omissio: cuius legis rationem non perspectam esse a Schaefero, manifesto prodit adnotatio 85. p. 129. Neque enim ipsi verbo hoc tribuendum est, quod particula carere potest, sed potest id tum demum fieri, quum vel verbum ipsum non tantum auxiliare est, sed idem quod ἐξῆν significat, ut apud Demosthenem p. 656, 6. εἰ γὰρ μηδὲν εἴχετε τῶν ἄλλων λογίσασθαι, μηδ' ἐφ' ὑμῶν αὐτῶν οἷοί τε ἦτε ταῦτα συνεῖναι, ἦν ἰδεῖν παράδειγμα Ὀλυνθίους τουτουσί, οἵ τί πεποιηκότος αὐτοῖς Φιλίππου πῶς αὐτῷ κέχρηνται; vel ubi adiectivum accedit eiusmodi, quod aliquid per se verum significat, ut non possit contrarium oppositum cogitari, veluti in hoc Sophoclis in Oed. R. 1368. quod Schaeferus affert:

κρείσσων γὰρ ἦσθα μηκέτ' ὤν, ἢ ζῶν τυφλός,

quod idem est atque κρεῖττον ἦν, μὴ ζῆν σε, ἢ τυφλὸν εἶναι, et ibidem 1375.

ἀλλ' ἦ τέκνων δῆτ' ὄψις ἦν ἐφίμερος.

Neque enim aut οὐ κρεῖττον ἦν, aut οὐκ ἦν ἐφίμερος opponi potest, sed opposita cogitantur, *at caecus es: at cares adspectu liberorum.* Itaque etiam Latini in hoc genere non coniunctivo, sed indicativo utuntur, *licebat*, *oportebat*, *aequum erat*, et quaecumque sunt huiusmodi alia dicentes. Ex quo apparet, neque in illis exemplis, quae Schaeferus p. 129. affert, omitti potuisse ἄν,

illud autem quod p. 55. ex Iphig. in Aul. 944. apposuit, plane non pertinere ad omissionem particulae, quia quod Achilles dicit,

ἐγὼ κάκιστος ἦν ἄρ' Ἀργείων ἀνήρ,
ἐγὼ τὸ μηδέν, Μενέλεως δ' ἐν ἀνδράσιν,
ὡς οὐχὶ Πηλέως, ἀλλ' ἀλάστορος γεγώς,
εἴπερ φονεύει τοὐμὸν ὄνομα σῷ πόσει.

hunc sensum habet: *me ergo infimum Argivorum, et nullo loco habendum, Menelaum autem virum putabat Agamemnon, si meo nomine ad caedem faciendam abutitur.* Dionysius vero Hal. in arte rhet. c. 4. p. 247, 9. ed. Reisk. ad quem locum illa adnotavit Schaeferus, quum scripsit *ἦν μὲν οὖν καὶ παρὰ Σαπφοῖ τῆς ἰδέας ταύτης παραδείγματα*, non est id recte Schaeferus sic interpretatus: *posses quidem etiam in Sapphicis exempla huius formae reperire.* Nam et *εὑρεῖν*, si illud voluisset scriptor, addere debuisset, nec *posses*, sed *poteras* verti oportebat, quia non licet opponere, *at non potes invenire.* Recte vero loquutus est Dionysius, hoc volens: *in promptu erant exempla in Sapphicis, quibus uti poteram: sed nolo iis uti.* Sed satis. Nihil enim opus exemplis, quae quis ex quovis scriptore millena possit colligere.

Talia potius afferre operae pretium est, in quibus additum sit *ἄν*, quoniam de ea re quidam dubitarunt. Est enim etiam illis verbis, quae plerumque carent particula, necessario addenda, ubi contrarium illorum verborum in mente habemus. Incipiam ab insigni ad rem demonstrandam loco Demosthenis in Mid. p. 525, 15. *εἰ τοίνυν ἀπέχρη τοὺς τοῖς Διονυσίοις τι ποιοῦντας κατὰ τούτους τοὺς νόμους δίκην διδόναι, οὐδὲν ἂν προσέδει τοῦδε τοῦ νόμου. ἀλλ' οὐκ ἀπέχρη.* Hic omnia ex conditione pendent, et aperte oppositum est, *ἀλλὰ προσδεῖ τοῦ νόμου.* Sophocles Oed. Col. 1365.

εἰ δ' ἐξέφυσα τάσδε μὴ 'μαυτῷ τροφοὺς
τὰς παῖδας, ἦ τἂν οὐκ ἂν ἦν, τὸ σὸν μέρος.

Non vivercm. Cogitat enim, *ἀλλ' εἰμί.* Herodotus III. 25. *εἰ μέν νυν μαθὼν ταῦτα ὁ Καμβύσης ἐγνωσιμάχεε, καὶ ἀπῆγε ὀπίσω τὸν στρατὸν ἐπὶ τῇ ἀρχῆθεν γενομένῃ ἁμαρτάδι, ἦν ἂν σοφὸς ἀνήρ.* Scilicet nunc non fuit vir prudens. Demosth. Ol. II. p. 24, 27. *οὐδὲ θαυμάζω τοῦτ' ἐγώ· τοὐναντίον γὰρ ἂν ἦν θαυμαστόν, εἰ μηδὲν ποιοῦντες ἡμεῖς ὧν τοῖς πολεμοῦσι προσήκει τοῦ πάντα ποιοῦντος ἃ δεῖ περιῆμεν.* Male hic codd. quidam omittunt *ἄν.* Nam oppositum est, *ἀλλ' οὐκ ἔστι θαυμαστόν, εἰ μηδὲν ποιοῦντες τοῦ πάντα ποιοῦντος μὴ περιεσόμεθα.* Idem in Philipp. I. init. p. 40, 8. *εἰ γὰρ ἐκ τοῦ παρελήλυθότος χρόνου τὰ δέοντα οὗτοι συνεβούλευσαν, οὐκ ἂν ὑμᾶς νῦν ἔδει βουλεύεσθαι.* Nempe oppositum est, *ἀλλὰ δεῖ νῦν.* Xenophon. Anab. V. 1, 10. *εἰ μὲν ἠπιστάμεθα σαφῶς, ὅτι ἥξει πλοῖα Χειρίσοφος ἄγων ἱκανά, οὐκ ἂν ἔδει ὧν μέλλω λέγειν.* Eadem hic quoque oppositio. Addit oppositum Demosth. Timocr. p. 739, 24. *ἀλλὰ νὴ Δία αἰσχρὸν ἴσως ἂν ἦν, Ἀνδροτίωνα δεδέσθαι, ἢ Γλαυκέτην, ἢ Μελάνωπον; οὐ μὰ τὸν Δί', ὦ ἄνδρες δικασταί.* Si quis alia exempla requirat, aliquot ex uno Demosthene indicabo, apud quem quis *ἂν* cum *ἦν* coniunctum inveniat, p. 40, 18. 74, 17. 97, 19. 108, 22. 112, 1. 134, 8. 145, 20. 168, 11. 317, 4. 350, 7. 370, 2. 372, 20. 374, 8. 375, 27. 410, 9. 431, 6. 545, 26. 569, 13. 575, 2. 583, 7. 652, 3. 20. 660, 9. 662, 28. 665, 21. 681, 29. 702, 3. 746, 7. 849, 15. 861, 24. 917, 22. 974, 11. 987, 2. 1020, 17. 1229, 24. et cum *ἐξῆν* p. 745, 26. cum *ἔδει* p. 813, 3. 1082, 6. 1313, 23. 1418, 10. prooem. et cum *ἀπέχρην* p. 813, 4. Et ne desint exempla, in quibus omissa, uti debuit, particula est, non additam videbis apud eumdem ad *ἔδει* p. 51, 5. 90, 1. 145, 10. 582, 2. 740, 19. ad *ἐνῆν* p. 52, 6. 354, 13. 379, 2. ad *ἐξῆν* p. 33, 11. 785, 15. ad *ἐχρῆν* p. 955, 20. ad *ἦν* p. 230, 15. 260, 4. 355, 7. 379, 12. 395, 3. 5. 463. 24. 1016, 24. 1017, 21. ubi plerique libri recte omittunt; ad *προσῆκεν* p. 900, 24. 948, 14. Ex utroque genere pauca libet adscribere. Dicit Demosthenes de reb. Cherson. p. 97, 8. ubi quid

facto opus esset exposuit: *ταῦτ᾽ ἦν εὖ φρονούντων ἀνθρώπων, ἐπηρεαζόντων δὲ καὶ διαφθειρόντων τὰ πράγματα, ἃ νῦν οὗτοι ποιοῦσι.* Recte vertas, ut omnino ubi omissum est *ἄν*, per indicativum: *hoc erat hominum sapientium.* Non potest enim opponi, *at non est sapientium*, sed, *at non facilis.* Idem de falsa leg. p. 395, 14. *καίτοι καὶ τἆλλ᾽ ἂν ἅπαντ᾽ ἀκολούθως τούτοις ἐπέπρακτο, εἴ τις ἐπείθετό μοι. οὐ γὰρ ἔγωγε οὕτως ἦν ἄθλιος οὐδ᾽ ἄφρων, ὥστε χρήματα μὲν διδόναι, λαμβάνοντας ὁρῶν ἑτέρους, ὑπὲρ τῆς πρὸς ὑμᾶς φιλοτιμίας· ἃ δ᾽ ἄνευ μὲν δαπάνης οἷά τ᾽ ἦν πραχθῆναι, πολλῷ δὲ μείζονας ὠφελείας εἶχε πάσῃ τῇ πόλει, ταῦτ᾽ οὐκ ἠβουλόμην γενέσθαι.* Initio posuit *ἄν*, quia oppositum est *ἀλλ᾽ οὐ πέπρακται.* Mox vero omisit: neque enim oppositum cogitatur, *fui ita stultus*, sed, *feci ista, et sapienter quidem.* Idem de corona p. 293, 12. *καὶ εἰ νῦν τριῶν ἡμερῶν ἀπὸ τῆς Ἀττικῆς ὁδὸν τῆς μάχης γενομένης, τοσοῦτος κίνδυνος καὶ φόβος περιέστη τὴν πόλιν, τί ἄν, εἴ που πλησίον τῆς χώρας ταὐτὸ τοῦτο πάθος συνέβη, προσδοκῆσαι χρῆν;* Non enim oportuit, quia non est illud factum, quo facto oportuisset. Alia ratio est huius loci in Philipp. III. p. 112, 5. *εἰ μὲν οὖν ἅπαντες ὡμολογοῦμεν Φίλιππον τῇ πόλει πολεμεῖν καὶ τὴν εἰρήνην παραβαίνειν, οὐδὲν ἄλλο ἔδει τὸν παριόντα λέγειν καὶ συμβουλεύειν, ἢ ὅπως ἀσφαλέστατα καὶ ῥᾷστα αὐτὸν ἀμυνούμεθα· ἐπειδὴ δ᾽ οὕτως ἀτόπως ἔνιοι διάκεινται, ὥστε πόλεις καταλαμβάνοντος ἐκείνου, καὶ πολλὰ τῶν ὑμετέρων ἔχοντος, καὶ πάντας ἀνθρώπους ἀδικοῦντος, ἀνέχεσθαί τινων ἐν ταῖς ἐκκλησίαις λεγόντων πολλάκις, ὡς ἡμῶν τινές εἰσιν οἱ ποιοῦντες τὸν πόλεμον, ἀνάγκη φυλάττεσθαι καὶ διορθοῦσθαι περὶ τούτου.* Videri potest hic addendum fuisse *ἄν*, quia opponi potest, *ἀλλ᾽ οὐ δεῖ οὐδὲν ἄλλο λέγειν.* Nihilo minus recte omissa est particula. Neque enim sic intelligi haec voluit Demosthenes, sed quum velit Philippum ab omnibus hostem iudicari, vehementerque improbet eos, qui aliter sentiant, in hanc sententiam loquitur: *si nemo nostrum dubitaret, illum hostem esse, de eo tantum me dicere opus erat,*

quomodo repellendus esset: sed quoniam sunt, qui aliter sentiant, his occurrendum est. Ita apparet iam non quid opus sit, et quid non sit opus, inter se opponi, sed quid ipse facturus sit. Aeschines c. Timarch. p. 153. (p. 355. §. 150. Bekk.) *ὡς τοίνυν ἐξῆν αὐτῷ σωθῆναι μὴ τιμωρησαμένῳ τὸν τοῦ Πατρόκλου θάνατον, ἀνάγνωθί μοι ἃ λέγει ἡ Θέτις.* Potuisset quidem dici, quod quidam codd. habent *ἐξῆν ἄν*, quia licuisset Achilli servari, si Hectorem non occideret, quod occiso illo iam non licebat: sed non recte hic diceretur, quia non quid licuerit ei, sed quid fecerit, quaeritur. Itaque oppositum est *ἀλλ᾽ οὐκ ἐβουλήθη σωθῆναι.*

Restant verba *ὤφελον*, *ἔμελλον*, *ἔφην*, *ἐβουλόμην*, de quibus aliquid adiiciendum videtur. Atque *ὤφελον* quidem cur vix aliter quam sine particula *ἄν* positum inveniatur, ex iis, quae modo disputavimus, apertissimum est. Nam quum hoc verbum proprie *debebam* significet, inest in eo necessitatis significatio, ut, quod debebat fieri, non etiam fieri non debuerit. Iliad. ζ. 350.

ἀνδρὸς ἔπειτ᾽ ὤφελλον ἀμείνονος εἶναι ἄκοιτις
ὅς ῥ᾽ ἤδη νέμεσίν τε καὶ αἴσχεα πόλλ᾽ ἀνθρώπων.

Od. α. 217.

ὡς δὴ ἔγωγ᾽ ὄφελον μάκαρός νύ τευ ἔμμεναι υἱὸς
ἀνέρος, ὃν κτεάτεσσιν ἑοῖς ἔπι γῆρας ἔτετμεν.

Nusquam potes opponere, *at non debebam esse:* sed, *at non sum.* Debebas enim nihilo secius, etsi non est factum, quod fieri debebat.

Eadem ratio est verbi *ἔμελλον*. Nam qui facturus quid erat, eum non potes dicere non fuisse facturum, sed non fecisse. Quod vero Latini dicunt, *facturus fuissem*, nihil obstat, quin Graece dicas, *ἔμελλον ἂν ποιήσειν*. Opponitur enim *ἀλλ᾽ οὐ μέλλω, at non sum facturus.* Sed cavendum, ne, ubi *ἄν* cum infinitivo iungendum est, ad *ἔμελλε* trahas. Vt in Xenoph. Cyrop. IV. 3, 3. *στὰς ὅπου ἔμελλεν ἂν ἐξακούεσθαι τὰ λεγόμενα*: i. e. *ubi futurum erat, ut exaudiri dicta possent.* Vel apud An-

docidem p. 11. (106. §. 21. Bekk.) *φέρε δὴ τοίνυν, εἰ καὶ ὁ πατὴρ ἐβούλετο ὑπομένειν, τοὺς φίλους ἂν οἴεσθε ἢ ἐπιτρέπειν αὐτῷ μένειν, ἢ ἐγγυήσασθαι; ἀλλ᾽ οὐκ ἂν παραιτεῖσθαι καὶ δεῖσθαι ἀπιέναι, ὅπου ἂν ἔμελλεν αὐτὸς σωθήσεσθαι, ἐμέ τε οὐκ ἀπολεῖν*, i. e. *ubi futurum erat, ut et ipse servari posset, et me non perdere.* Caeterum Schaeferum in Melet. cr. p. 131. brevitatis studio dixisse puto ἔμελλεν fungi vice particulae ἄν, atque ἔμελλεν δύσεσθαι idem esse quod ἔδυ ἄν. Nam ut saepe haec permutare possis, ut in illo versu, de quo disputat, Orphei in Argon. 1257.

ἦ τάχα καὶ δύσεσθ᾽ Ἀργὼ κατὰ βένθε᾽ ἔμελλεν,

tamen hoc significat *peritura erat*, illud autem *periisset.* Illo quidem in versu si Schaeferus scribi iussisset,

καὶ τάχα κεν δύσεσθ᾽ Ἀργὼ κατὰ βένθε᾽ ἔμελλεν,

multo id magis probarem, quam quod vulgatam ἦ τάχα καὶ defendit. Κέν enim epicorum more, de quo supra dictum, ita potuerat adiici, ut *forte* significaret. Vulgatam vero quum ego in adnotationibus ad Orpheum propterea reieci, quod epica oratio καὶ τάχα postularet, miror me nescire visum esse Schaefero, quod vel pueri sciunt, ἦ τάχα saepissime apud epicos legi, non autem vidisse eum, has voces, quod initio novae orationis faciendo, non continuandae orationi inserviant, a me esse vituperatas. Hoc ergo refutare debebat, si defendere vellet vulgatam.

Parum differt etiam ἔφην. Homerus Od. δ. 171.

καί μιν ἔφην ἐλθόντα φιλησέμεν ἔξοχον ἄλλων
Ἀργείων, εἰ νῶϊν ὑπεὶρ ἅλα νόστον ἔδωκεν
νηυσὶ θοῇσι γενέσθαι Ὀλύμπιος εὐρύοπα Ζεύς.

Sperabam. Neque enim poteris opponere, *at non speravi:* sed *at non venit.*

Eadem denique etiam verbi ἐβουλόμην aliquando ratio est. Sed hoc verbum si nunc habet adiunctam particulam, nunc non habet, tribuendum id est ambiguitati significationis. Aeschines c. Ctesiph. non longe ab initio

p. 383. (455. §. 2. Bekk.) consentientibus libris: *ἐβουλόμην μὲν οὖν, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ τὴν βουλὴν τοὺς πεντακοσίους καὶ τὰς ἐκκλησίας ὑπὸ τῶν ἐφεστηκότων ὀρθῶς διοικεῖσθαι, καὶ τοὺς νόμους, οὓς ἐνομοθέτησεν ὁ Σόλων περὶ τῆς ῥητόρων εὐκοσμίας, ἰσχύειν.* Aristophanes Ran. 866.

ἐβουλόμην μὲν οὐκ ἐρίζειν ἐνθάδε·

ubi Brunckius non debebat addere *ἄν*. Vterque scriptor recte loquutus est. Nam significat illud *ἐβουλόμην cupiebam*, cui quoniam non est oppositum *at non cupio*, recte abest *ἄν*. Itaque apud Aeschinem sensum verborum etiam ita licet exprimere, *debebat servari antiquus mos iudiciorum.* Apud Aristophanem autem qui loquitur, Aeschylus, quum *cupiebam non certare* dicit, manere se alienum a certandi cupiditate indicat, etiamsi, quum detrectare nequeat, certaturus est: id quod his verbis dicit:

ὅμως δ', ἐπειδή σοι δοκεῖ, δρᾶν ταῦτα χρή.

Sed observandum est, vix aliter hoc verbum *ἐβουλόμην* in principio quidem orationis carere posse particula *ἄν*, quam si *μὲν* adiiciatur, quo statim indicetur, etsi quis velit aliquid, tamen, quod velit, non fieri. Itaque Antisthenes rhetor orationem Aiacis in Reiskii Oratt. vol. VIII. p. 52. sic, ut fecit, debuit incipere: *ἐβουλόμην ἂν τοὺς αὐτοὺς ἡμῖν δικάζειν, οἵπερ καὶ ἐν τοῖς πράγμασι παρῆσαν.* Nam si omisisset, narrare videretur se voluisse illud, nunc autem abiecisse eam voluntatem. Simillimum est hoc Dionysii Hal. Art. Rhet. c. 3. init. p. 233. *ἐμοὶ μὲν ἦν τερπνόν, αὐτὸν παρόντα καὶ συγχορεύοντα καὶ ἀναβακχεύοντα μετὰ σοῦ, τῆς φίλης ἐμοὶ κεφαλῆς, ὑμνεῖν.* Quo loco vix puto dubitari posse quin exciderit particula *ἄν*. Dicitur vero etiam *ἐβουλόμην μὲν ἄν*, ut apud Aristophanem Eccles. 151.

ἐβουλόμην μὲν ἕτερον ἂν τῶν ἠθάδων
λέγειν τὰ βέλτισθ', ἵν' ἐκαθήμην ἥσυχος.

Qui locus, ut plerique omnes, in quibus adiectum est *ἄν*,

repugnare forsitan videbitur iis, quae supra diximus, ubi addita sit particula, contrarium opponi posse. Non enim opponi potest, *ἀλλ᾽ οὐ βούλομαι*. Sic etiam in Vespis, quum Bdelycleo dixisset,

κιθαρίζειν γὰρ οὐκ ἐπίσταται,

respondet v. 960. Philocleo,

ἐγὼ δ᾽ ἐβουλόμην ἂν οὐδὲ γράμματα.

Demosthenes Philipp. I. in fine p. 54, 29. *ἐβουλόμην δ᾽ ἄν, ὥςπερ ὅτι ὑμῖν συμφέρει τὰ βέλτιστα ἀκούειν οἶδα, οὕτως εἰδέναι συνοῖσον καὶ τῷ τὰ βέλτιστα εἰπόντι· πολλῷ γὰρ ἂν ἥδιον εἶπον· νῦν δ᾽ ἐπ᾽ ἀδήλοις οὖσι τοῖς ἀπὸ τούτων ἐμαυτῷ γενησομένοις, ὅμως ἐπὶ τῷ συνοίσειν ὑμῖν, ἐὰν πράξητε, ταῦτα πεπεῖσθαι, λέγειν αἱροῦμαι*. Aeschines in Ctesiph. p. 506. (505. §. 115. Bekk.) *ὃν ἐβουλόμην ἂν πολλῶν ἕνεκα ζῆν*. Scilicet in huiusmodi locis *ἐβουλόμην ἄν* potestate idem est quod, *bene esset*, cui recte opponitur, *at non bene est*. Quare etiam Latini *vellem* dicunt. Omnino autem videndum, ut, quod quoque in loco oppositum cogitari debeat, recte cognoscatur, nisi male intelligi huius et similium verborum rationem volumus. Vt quod in Gorgiae defensione Palamedis p. 113 (68. §. 21. Bekk.) scriptum est: *ὅτι μὲν οὖν οὐδ᾽ ἂν ἐβουλόμην προδοῦναι τὴν Ἑλλάδα, διὰ τῶν προειρημένων δέδεικται*. Vehementer enim erraret, qui opponere vellet, *ἀλλ᾽ ἐβουλόμην προδοῦναι* sic simpliciter. Nam est illud quidem ipsum, sed ex persona adversarii oppositum: *ἐβούλου προδοῦναι*: ut, si ex ipsius oratoris persona oppositionem facere velis, dicendum sit, *videor prodere voluisse*. Ex his apparet, hoc quidem in loco plane diversam nasci sententiam, si *ἄν* removeatur. Nam addita particula dicit, *ne voluissem quidem prodere, si potuissem;* omissa autem, *ne volui quidem, quum potuerim*.

Sed multo latius patet haec ratio, neque ullum est verbum, ad quod non pertineat. Nam omnino, ubicumque non potest contrarium opponi, recte abest particula. An-

tiphon p. 688. (41. §. 2. Bekk.) *τὸν γὰρ ἄρξαντα τῆς πληγῆς, εἰ μὲν λίθῳ ἢ ξύλῳ ἠμυνάμην αὐτόν, ἠδίκουν μὲν οὐδ' οὕτως· οὐ γὰρ ταὐτά, ἀλλὰ μείζονα καὶ πλείονα δίκαιοι οἱ ἄρχοντες ἀντιπάσχειν εἰσίν. Ne sic quidem, si cum saxo aut ligno percussissem, iniustum quid faciebam.* Non potest enim opponi *ἀλλ' ἠδίκουν*. Idem p. 634. s. (18. §. 9. Bekk.) *ὡς δὲ οὐδὲ τὸν κίνδυνον οὐκ ἀσφαλέστερον τοῦ ἀπὸ τῆς γραφῆς ἡγούμην εἶναι, ἀλλὰ πολλαπλάσιον, εἰ μὴ παρεφρύνουν, διδάξω.* Repetita est negatio, quia sequitur *ἀλλά*. Ad *ἡγούμην*, pro quo etiam *ἔμελλον ἡγεῖσθαι* dicere potuerat, non addidit *ἄν*, quia non potest opponi *ἀλλ' οὐχ ἡγούμην*. Quum enim neget se caedem fecisse, non potuit omnino praeferre periculum, quod occidendo inimico subeundum erat, in ius vocationi, immo ne cogitavit quidem de ea re. Operae pretium est, hic considerare eiusdem scriptoris locum p. 718. (57. §. 28.) *ἀλλ' ὡς κατεποντώθη λέγουσιν. ἐν τίνι πλοίῳ; δῆλον γὰρ ὅτι ἐξ αὐτοῦ τοῦ λιμένος ἦν τὸ πλοῖον. πῶς ἂν οὖν οὐκ ἐξευρέθη*; Recte omisit particulam in his, *δῆλον γὰρ ὅτι ἐξ αὐτοῦ τοῦ λιμένος ἦν τὸ πλοῖον*. Nam si posuisset *ἄν*, deberet opponi posse, *at non fuit ex ipso illo portu.* Id quod non potest opponi. Quare in huiusmodi locis recte sic vertas verbum sine particula: *debuit esse ex illo portu.* Sed quod statim addit cum particula, licebat etiam sine particula dici: *πῶς οὖν οὐκ ἐξευρέθη;* alio tamen sensu. Significaret enim, *cur non est inventus?* Addita autem particula dicit, *quomodo non esset inventus?* Vides recte opponi, *at non est inventus.* Nam interrogatio vim habet negationis, ut, si sine interrogatione proferas, dicendum sit, *non esset non inventus.* Alia ratio est huius loci ap. Demosthenem in Mid. p. 569, 27 *ὅτι τοίνυν καὶ κεκόμισται χάριν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, παρ' ὑμῶν, οὐ μόνον ὧν αὐτὸς λελειτούργηκε λειτουργιῶν ἀξίαν, (μικρὰ γὰρ αὕτη γέ τις ἦν) ἀλλὰ καὶ τῶν μεγίστων, καὶ τοῦτο βούλομαι δεῖξαι.* Reiskius *ἂν* post *τις*, Spaldingius p. 87. (93.) ante *αὕτη* inserendum putabat. Erit sane addenda, si oppositum esse volumus, *at accepit iusto maiorem gratiam.* Non

videtur tamen illud respexisse orator, sed retulisse ea verba ad *ἀξίαν*, ut diceret, *qua ille dignus erat gratia, ea perexigua erat.* Tum vero ne potuit quidem addere particulam. Eadem ratio est Antiphontis verborum p. 680. (36. §. 4) *οὐ γὰρ ἀτρεμίζων ἀπέθανε.* Qui si diceret, *non esset mortuus, si in suo loco mansisset*, addere debuisset particulam. At non hoc dicit, sed, *mortuus est, quia non mansit in loco.*

Volo hic usum quemdam particulae *ἄν* cum particulis *δήπου* coniunctae commemorare, quia facile videri potest alicubi omissum esse *ἄν*, ubi, si accuratius consideres, debet abesse. Particulae illae *δήπου* idem significant, quod in Germanica lingua *doch wohl.* Vsurpantur autem ita, ut Latine per *credo* verti possint. Indicant enim vix quemquam dubitaturum esse. Iam saepe istae particulae in eiusmodi oratione inveniuntur, ut possis etiam *ἄν* adhibere. Vt apud Antiphontem de caede Herodis p. 716. (56. §. 24) *καίτοι γε οὐ δήπου κατ' ἐμαυτοῦ μηνυτὴν ἔπεμπον, εἰδώς; atqui non misi, credo, indicem sciens contra me ipse.* Vbi si dixisset, *οὐκ ἂν κατ' ἐμαυτοῦ μηνυτὴν ἔπεμπον; atqui non misissem indicem contra me ipse*, idem dicere visus esset. Sed non est ita. Nam ubi illud *δήπου* sine *ἄν* positum est, semper sententia talis est, ut, si *δήπου* tollas, illud habeas, quod necessario per solum indicativum dicendum erat, quia quid simpliciter sit vel fuerit indicat. Vt hic: *non misi indicem contra me ipse.* Idem Antiphon p. 725. (62. §. 43) *οὐ γὰρ δήπου οὕτω κακοδαίμων ἐγώ, ὥστε τὸ μὲν ἀποκτεῖναι τὸν ἄνδρα προὐνοησάμην μόνος, ἵνα μοι μηδεὶς συνειδείη, ἐν ᾧ μοι ὁ πᾶς κίνδυνος ἦν, ἤδη δὲ πεπραγμένου μοι τοῦ ἔργου, μάρτυρας καὶ συμβούλους ἐποιούμην.* Aeschines c. Timarch. p. 110. (329. §. 87) *φέρε δὴ πρὸς τοῦ Διὸς καὶ τῶν θεῶν, εἰ ἐπὶ τὴν αὐτὴν ἐτράποντο ἀπολογίαν, ἥνπερ Τίμαρχος νυνί, καὶ οἱ συναγορεύοντες αὐτῷ, καὶ ἠξίουν διαῤῥήδην τινὰ μαρτυρεῖν περὶ τῆς αἰτίας, ἢ τοὺς δικαστὰς μὴ πιστεύειν, ἅπασα δήπου ἀνάγκη ἦν ἐκ τοῦ λόγου τούτου μαρτυρεῖν τὸν μέν, ὡς ἐδέκαζε, τὸν δὲ ὡς ἐδεκάζετο, προκειμένης*

ἑκατέρῳ ζημίας ἐκ τοῦ νόμου θανάτου. Demosthenes in Mid. p. 554, 1. *ἐγὼ δ' αὖ τοὐναντίον οἶμαι, εἰ τοῦτον ἀφῆκα, λελοιπέναι μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὴν τοῦ δικαίου τάξιν, φόνου δ' ἂν εἰκότως ἐμαυτῷ λαχεῖν· οὐ γὰρ ἦν μοι δήπου βιωτὸν τοῦτο ποιήσαντι.* Vbi vero non de eo, quod re vera fuit aut non fuit, sed de eo, quod esset, si quid aliud esset, sermo est, necessario debet *ἂν* accedere: ut apud eumdem I. in Steph. p. 1109, 7. *οὐδ' ἂν εἷς ἔτι δήπου τοῦτ' ἐμαρτύρησεν, εἰ μή τις καὶ παρῆν διατιθεμένῳ τῷ πατρὶ τῷ ἐμῷ, ἀλλ' εὐθὺς ἂν εἶπε· τί δ' ἡμεῖς ἴσμεν, εἴ τινές εἰσι διαθῆκαι Πασίωνος;* Oppositum enim cogitatur: *at illi sunt hoc testati.* Non ita in illis locis, in quibus deest particula *ἄν:* quorum in nullo potest contrarium opponi. Eadem ratio est verbi *δηλονότι.* Demosthenes de falsa legat. p. 353, 22. *ὃ τοίνυν μέγιστον ἁπάντων· ὁ γὰρ εἰς τὴν προτέραν γράψας ἐπιστολήν, ἣν ἠνέγκαμεν ἡμεῖς, ὅτι ἔγραφον δ' ἂν καὶ διαῤῥήδην, ἡλίκα ὑμᾶς εὖ ποιήσω, εἰ εὖ ᾔδειν καὶ τὴν συμμαχίαν μοι γενησομένην, γεγονυίας τῆς συμμαχίας οὐ φησὶν εἰδέναι τί ἂν ποιῶν χαρίσαιτο, οὐδὲ ὃ αὐτὸς ὑπέσχετο· τοῦτο γὰρ ᾔδει δηλονότι, εἴπερ μὴ ἐφενάκιζεν ὑμᾶς. Nempe sciret,* inquit, *nisi vos ludibrio haberet.* Non recte adderet particulam. Significaret enim, nescire illum.

XIII.

De indicativo particula ἂν rhetorice omissa.

Alia ratio, qua particula *ἄν* omittenda est, in illa figura cernitur, qua quod ob conditionem non impletam non est factum, sine conditione ut factum sumitur. Nam quum in hoc genere non possit contrarium oppositum cogitari, abesse necesse est particulam, quae id cogitari iubet. Sed ex ea ipsa re, quod debet in hac figura abesse particula, consequitur, proprie intelligendum esse praeteritum, et non posse de praesente aut futuro tempore accipi. Itaque non licet dici, *εἰ ἠδίκεις ἐμέ, ἐτιμωροῦ-*

μην σε, hoc sensu, *si me iniuria afficeres, punirem te:* sed, etiamsi velis ad praesens tempus referri, tamen proprie de praeterito dictum erit, hoc modo: *fac te mihi iniuriam intulisse: tum puniebam te.* Quam Elmsleius ad Bacch. **612**. **1311**. viam iniit, *ἐλάνθανεν* et similia pro *λήσειν ἔμελλε* dici, eoque particulae omissionem defendi ratus, probari non posse monui ad Soph. El. **902**. Nam si ita esset, non posset pro eodem etiam *ἐλάνθανεν ἄν* dici. Atqui et pro *ἐλάνθανεν ἄν* vix usquam non poteris *ἔμελλε λήσειν* dicere, et pro *ἔμελλε λήσειν*, ubi quidem id ad non impletam conditionem refertur, ubique dici potest *ἐλάνθανεν ἄν*. Sic Schaeferus Mel. cr. p. **131**. recte observat, in his Herodoti II. **43**. *καὶ μὴν εἴ γε παρ' Ἑλλήνων ἔλαβον οὔνομά τευ δαίμονος, τούτων οὐκ ἥκιστα, ἀλλὰ μάλιστα ἔμελλον μνήμην ἕξειν*, dici potuisse *ἔσχον ἂν μνήμην*. Itaque illo Elmsleii argumento non efficitur quod quaerimus, quid intersit utrum *ἐλάνθανεν* an *ἐλάνθανεν ἄν* dicatur. Nos quam omissae particulae rationem esse diximus, eius insigne exemplum exstat apud Andocidem de myst. p. **28**. (**118**. §. **57**.) *τί ἂν ὑμῶν ἕκαστος ἐποιήσεν; εἰ μὲν γὰρ ἦν δυεῖν τὸ ἕτερον ἑλέσθαι, ἢ καλῶς ἀπολέσθαι, ἢ αἰσχρῶς σωθῆναι, ἔχοι ἄν τις εἰπεῖν κακίαν εἶναι τὰ λεγόμενα· καίτοι πολλοὶ ἂν καὶ τοῦτο εἵλοντο, τὸ ζῆν περὶ πλείονος ποιησάμενοι τοῦ καλῶς ἀποθανεῖν· ὅπου δὲ τούτων τὸ ἐναντιώτατον ἦν, σιωπήσαντι μέν, αὐτῷ τε αἴσχιστα ἀπολέσθαι μηδὲν ἀσεβήσαντι, ἔτι δὲ τὸν πατέρα περιϊδεῖν ἀπολόμενον καὶ τὸν κηδεστὴν καὶ τοὺς συγγενεῖς καὶ ἀνεψιοὺς τοσούτους, οὓς οὐδεὶς ἀπώλλυεν ἢ ἐγώ, μὴ εἰπὼν ὡς ἕτεροι ἥμαρτον· Διοκλείδης μὲν γὰρ ψευσάμενος ἔδησεν αὐτούς, σωτηρία δὲ αὐτῶν ἄλλη οὐδεμία ἦν, ἢ πυθέσθαι Ἀθηναίους πάντα τὰ πραχθέντα· φονεὺς οὖν αὐτῶν ἐγινόμην ἐγώ, μὴ εἰπὼν ὑμῖν ἃ ἤκουσα· ἔτι δὲ τριακοσίους Ἀθηναίων ἀπώλλυον, καὶ ἡ πόλις ἐν κακοῖς τοῖς μεγίστοις ἐγίνετο· ταῦτα μὲν οὖν ἦν ἐμοῦ μὴ εἰπόντος· εἰπὼν δὲ τὰ ὄντα, αὐτός τε ἐσωζόμην, καὶ τὸν πατέρα ἔσωζον καὶ τοὺς ἄλλους συγγενεῖς, καὶ τὴν πόλιν ἐκ φόβου καὶ κακῶν τῶν μεγίστων ἀπήλ-*

λαττον, φυγάδες δὲ δι' ἐμὲ τέτταρες ἄνδρες ἐγίνοντο, οἵπερ καὶ ἥμαρτον· τῶν δ' ἄλλων οἱ λοιποὶ πρότερον ὑπὸ Τεύκρου ἐμηνύθησαν· οὔτε δήπου οἱ τεθνεῶτες δι' ἐμὲ μᾶλλον ἐτέθνασαν, οὔτε οἱ φεύγοντες μᾶλλον ἔφευγον. Aeschines de falsa legat. p. 244. (402. §. 69.) τί δὲ καὶ βουλόμενος, εἴπερ ταὐτὰ Φιλοκράτει προειλόμην, κατηγόρουν μὲν πρὸς τοὺς αὐτοὺς ἀκροατὰς τῇ προτεραίᾳ, μίαν δὲ νύκτα διαλιπὼν συνηγόρουν; Refert haec ex mente Demosthenis, de quo p. 242. (§. 66.) dixerat: nam ipse non facta esse contendit. Et p. 326. (444. §. 173.) eodem modo: καί τῷγε δῆλος ἦν, εἰ μή γε, ὥςπερ ἐν τοῖς χοροῖς, προῃδον; Lycurgus c. Leocr. p. 164. s. (242. §. 38.) ἐν οἷς Λεωκράτης οὑτοσὶ καὶ αὐτὸς ἐκ τῆς πόλεως ἀποδρὰς ᾤχετο, καὶ τὰ χρήματα τὰ ὑπάρχοντα ἐξεκόμισε, καὶ ἱερὰ τὰ πατρῷα μετεπέμψατο· καὶ εἰς τοσοῦτον προδοσίας ἦλθεν, ὥςτε κατὰ τὴν αὐτοῦ προαίρεσιν ἔρημοι μὲν ἦσαν οἱ ναοί, ἔρημοι δὲ καὶ αἱ φυλακαὶ τῶν τειχῶν, ἐξελέλειπτο δὲ ἡ πόλις καὶ ἡ χώρα. Alia exempla suppeditare poterit Gorgiae apologia Palamedis. Ad hanc figuram saepe non attenderunt viri docti: unde multos veterum locos temere coniecturis vexarunt. Veluti haec Euripidis in Troad. 395. de Hectore et Paride:

δόξας ἀνὴρ ἄριστος, οἴχεται θανών.
καὶ τοῦτ' Ἀχαιῶν ἶξις ἐξεργάζεται.
εἰ δ' ἦσαν οἶκοι, χρηστὸς ὢν ἐλάνθανεν.
Πάρις δ' ἔγημε τὴν Διός· γήμας δὲ μή,
σιγώμενον τὸ κῆδος εἶχεν ἐν δόμοις.

Eurip. Hec. 1111.

εἰ δὲ μὴ Φρυγῶν
πύργους πεσόντας ἦσμεν Ἑλλήνων δορί,
φόβον παρέσχεν οὐ μέσως ὅδε κτύπος.

Sophocles Electr. 913.

ἀλλ' οὐδὲ μέν δὴ μητρὸς οὕθ' ὁ νοῦς φιλεῖ
τοιαῦτα πράσσειν, οὔτε δρῶσ' ἐλάνθανεν.

Refert enim rem tamquam factam, quia certo ita futurum fuisse indicare vult. Sic etiam Euripides in Bacchis v. 1309. et in Ione 353. Nolet haec hodie mutari, ut spero, Elmsleius, quem vide ad Med. 416. not. p. 150. Diphilus apud Athen. IV. p. 165. F.

εἰ μὴ συνήθης Φαιδίμῳ γ' ἐτύγχανεν
ὁ Χαβρίου Κτήσιππος, εἰσηγησάμην
νόμον τιν' οὐκ ἄχρηστον, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ.

Herodotus I. 187. *τῇσι δὲ πύλῃσι ταύτῃσι οὐδὲν ἐχρᾶτο τοῦδε εἵνεκα, ὅτι ὑπὲρ κεφαλῆς οἱ ἐγένετο ὁ νεκρὸς διεξελαύνοντι.* Hoc inprimis luculentum exemplum est, ex quo cognoscamus, aptissime huic figurae locum esse, ubi rem minime dubiam significare volumus. Nam quum Nitocris condi se voluisset supra portas illas, necessario super capite Darii fuisset corpus mortuae, si per eas portas vectus esset.

Vnum his addam aliud huius figurae exemplum, ut ostendam cur semel in eo additum sit *ἄν*. Est illud Demosthenis ad Apatur. p. 901, 13. *γενέσθω τοίνυν καὶ τοῦτο ὑμῖν τεκμήριον τοῦ ψεύδεσθαι Ἀπατούριον· εἰ γὰρ ἐνεγυησάμην ἐγὼ τούτῳ τὸν Παρμένοντα, οὐκ ἔστιν ὅπως τούτῳ μὲν ὑπὲρ ἐκείνου ἀπηχθόμην, πρόνοιαν ποιούμενος ὅπως μὴ ἀπολεῖ ἃ δι' ἐμοῦ τούτῳ συνέβαλλεν· αὐτὸς δ' ἐμαυτὸν περιεῖδον ἂν ὑπ' ἐκείνου πρὸς τοῦτον ἐν ἐγγύῃ καταλειπόμενον· τίνα γὰρ ἐλπίδα ἔσχον τοῦτον ἀποσχήσεσθαί μου, ὃν αὐτὸς ἠναγκάκειν ἐκείνῳ τὰ δίκαια ποιῆσαι; καὶ τὴν ἐγγύην αὐτὸν εἰσπράξας τὴν εἰς τὴν τράπεζαν πρὸς ἀπέχθειαν, τί προσεδόκων ὑπὸ τούτου αὐτὸς πείσεσθαι;* Dixit *οὐκ ἔστιν ὅπως αὐτὸς ἐμαυτὸν περιεῖδον ἄν*, quia, quum in re sumpta aliquid denuo sumitur, id non potest rem veram oppositam habere, sed refertur ad fictum quid. Quare hic non *ἀλλὰ περιεῖδον*, sed *ἀλλὰ περιεῖδον ἂν* oppositum est.

Quod supra dicebam, quum per figuram rhetoricam omittitur *ἄν*, verbum non posse non proprie de praeterito

tempore intelligi, ex eo cognoscere licet quid statuendum sit de Aristophanis loco in Eccles. 140.

καὶ νὴ Δία σπένδουσί γ' ἤ τίνος χάριν
τοσαῦτά γ' εὔχονθ', εἴπερ οἶνος μὴ παρῆν;

Audacius et temerius edidit Brunckius, ἤ τίνος ἂν χάριν τοσαῦτ' ἐπεύχοιντ'. Ald. τοσαῦτ' ἐπεύχονθ'. Ravennas τοσαῦτ' εὔχονθ'. Ex cod. Monac. apud Dobraeum adnotatum τοσαῦτ' ἔχονθ'. Patet vero, εὔχονθ' illud, si quis id εὔχοντο esse putat, nullo modo significare posse *precarentur*. Quare aut est εὔχονται, aut, si imperfectum est, scribi debet τοσαῦτ' ἂν εὔχονθ'.

Adiiciam his, ut non huc pertinere moneam, locum Aiacis v. 183.

οὔποτε γὰρ φρενόθεν γ' ἐπ' ἀρισερὰ,
παῖ Τελαμῶνος, ἔβας
τόσσον, ἐν ποιμναῖς πιτνών.

Blomfieldus ad Aeschyli Pers. 871. ἄν inserendum putabat. At illud non in hanc sententiam accipiendum est, *non ita insaniisses*, sed hoc modo interpretandum: *non enim a sana mente ita ad perversa aberrasti.*

Caeterum etiam Romanos constat eadem figura, qua Graeci uti consueverunt, in re praeterita indicativos pro coniunctivis usurpare. Satis habeo de plurimis unum afferre exemplum. Horatius Carm. II. 17, 28.

me truncus illapsus cerebro
sustulerat, nisi Faunus ictum
dextra levasset.

XIV.

De indicativo particula ἄν ironice omissa.

Denique alia ratio est orationis ironicae. Nam quum ironiae sit, contrarium dicere, quam intelligi debeat, non est obscurum, ea, quae sine ironia cum particula ἄν dicenda essent, si ironice dicuntur, carere debere particula.

Fit hoc autem ita, ut sublata conditione, cuius indicium est ἄν, incerta oratio in certam mutetur, eiusque contrarium intelligatur. Aristophanes Eccles. 772.

ἀλλ᾽ ἰδὼν ἐπειθόμην.

Male Brunckius edidit, ἀλλ᾽ ἰδὼν ἂν ἐπιθόμην. *Persuasisti, ubi videro.* Idem in Nubibus v. 1338.

ἐδιδαξάμην μέντοι σε νὴ Δί᾽, ὦ μέλε,
τοῖσιν δικαίοις ἀντιλέγειν, εἰ ταῦτά γε
μέλλεις μ᾽ ἀναπείσειν, ὡς δίκαιον καὶ καλὸν
τὸν πατέρα τύπτεσθ᾽ ἐστὶν ὑπὸ τῶν υἱέων.

Si sine ironia loquutus esset, dixisset οὐκ ἂν ἐδιδαξάμην σε. Aeschines p. 175. (368. §. 181.) ταχὺ γὰρ Τίμαρχον ἢ τὸν κίναιδον Δημοσθένην εἴασε πολιτεύεσθαι. Omnes hic libri omittunt ἄν, quod viri docti non magis debebant reponere, quam ταχύ, proprium orationis ironicae, in τάχα mutare. Bekkerus tamen ταχύ γ᾽ ἄν. Recte vero libri. Sine ironia diceret οὐκ ἂν εἴασε. Dinarchus in fine orationis in Aristogitonem: καίτοι, ὦ Ἀθηναῖοι, τί ἂν οἴεσθε ποιῆσαι ἐκείνους τοὺς ἄνδρας, λαβόντας ἢ στρατηγὸν ἢ ῥήτορα πολίτην ἑαυτῶν δῶρα δεχόμενον ἐπὶ τοῖς τῆς πατρίδος συμφέρουσιν, οἱ τὸν ἀλλότριον καὶ τῷ γένει καὶ τῇ φύσει τῆς Ἑλλάδος ἄνθρωπον οὕτω δικαίως καὶ σωφρόνως ἐξήλασαν ἐκ Πελοποννήσου πάσης; τοιγάρτοι τῆς πόλεως καὶ τῶν προγόνων ἀξίως ἐκινδύνευσαν πρὸς τὸν βάρβαρον. Postrema verba nisi ironice accipias, plane inepta sunt: sed cum ironia dicta eximiam vim habent. Voluit enim orator hoc dicere: *digne scilicet et civitate et maioribus periclitati erant adversus barbarum, si non in civem animadvertissent etiam severius.*

LIBER SECVNDVS.

I.

De modis verbi obliquis.

Dicendum nunc est de modis verbi obliquis, coniunctivo atque optativo, de quorum consociatione cum particulis ἄν et κέν alia ratione explicandum erit, quam qua in indicativo uti licebat. Indicativi enim natura et ratio quum omnibus aperta sit, statim, quae vis esset huius modi, si adderentur particulae istae, ostendi potuit, deinde autem de iis locutionibus dici, in quibus omissa videri posset particula. Coniunctivi vero atque optativi natura non ita omnibus nota atque perspecta est, ut hi modi quid sine particulis istis significent praeterire, ac statim de adiectione earum ad eos modos dicere possimus; immo ante omnia videndum erit, quam ipsi per se vim habeant, quo deinde, quid ad eam adiectio illarum particularum conferat, intelligi possit.

Repetenda hic paucis simulque confirmanda sunt, quae alibi explicatius disputavi. Vt indicativus veritatem facti, ita coniunctivus atque optativus ea, quae possunt fieri, significant: ita tamen, ut coniunctivus illa indicet, quae propter aliquam ipsarum rerum, de quibus sermo est, conditionem eveniant: unde totus ad experientiam refertur ex eaque pendet; optativus autem quae cogitabilia sunt significet: quo fit, ut etiam ea comprehendat, quae fieri nequeunt. Vterque modus, si rem severius expendimus, non potest per se solus stare, sed pendet ex alia parte orationis. Nam subtilior quam verior est Apollonii disputatio lib. III. de syntaxi c. 28. indicativum atque optativum ita dictos censentis, quod soli per se, alter esse aliquid, alter optari significent, coniunctivum autem inde nomen habere, quod, quum per se nihil significet, particula indigeat, cum qua coniungatur ex eaque pendeat.

At aut uterque modus per se solus plenam efficit sententiam, quum non minus *ἴωμεν*, quum *εὐτυχοίην* sine ullo alio verbo dicatur, aut neuter. Vtra verior ratio sit, hic nihil attinet quaeri. Satis est meminisse, utrumque modum esse assumptivum, sed altero cogitata sumi, qui est optativus; altero facta, quem coniunctivum vocamus. Atque in cogitatis non quaerimus eveniantne an non, quia scimus in sola cogitatione versari; quae autem ut facta sumimus, experientiae comprobatione indigent, ut verene an falso sumpta fuerint appareat.

Declarabimus haec exemplis. *Εἰ ἐγένετο, εἰ γίγνεται, εἰ γενήσεται* ad ea referuntur, quae vere evenerunt, eveniunt, eventura sunt. *Εἰ γένηται* vero est *si evenerit*, idque de eo dicitur, quod videbimus utrum eveniat, necne; *εἰ γένοιτο* autem, *si eveniat*, quod mente fingimus evenire, sive possit, sive nequeat. Apertum est, in indicativo veritatem facti ut exploratam respici; in coniunctivo rem sumi experientia comprobandam; in optativo veritatis rationem haberi nullam, sed cogitationem tantummodo indicari: ut si eadem distinctius velis atque explicatius dicere, haec habeas: in indicativo, *aut est, aut non est: sed nescio, sit, necne;* in coniunctivo, *aut est, aut non est; sed experientia docebit, sit, necne;* in optativo, *aut est aut non est: sed sumo esse, etiamsi non sit.* Iam si quaeris quid hi modi significent, quum verbum nudum ponitur, id etsi Latina lingua non nisi per ambages explicari potest, quod qui huius linguae coniunctivus vocatur, re vera optativus est, sed ille simul coniunctivi officio fungens: tamen huiusmodi esse apparet: *γίγνεται* est *fit*, de eo, quod fit vere: *γίγνηται*, *fieri reperiatur*, de eo, quod esse experientia cognoscendum sit; *γίγνοιτο*, *fiat*, *opinione cuiuspiam*, de eo, quod fieri quis cogitet, sive fiat, sive non fiat. Itaque indicativus est scientis, persuasique de veritate rei; coniunctivus debere quid fieri intelligentis, ac propterea exspectantis quid eveniat; optativus cogitantis quid fieri, sed neque an fiat, neque an possit fieri quaerentis. Ex his intelligi potest, qui factum sit, ut coniunctivus atque optativus,

quorumcumque temporum sint, tamen certum quoddam tempus sibi proprium habeant, ac propterea saepissime illorum temporum, quorum modi sunt, primariam significationem amittant. Et coniunctivo quidem ubique significatio adhaeret futuri. Nam indicat ille quidem fieri aliquid, factumve esse, sed ita indicat, ut exspectari postulet, donec experientia rem comprobet. Quod autem non aliter fieri censendum est, quam quum fieri cognoveris, id usque dum cognovisti, nondum pro facto haberi potest. Ita exempli caussa *γένηται*, etsi est praeteriti temporis coniunctivus, tamen, quia coniunctivus est, futuri temporis aliquam significationem habet, et quidem futuri exacti. Quoniam enim ad rem refertur, cuius veritas facto cognoscenda sit, illud quod ex ea re ut ex conditione sua pendet, non aliter ratum erit, quam cognita iam veritate rei istius, ex qua pendet: v. c. *καλόν τοι γλῶσσ᾽ ὅτῳ πίστις παρῇ*: *bona est dicendi facultas, si cui fides sit*, i. e. ut explicatius dicam, *laudanda est dicendi facultas in eo, in quo fidem esse repereris.* Sic etiam cum particulis finalibus. Nam *ἵνα γίγνηται*, *ἵνα γένηται* proprie significant, *ut fieri*, *ut factum esse reperiatur.*

Optativus autem natura sua praeditus est quadam praesentis notatione. Quum enim cogitationem alicuius indicet, cuiuscumque temporis optativus sit, praesentem intelligi postulat cogitationem eo tempore, in quod incidit illa, quam indicat, cogitatio. Ita tempore facti differunt *γένοιτο*, *γίγνοιτο*, *γενήσοιτο*, sed cogitatio haec, factum quid esse, vel fieri, vel futurum esse, ea praesens intelligitur eo tempore, de quo loqueris. Vt si de consilio cuiuspiam loquare, recte dices, *ὅπως γένοιτο*, sive *ἐποίησεν* addas, sive *ποιεῖ*, sive *ποιήσει.*

Hinc, ut id obiter adiiciam, apertum est, cur, si tempus illud respicis, quo adhuc futurus est eventus consilii, *ὅπως γένηται* dicatur: unde si, quod plerumque fit, tempus illud in mente habes, quo ipse loqueris, recte dices *ποιεῖ* et *ποιήσει*, *ὅπως γένηται*, *ἐποίησεν* autem, *ὅπως γένηται*, non aliter, nisi si nondum effectum est, quod quis volebat effici. Vbi autem tantummodo mentem et

consilium facientis, non etiam, an eventurum sit quod ille vult, indicare voles, omnibus temporibus adiungere licebit optativum ὅπως γένοιτο: sin vero de eventu loqueris, qui iam est effectus, neque respici vis illud tempus, quo nondum evenit, necessario dices ἐποίησεν, ὅπως γένοιτο, consilium solum significans. Nam si ὅπως γένηται dicerres, aut falsum diceres, si tempus, quo loqueris, in mente haberes: non enim amplius futurus est eventus, sed iam praeteriit: aut respiceres tempus illud, quo nondum evenerat: quod te nolle respicere sumpsimus.

II.

De coniunctivo pro futuro.

Explicabimus primo de coniunctivo. Qui modus etsi apud antiquissimos ita pro futuro usurpatus est, ut, si quis verbi Graeci naturam accuratius consideret, dubitare non possit, quin prior futuro exstiterit, idque ex ipso demum originem traxerit: tamen natura sua valde a futuro diversus est, neque quum pro eo positus dicitur, id sic est intelligendum, ac si eamdem, quam futurum, vim ac potestatem haberet. Repugnaret enim, in modo, qui non est indicativus, sed indicativo oppositus, eamdem vim inesse, quae est in indicativo, siquidem futurum aperte est indicativus. Coniunctivus igitur eo differt ab indicativo futuri, quod non potest per se solus intelligi, sed, ut ipsum nomen indicat, aliunde pendere debet. Id autem, unde pendet, quum plerumque additum inveniatur, tamen saepe etiam omittitur, quia saepe positum est in obscura cogitatione incertae alicuius caussae, ex qua quid prodituram sit. Isque est usus coniunctivi deliberativus, ut quum quis dicit ἴω, quod est, si plene dicere volemus, ἀμφιβητῶ, εἰ ἴω. Apte comparari potest duplex modus, quo id Germani dicimus, alter cum eadem ellipsi, qua Graeci, *gehe ich*, alter servata particula, et verbo tantum omisso, *ob ich gehe*. Ac veterrimi Graeci, nondum reperto futuro, quoniam quidquid futurum est, incertum est, quaerique de eo atque ambigi potest, eventurumne sit an non sit

eventurum, non habebant alium verbi modum, quo futura indicarent, quam hunc ipsum modum deliberativum. Itaque eo sunt usi, donec futuro invento, ubi quid simpliciter futurum dicere vellent, futuri formam usurpare coeperunt, coniunctivum autem ibi tantum servarunt, ubi aliqua deliberatio locum habere videretur. Ea vero illuc redit, ut per coniunctivum coniectura aliqua de eo, quod debeat fieri, indicetur. Vnde fere Germanice ista verbo *sollen* licet exprimere. Cuiusmodi nihil inest in ipso futuro. Ita Iliad. α. 262.

οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας οὐδὲ ἴδωμαι.

Si ὄψομαι dixisset, rem certam esse indicasset, *non videbo;* si ἰδοίμην, prodidisset opinionem suam, *non, opinor, videam.* Nunc coniunctivo usus, non esse significat, ut visurus sit, i. e. *non debeo videre*, sive mavis, *non reperiar videre.* Nos id accommodate ad Graeca dicemus, *noch soll ich sie sehen:* quo significamus, non exspectandum id esse. Iliad. ζ. 459. (479. η. 87. Od. ζ. 275.)

καί ποτέ τις εἴπῃσι.

Non *dicet aliquis*, neque *dicat opinor*, ut si ἐρεῖ vel εἴποι dixisset, sed, *exspectandum est, ut quis dicat: da soll wohl einer sagen.* Odyss. π. 437.

οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνήρ, οὐδ' ἔσσεται, οὐδὲ γένηται.

Non est, neque erit, neque fuisse reperiatur: es ist keiner, noch wird einer seyn, noch soll wohl einer gewesen seyn. Nam si explicatius vim coniunctivi declarari voles, haec erit, non esse exspectandum, ut fuisse aliquem reperias. Videtur autem hoc quidem in loco γένηται sic dictum esse, ut propriam aoristi significationem habeat. Sed in his Od. ζ. 201.

οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ διερὸς βροτός, οὐδὲ γένηται,
ὅς κεν Φαιήκων ἀνδρῶν ἐς γαῖαν ἵκηται
δηϊοτῆτα φέρων,

et μ. 191.

ἴδμεν δ', ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ,

sic intelligi praestat, ut tantummodo ad futura spectet. Alia qui desideret coniunctivorum huiusmodi exempla, conferat Iliad. *o.* 350. Od. *μ.* 391.

III.

De particulis ἄν et κέν cum coniunctivo apud epicos.

Epici veteres, quos iam supra in indicativi explicatione vidimus liberius uti particulis ἄν et κέν, etiam coniunctivo eas non tam certa ratione addiderunt, quam quae recentiore usu stabilita est. Nam hae particulae quum, ut supra ostendimus, aliquam fortuiti notionem verbo addant, ubicumque ei notioni locus esset, adiicere eas epici non dubitarunt. Est autem coniunctivus is modus, qui natura facillime eam adiectionem admittat, ut qui ad id referatur, quod experientia cognoscendum sit: id autem eo ipso fortuitum est. Itaque primo ubi coniunctivus pro futuro positus est, (licebit enim ita loqui brevitatis caussa, postquam ostendimus, quomodo differat a futuro) saepe adiectae inveniuntur particulae istae, forte quid futurum esse indicantes: Iliad. *α.* 205.

ἧς ὑπεροπλίῃσι τάχ' ἄν ποτε θυμὸν ὀλέσσῃ.

Nos id diceremus: *durch seinen übermuth soll er wohl noch das leben verlieren.* λ. 433.

ἤ κεν ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ τυπεὶς ἄπο θυμὸν ὀλέσσῃ.

Vide *α.* 137. 184. 324. *β.* 488. (Od. *δ.* 240.) *γ.* 54. 417. λ. 387. *ξ.* 235. *π.* 129. *χ.* 505. *ψ.* 559. Od. *α.* 396. *δ.* 692. *κ.* 507. *ρ.* 418. *χ.* 325. 350. Hinc tenui discrimine saepe coniunctivus et optativus iunguntur, ut Iliad. *σ.* 307.

ἀλλὰ μάλ' ἄντην
στήσομαι, ἤ κε φέρῃσι μέγα κλέος, ἤ κε φεροίμην.

i. e. *utrum ille forte reperiatur vincere, an ego forte vincere possim.* De hoc genere dixi in diss. I. de legg.

quib. subtil. serm. Hom. p. 12. s. Et sic saepe cum particula *εἰ*, *an* significante: v. ibidem p. 14. seq.

Quum particulae ἄν et κέν Homeri aevo liberius usurparentur, necdum ubique certis formulis ut necessariae adstrictae essent, non est mirum, constructiones quasdam, quae apud sequiores quasi legitimas habent istas particulas, apud Homerum saepenumero illis carere. Ita ille coniunctivo sine ἄν iungit ὅτε Iliad. δ. 259. ξ. 522. (de quo loco vide diss. modo citatam p. 11.) ο. 207. π. 54. (de quo loco v. ibid. p. 7.) 690. τ. 183. 337. φ. 199. 323. χ. 74. ω. 369. Odyss. ζ. 183. η. 72. κ. 486. ξ. 60. ο. 408. π. 72. σ. 133. φ. 133. ὁπότε Iliad. α. 163. ι. 646. ν. 271. ο. 359. π. 53. 245. ρ. 98. τ. 201. φ. 112. Od. δ. 650. ξ. 170. π. 268. ρ. 471. τ. 168. ψ. 257. ἦμος Od. δ. 400. ubi male etiam recentissima Wolfii editio indicativum habet; ὅπῃ Od. ϑ. 45. ο. 452. ὁππόσε ξ. 139. ὅππως, *quemadmodum*, Iliad. ψ. 324. Od. α. 349. πρὶν Iliad. σ. 190. Od. κ. 175. ν. 336. ρ. 9. ἐπεὶ Od. υ. 85. ubi male ex cod. Harl. futurum repositum est; ἐπειδὴ Iliad. π. 473. ὄφρα *quamdiu*, Iliad. δ. 346. ψ. 47. Od. σ. 130. εἰ Iliad. α. 340. δ. 261. ε. 258. κ. 225. 346. μ. 223. χ. 86. Od. α. 188. 204. ε. 221. 470. η. 204. μ. 96. 348. ξ. 373. π. 98. 116. ὅς et ὅστις Iliad. α. 230. 543. ε. 407. 747. ϑ. 391. 408. 422. ι. 117. 508. 592. ξ. 81. ο. 491. 492. τ. 265. υ. 363. ψ. 319. Odyss. α. 101. 415. γ. 320. δ. 207. 357. ε. 448. η. 74. 161. 210. 547. κ. 39. λ. 427. μ. 66. ν. 214. ξ. 85. 106. ο. 400. π. 76. 228. σ. 275. τ. 329. ἄσσα Iliad. α. 554. ὁπότερος Iliad. γ. 71. 92. οἷος Od. σ. 136. ὅσσα Od. μ. 191.

Eadem vero omnia vocabula etiam cum particulis ἄν et κέν iungit Homerus, exempli caussa ὄφρα, *dum*, vel *usque dum*, vel *quamdiu*, Iliad. α. 509. ζ. 113. η. 193. ϑ. 375. κ. 325. 444. σ. 409. τ. 190. υ. 24. φ. 558. χ. 387. ω. 553. ubi κῆται scribendum; Odyss. β. 124. 204. γ. 353. δ. 588. ζ. 304. η. 319. ϑ. 147. μ. 52. ν. 412. τ. 17. 45. χ. 377. et ubi *ut* significat, Iliad. χ. 382. Od. γ. 359. δ. 294. κ. 298. π. 234. ρ. 10. σ. 182. 363. ψ. 254. ubi reponendum κέν. Atque hic quidem usus quum postea

ut legitimus obtinuerit, non opus foret aliquid de eo adiicere, nisi in aliquot locis Homeri singularis quaedam et ab recentiore consuetudine diversa ratio deprehenderetur. Ac primo recentiores non dicunt divisim *εἰ ἄν*, sed *ἤν*. Epici autem *εἴκε* saepissime, pro quo Dorienses *αἴκα* usurpant; tum etiam *εἰ ἄν*, sed hoc quidem non nisi interposita aliqua voce, quod in particulis *εἴ κε* non necessarium est. Iliad. *γ*. 288.

εἰ δ' ἂν ἐμοὶ τιμὴν Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες
τίνειν οὐκ ἐθέλωσιν.

Deinde quum satis constet, apud recentiores pronomina et quae his similia sunt vocabula, ut *ὅς*, *ὅστις*, *οἷος*, *ὅσος*, *ὁπότερος*, cum *ἄν* et coniunctivo consociata, futuri exacti significationem habere, secus id est apud veteres epicos, ut hi eam constructionem etiam finali significatu admiserint: quale hoc est Iliad. *δ*. 190.

ἕλκος δ' ἰητῆρ ἐπιμάσσεται, ἠδ' ἐπιθήσει
φάρμαχ', ἃ κεν παύσῃσι μελαινάων ὀδυνάων·

i. e. *quae leniant dolores:* quod recentior sermo vel *ἃ παύσει*, vel *ἃ παύσειεν ἄν* dixit. Apud Eurip. Suppl. 451. male Ald. *ὃς* pro *ὡς*. Exempla huius generis cum *ὅςκεν* exstant Iliad. *η*. 171. *ι*. 165. 424. *φ*. 103. *ψ*. 345. *ω*. 119. (147. 176. 196.) Od. *β*. 192. 213. *δ*. 756. *ζ*. 37. 202. *ι*. 356. *κ*. 288. 539. *λ*. 134. (*ψ*. 282.) *ν*. 400. *ο*. 311. 518. *π*. 349. *ρ*. 385. *σ*. 85. cum *ὁππότερός κεν* Iliad. *χ*. 130. *ψ*. 805. cum *αἴκεν* Od. *ο*. 312. *χ*. 7. atque alibi, ut Iliad. *ε*. 279. *η*. 243. Omisso autem *κὲν* ita *ὅς* vel *ὅστις* Iliad. *β*. 233. *γ*. 287. Od. *σ*. 334. et *ὁππότερος* Iliad. *ε*. 33. Neque tamen Homerus alteram rationem adspernatur, quae optativum requirit: de qua re dicetur, ubi ad optativum pervenerimus. Rarius futuro utitur, ut Od. *ξ*. 331. (*τ*. 288.)

ὤμοσε δὲ πρὸς ἔμ' αὐτόν, ἀποσπένδων ἐνὶ οἴκῳ,
νῆα κατειρύσθαι καὶ ἑπαρτέας ἔμμεν ἑταίρους,
οἵ δή μιν πέμψουσι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.

Et cum particula κέν Iliad. β. 229.

ἦ ἔτι καὶ χρυσοῦ ἐπιδεύεαι, ὄν κέ τις οἴσει.

κ. 43.

χρεὼ βουλῆς ἐμὲ καὶ σέ, διοτρεφές, ὦ Μενέλαε,
κερδαλέης, ἥτις κεν ἐρύσσεται ἠδὲ σαώσει
Ἀργείους καὶ νῆας.

φ. 586.

ἐν γάρ οἱ πολέες τε καὶ ἄλκιμοι ἀνέρες ἐσμέν,
οἵ κεν πρόσθε φίλων τοκέων ἀλόχων τε καὶ υἱέων
Ἴλιον εἰρυόμεσθα.

ψ. 674.

κηδεμόνες δέ οἱ ἐνθάδ' ἀολλέες αὖθι μενόντων,
οἵ κε μιν ἐξοίσουσιν, ἐμῆς ὑπὸ χερσὶ δαμέντα.

Sed Odyss. α. 403. non recte legi videtur,

μὴ γὰρ ὅγ' ἔλθοι ἀνήρ, ὅστις σ' ἀέκοντα βίηφι
κτήματ' ἀποῤῥαίσει, Ἰθάκης ἔτι ναιεταώσης.

Nam propter praegressum optativum scribendum est ἀποῤῥαίσει.

Cave vero putes, si multis in locis aeque futuro ac coniunctivo locus est, vel particula ἄν utrum addatur an non addatur, parum refert, nihil discriminis esse inter has loquendi rationes. Nam differunt sane, sed saepe non multum interest, hoc an illo modo loquare. Vbi vero aliquid interest, facile videas, quid differant. Indicat enim futurum ea, quae simpliciter ut futura commemoramus, quibus si additur ἄν vel κέν, haud certo futura significamus. Coniunctivus autem usurpatur, ubi experientiae comprobatio respicitur, in quo genere potest addi ἄν vel κέν, si vocabulum, cui adiicitur, conditionem aliquam rei fortuitae admittit. Ita illud Iliad. ε. 407.

ὅττι μάλ' οὐ δηναιός, ὃς ἀθανάτοισι μάχηται,

nemo non videt, etiam addito ἄν dici potuisse. Sed est

tamen aliquid discriminis. Nam sine particula hic sensus est: *is, qui cum immortalibus pugnaverit;* addita autem, *quicumque pugnaverit.* Itaque quod legitur Iliad. β. 292.

καὶ γάρ τίς θ' ἕνα μῆνα μένων ἀπὸ ἧς ἀλόχοιο
ἀσχαλάᾳ σὺν νηῒ πολυζύγῳ, ὅτε ἄελλαι
χειμέριαι εἰλέωσιν, ὀρινομένη τε θάλασσα,

vix commode dici potuit, *ὅν κεν ἄελλαι εἰλέωσιν*, si quidem iam satis indicatum est praecedentibus verbis, de aliquo certo homine, qui integrum mensem domo absit, cogitandum esse. Sed si inverteris, *ὅν κεν ἄελλαι εἰλέωσιν, καὶ ἕνα μῆνα μένων ἀσχαλάᾳ*, recte addita erit particula: *quemcumque procellae retinuerint, etiam si unum mensem domo absit, aegre fert.* Quodsi, ut vulgo, *ἥντερ* scribas, nullo modo addici potuit *ἄν*. Iam enim non quaecumque navis sed illa intelligi debebit, quae hunc hominem vehit. Alio modo, sed simili tamen, illud comparatum est, Od. θ. 147.

οὐ μὲν γὰρ μεῖζον κλέος ἀνέρος, ὄφρα κεν ἧσιν,
ἢ ὅ τι ποσσίν τε ῥέξῃ καὶ χερσὶν ἑῇσιν.

Nam ut, quodcumque quis roboris documentum edat, laudem ei afferat, tamen non hoc dici hic debuit, sed illud: *non ulla maior est hominis gloria, quam ex eo, quod pedibus manibusque effecerit.* Caeterum si *ῥέξει* hoc loco cum aliis praeferas, sensus erit, *quam quod robore corporis efficiet.* Itaque accurate ex epicorum usu scripsit Moschus in Epitaph. Bion. 109.

ἄμμες δ' οἱ μεγάλοι καὶ καρτεροὶ ἢ σοφοὶ ἄνδρες,
ὁππόκα πρᾶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ
εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον.

Non enim *quandocumque mortui erimus*, sed *quando*, dicere voluit.

Interest autem etiam aliquid inter futurum et optativum. Vide haec Od. ε. 33.

ἀλλ' ὅγ' ἐπὶ σχεδίης πολυδέσμου πήματα πάσχων,

ἤματί κ' εἰκοστῷ Σχερίην ἐρίβωλον ἵκοιτο,
Φαιήκων ἐς γαῖαν, οἳ ἀγχίθεοι γεγάασιν·
οἵ κέν μιν περὶ κῆρι θεὸν ὣς τιμήσουσιν,
πέμψουσιν δ' ἐν νηῒ φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.

Et ξ. 331. (τ. 288.)

ὤμοσε δὲ πρὸς ἔμ' αὐτόν, ἀποσπένδων ἐνὶ οἴκῳ,
νῆα κατειρύσθαι, καὶ ἑπαρτέας ἔμμεν' ἑταίρους,
οἵ δή μιν πέμψουσι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.

Sed ε. 141.

οὐ γάρ μοι πάρα νῆες ἐπήρετμοι καὶ ἑταῖροι,
οἵ κέν μιν πέμποιεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης.

Nam in superioribus locis de eo loquitur, quod sit futurum; hic autem de eo, quod non sit futurum, sed posset fieri, si adesset navis. Itaque hic futuro non recte usus esset: illis autem in locis, etsi optativo uti potuit, tamen convenientius erat, futurum poni. Non ita apte coniunctivum posuisset, quo significasset, *qui eum debeant deducere.*

Sed dicendum hic est de singulari genere loquendi, quod invenitur Odyss. κ. 532.

δὴ τότ' ἔπειθ' ἑτάροισιν ἐποτρῦναι καὶ ἀνῶξαι,
μῆλα, τὰ δὴ κατέκειτ' ἐσφαγμένα νηλεῖ χαλκῷ,
δείραντας κατακεῖαι, ἐπεύξασθαι δὲ θεοῖσιν.

Nondum enim mactatae erant oves, sed exponit Circe, quid faciendum iis sit, ubi mactatae fuerint. Itaque quis non exspectet coniunctivum, eumque sine particula ἄν, quia nihil hic incerti est, neque quaecumque oves, sed illae ipsae, quas antea mactari iusserat, intelligi debent? Nihilominus recte indicativo praeteriti usus est. Non abhorret enim ab usu Graecorum, quum quid fingunt, et deinde quid porro futurum sit addunt, ficta illa per indicativum praeteriti, tamquam si vere iam accidissent, commemorare. Fingit hic Circe, mactatas esse oves, ut iusserat. Itaque quod dicit, si explicatius indicare voles,

hoc est: *iacebant nobis mactatae oves:* i. e. *dicebamus de mactatis ovibus: eas oves combure.* Similiter Demosth. de Haloneso p. 77, 19. *εἰ γὰρ ταῦτα συγχωρήσετε, τί κωλύει, καὶ εἴ τινα τῆς Ἀττικῆς λῃσταὶ τόπον καταλάβοιεν, ἢ Λήμνου, ἢ Ἴμβρου, ἢ Σκύρου, καί τινες τούτους τοὺς λῃστὰς ἐκκόψαιεν, εὐθὺς καὶ τὸν τόπον τοῦτον, οὗ ἦσαν οἱ λῃσταί, τὸν ὄντα ἡμέτερον, τῶν τιμωρησαμένων τοὺς λῃστὰς γίγνεσθαι;*

IV.

De coniunctivi usu deliberativo apud recentiores.

Recentiorem usum quum dico, eum intelligi volo, qui quum per prosae orationis scriptores lingua Graeca ad certiorem dicendi rationem revocata esset, obtinere coepit. Is quum fere etiam poesin omnem, praeter epicam, invasisset, complectitur scriptores omnes, qui incorrupta lingua Graeca scripserunt, exceptis epicis. Nam quum eo tempore, quo Homerus atque Hesiodus et quos illi auctores habuerunt, carmina sua condidere, ex coniunctivo paullatim futurum enasceretur, fieri non potuit, quin epica oratio liberius adhuc coniunctivo uteretur, etsi iam Homeri et Hesiodi aevo satis accurate hos verbi modos distinguens. De ea distinctione supra dictum. Recentiores vero coniunctivi usum magis etiam coangustarunt, ita ut ei extra sententias finales et conditionales solam deliberandi et adhortandi vim relinquerent, in sententiis conditionalibus autem solam admitterent futuri exacti, sive mavis rei experientia comprobandae significationem.

Et deliberativus quidem coniunctivi usus in interrogationibus maxime cernitur: Od. ε. 299.

ὤ μοι ἐγὼ δειλός, τί νύ μοι μήκιστα γένηται;

et 465.

ὤ μοὶ ἐγώ, τί πάθω; τί νύ μοι μήκιστα γένηται;

Apud Atticos haec frequentissima sunt, ut *τί φῶ;* Euripides Hec. 1057.

πᾷ βῶ; πᾷ στῶ; πᾷ κέλσω;

Aristoph. Ran. 1.

εἴπω τι τῶν εἰωθότων;

Patet huiusmodi orationem ellipticam esse, ut intelligatur *nescio* aut *nescio an*, vel simile quid. Quare si hoc genus in obliqua interrogatione usurpatur, nihil differt ab recta interrogatione, ut quam re vera ipsam quoque obliquam putare oporteat. Deliberare autem quid faciendum sit, et in nostris rebus et in alienis possumus. Vnde hic coniunctivus omnium personarum est. Vt quod apud Euripidem est in Oreste 779.

ἀλλὰ δῆτ' ἔλθω;

si de alio, qui mittendus esset, loqueretur Orestes, recte diceret, *ἀλλὰ δῆτ' ἔλθῃ*; Non minus recte, si Pylades, quicum loquitur, esset mittendus, huic diceret, *ἀλλὰ δῆτ' ἔλθῃς;* Demosthenes de cor. p. 268, 27. *ἤδη δ' ἐπὶ ταῦτα πορεύσομαι, τοσοῦτον αὐτὸν ἐρωτήσας· πότερόν σέ τις, Αἰσχίνη, τῆς πόλεως ἐχθρὸν ἢ ἐμὸν εἶναι φῇ;* Idem in Androt. p. 613, 3. *εἶτα ταῦθ' οὗτοι πεισθῶσιν ὑπὲρ αὑτῶν σε ποιεῖν, καὶ τὰ τῆς σῆς ἀναισθησίας καὶ πονηρίας ἔργα ἐφ' ἑαυτοὺς ἀποδέξωνται;* Sed quod apud Euripidem legitur, Herc. fur. 1417.

πῶς οὖν ἔτ' εἴπῃς ὅτι συνέσταλμαι κακοῖς,

vereor ut potuerit pro *μηκέτ' οὖν εἴπῃς* dici, ut potius scribendum videatur *πῶς οὖν ἐνίπτεις.* Non ita in coniunctivo adhortativo, quamquam is proprie nihil aliud, quam deliberativus est. Cur vero? Nempe ob id ipsum, quia proprie est deliberativus. Nam nosmetipsos quid facere oporteat quum deliberamus, in eo sumus, ut id faciamus: quo fit, ut hic deliberativus coniunctivus adhortationi adhibeatur: quum vero deliberamus, quid alios facere conveniat, nihil illud ad illorum voluntatem perti-

net. Non enim illi deliberant, sed nos. Omnis enim deliberatio eo tendit, ut is ipse, qui deliberat, capiat consilium. Qui si alios hoc verbo, quo sese deliberare significat, alloquitur, tantum abest ut eos ad faciendum exhortetur, ut nondum an eos exhortari debeat sibi constare indicet. Fac enim aliquem, qui alios ire velit, dicere ἴωσιν· quid dicet aliud, quam, *ego delibero an illos mittam*, i. e. πέμψω; At num ita hos iusserit ire? Minime. Sed de se ipso si dicit ἴω, aut de iis, quorum ipse unus est, ἴωμεν, recte dicet illud, quia in ipsius voluntate positum est, exsequi id, de quo deliberat. Eaque re factum est, ut coniunctivus ille deliberativus, ubi primae personae est, ita usurpari possit, ut vim habere videatur exhortandi, quam revera non inesse in eo, sed proprie nihil nisi deliberationem contineri, illud ostendit, quod saepe cohortandi verbum adiicitur: ut φέρ᾽ ἴδω, et alia huiusmodi plurima apud Aristophanem aliosque. Homerus:

ἀλλ᾽ ἄγε δὴ τὰ χρήματ᾽ ἀριθμήσω καὶ ἴδωμαι.
ἀλλ᾽ ἄγε δὴ στέωμεν καὶ ἀλεξώμεσθα μένοντες.

Id ergo omissum potius censendum est, ubi solus positus est coniunctivus, quam hic putandus revera exhortandi potestatem habere. Rarus hic in singularis numeri prima persona coniunctivus est, non addito φέρε aut ἄγε. Euripides Heracl. 558.

σαφῶς κελεύεις· μὴ τρέσῃς μιάσματος
τούμοῦ μετασχεῖν, ἀλλ᾽ ἐλευθέρως θάνω.

Vt non esse videatur, quare παρέλθω δόμους in Medea v. 1275. cum Elmsleio, cui is est v. 1242. interrogative dictum putetur. Rarius etiam, addito quidem φέρε, alia persona in primae locum substituitur, ut in Philocteta v. 300.

φέρ᾽, ὦ τέκνον, νῦν καὶ τὸ τῆς νήσου μάθῃς.

Correctoris est μάθε in cod. Ven. Sensus est enim, φέρε εἴπω νῦν τὰ τῆς νήσου. Caeterum patet hic usus con-

iunctivi deliberativi aliquanto latius, ut cuivis imperativo subiiciatur. Iliad. ζ. 340.

ἀλλ' ἄγε νῦν ἐπίμεινον, ἀρήϊα τείχεα δύω.

ψ. 71.

θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἄϊδαο περήσω.

Attigi haec in diss. de ellipsi et pleonasmo p. 182. Exempla bene multa congessit Elmsleius ad Heracl. 559. et ad Medeam v. 1242.

Deliberativo coniunctivo in obliquis interrogationibus et dubitationibus vix ullus scriptor saepius usus est quam Herodotus. I. 75. ἔς τε τὰ χρηστήρια ἔπεμπε, εἰ στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας. Vide II. 52. IV. 9. VI. 35. ubi ποιέῃ reponendum; et cum ὅστις IV. 156. V. 42. ubi vera scriptura est ἴῃ; IX. 98. et cum ὁκότερος I. 159. et 206. ubi ποιέῃ legendum; VI. 52. VIII. 101. Coniunxit utrumque modum, coniunctivum et optativum, I. 53. τοῖσι δὲ ἄγειν μέλλουσι τῶν Λυδῶν ταῦτα τὰ δῶρα ἐς τὰ ἱρά, ἐνέτελλετο ὁ Κροῖσος ἐπειρωτᾶν τὰ χρηστήρια, εἰ στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας Κροῖσος, καὶ εἴ τινα στρατὸν ἀνδρῶν προσθέοιτο φίλον. Et mox legati haec repetunt: καὶ νῦν ὑμέας ἐπειρωτᾷ, εἰ στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας, καὶ εἴ τινα στρατὸν ἀνδρῶν προσθέοιτο σύμμαχον. Cave utriusque modi eamdem putes vim esse. Neque vero optativus, ut cui non sit ἄν additum, significare poterit, *an posset sibi socios adiungere.* Sed hoc dicit: *an deberet expeditionem adversus Persas facere, et an censerent oracula socios adiungi.* Nam diversa haec sunt: primo interrogat an debeat proficisci, quae ipsius est deliberatio; deinde, si debeat, an oracula id se velint cum sociis facere, quod nihil est aliud, quam, an sinerent, idque est ex oraculorum mente dictum. Id apparet ex V. 67. τοῦτον ἐπεθύμησε ὁ Κλεισθένης ἐόντα Ἀργεῖον ἐκβαλεῖν ἐκ τῆς χώρης. ἐλθὼν δὲ ἐς Δελφούς, ἐχρηστηριάζετο εἰ ἐκβάλοι τὸν Ἄδρηστον. Aperte hic non interrogat, an debeat eiicere Adrastum, sed an velit eum Apollo eiici, i. e. an non refragetur. Eodem modo illud intelligendum

est VIII. 67. *ὡς δὲ κόσμῳ ἐπεξῆς ἴζοντο, πέμψας Ξέρξης Μαρδόνιον, εἰρώτα, ἀποπειρώμενος ἑκάστου, εἰ ναυμαχίην ποιέοιτο.* Haec quum minus accurate discerneret Werferus in Actis Monac. vol. I. p. 230. seqq. fieri non potuit, quin corrigi vellet, quae minime indigent correctione. Demosthenes in Mid. p. 525, 19. *εἴ τις οὖν κἀκείνοις τοῖς προϋπάρχουσι νόμοις, καὶ τούτῳ τῷ μετ' ἐκείνους τεθέντι καὶ πᾶσι τοῖς λοιποῖς ἔστ' ἔνοχος, ὁ τοιοῦτος πότερα μὴ δῷ διὰ τοῦτο δίκην, ἢ μείζω δοίη δικαίως; ἐγὼ μὲν οἶμαι μείζω.* Accurate distinxit modos, ut non debuerit Bekkerus Spaldingio assentiri, *ἂν* optativo adiiciendum censenti. Nam quum id agat orator, ut ostendat poena dignum esse Midiam, refutat eos, qui illum forte absoluturi sint. Itaque *πότερα μὴ δῷ δίκην* dicit: *utrumne ille non debet poenas dare?* Debet vero. Deinde autem affert aliquid, quod non vult fieri, sed quod eo tantum fine adiicit, ut illam priorem sententiam exaggerando corroboret: *an censebitis maiore potius poena dignum esse?* Hoc vero per optativum debuit dicere, quia non est illud, quod nunc oportere ait, sed quod oporteret, si in ipsius potestate esset illum punire. Itaque censendum quidem ita putat, maiore illum poena dignum esse, sed non contendit debere etiam affici poena maiore. Placet exemplum secundae personae adiicere, quod haec rarius invenitur. Oraculum apud schol. Aristoph. Eq. 1089. et Suidam in v. *Ἀρχίας*:

ἦλθετ' ἐρησόμενοι Φοῖβον, τίνα γαῖαν ἵκησθε.

Operae pretium est hic observare, etsi inter coniunctivum atque indicativum futuri multum interest, tamen pro affinitate, quae est inter hos modos, saepe futurum usurpari, ubi putes coniunctivo potius utendum fuisse. Et ubi quidem non quid debeat fieri, sed quid futurum sit, quaeritur, nemo non videt, necessario futurum requiri, ut apud Herodotum I. 86. *βουλόμενος εἰδέναι, εἴ τίς μιν δαιμόνων ῥύσεται τοῦ μὴ ζῶντα κατακαυθῆναι.* Aliter apud eumdem VIII. 36. *ἐν δείματι δὲ μεγάλῳ καθεστεῶτες, ἐμαντεύοντο περὶ τῶν ἱρῶν χρημάτων, εἴτε σφέα κατὰ*

γῆς κατορύξουσι, εἴτε ἐκκομίσουσι ἐς ἄλλην χώρην. Sed apud Demosthenem in Euerg. et Mnesib. p. 1160, 9. ἀκούσαντες δέ μου οἱ ἐξηγηταὶ ταῦτα, ἤροντό με, πότερον ἐξηγήσωνταί μοι μόνον, ἢ καὶ συμβουλεύσωσιν. Ita quidem Reiskius cum cod. Bav. et Bekkerus, apud quem duo codd. ut vulgo ἐξηγήσονται, sicut in Herodoti loco aliquot codd. coniunctivos praebent. Mihi quidem et apud Herodotum uterque coniunctivus, et apud Demosthenem ἐξηγήσονται probatur. Etenim, si quid video, alia est futuri in huiusmodi quoque locis significatio, quam aut coniunctivi, aut optativi. Nam si coniunctivus de eo, quod oportet; optativus autem de eo, quod quis censeat faciendum esse, usurpatur: futurum ad ea videtur referri, in quibus neque an debeant fieri, neque an censeat quis futura esse, sed simpliciter an sint futura quaeritur, i. e. an, si quis ea faciat, effectum daturus sit, id quod fere idem est atque an liceat facere. Itaque et apud Herodotum recte se habebunt indicativi et in Demosthenis loco apte legetur ἐξηγήσονται, *interrogabant, utrum interpretari tantum liceret, an deberent etiam consilium dare.* Apparet vero, id etiam Latine recte dici per futurum: *utrum tantummodo interpretaturi essent.* Confirmat hanc explicationem quum illud apud Herodotum VI. 86, 3. ἐπειρωτῶντα δὲ αὐτόν, εἰ ὅρκῳ τὰ χρήματα λήϊσεται, ἡ Πυθίη μετέρχεται τοῖσδε τοῖσι ἔπεσι: quo in loco manifestum est, non de eo, quid oporteat, sed quid liceat, sermonem esse, ut non debuerit Werferus in Act. Mon. I. p. 234. de coniunctivo reponendo cogitare; tum plura apud Thucydidem exempla, quae habes apud Popponem vol. I. 1. p. 137. Confirmat etiam similis indicativi praesentis usus. Nam illud quidem per se intelligitur, ubi, an sit aliquid, quaeritur, necessario eum verbi modum requiri, ut apud Herodotum IX. 16. ὡς δὲ ἀπὸ δείπνου ἔσαν, διαπινόντων, τὸν Πέρσην τὸν ὁμόκλινον, Ἑλλάδα γλῶσσαν ἱέντα, εἴρεσθαι αὐτόν, ὁποδαπός ἐστι· sed aliquantum ab hoc differt illud eiusdem V. 43. ὁ δέ, ἀκούσας ταῦτα, ἐς Δελφοὺς οἴχετο χρησόμενος τῷ χρηστηρίῳ, εἰ αἱρέει ἐπ' ἣν στέλλεται χώρην· ἡ δὲ Πυθίη οἱ χρᾷ αἱρήσειν. Hinc

licebit etiam de his verbis eiusdem scriptoris V. 82. iudicare: *περὶ ταύτης ὧν τῆς συμφορῆς οἱ Ἐπιδαύριοι ἐχρέωντο ἐν Δελφοῖσι· ἡ δὲ Πυθίη σφέας ἐκέλευε Λαμίης τε καὶ Αὐξησίης ἀγάλματα ἱδρύσασθαι, καί σφι ἱδρυσαμένοισι ἄμεινον συνοίσεσθαι· ἐπειρώτεον ὧν οἱ Ἐπιδαύριοι, κότερα χαλκοῦ ποιέονται τὰ ἀγάλματα, ἢ λίθου.* Valckenarius hic *ποιέωνται* scribendum putabat, cui adstipulatus est Werferus in Act. Monac. I. p. 231. seq. et quis non facile adducatur, ut in eamdem sententiam concedat? Et tamen, nisi fallor, recte tuentur libri indicativum, non quod non licuerit uti coniunctivo: nam debuit ille etiam poni, si quaerebatur, ex qua materia oporteret statuas illas fieri: sed quod eo non opus erat. Nam quum iam certum esset, debere poni statuas, satis erat ita quaeri: *quas ponimus statuas facimusne aereas an lapideas?* Vide alia similia apud Werferum l. l. p. 232. seqq.

V.

De ἄν cum coniunctivo deliberativo.

Iam sive deliberationi sive exhortationi inserviat coniunctivus, carere eum particula *ἄν* viri docti observarunt. Vide, quos commemoravit Matthiae in Gr. gr. §. 515. 2. not. 1. in primis Schaeferum in Meletem. cr. p. 97. seqq. Sed caussam, cur ita sit, nemo explicuit. Dictum est supra, particulas *ἄν* et *κἐν* conditionem significare. Iam quemadmodum in indicativo *ἔλεγεν ἄν* vidimus idem esse, quod *ἔλεγεν, εἰ ἔλεγεν*, ita eadem in caeteris modis ratio obtinet. Quodsi vel deliberandi vel adhortandi caussa diceres, *λέγωμεν ἄν*, nihil id aliud foret, quam *λέγωμεν, εἰ λέγωμεν.* Vide vero, quid hoc sit. Nihil profecto aliud, quam *debeamus dicere, si debeamus*, vel brevius, *debeam forte dicere.* At ita rem fortuitam habes, quae fieri debeat, si fors ita ferat, ut in Homerico illo,

εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι.

At ubi deliberas, non quid forte debeas, i. e. quid debeas,

si debeas, sed debeasne, quaeris. Itaque particula conditionalis ἄν abesse debet. Eadem in adhortando ratio est.

Quod sicubi huiusmodi coniunctivis additum invenitur ἄν, aut ad aliam vocem pertinet, ut ad participium apud Pseudodemosthenem in Erotico p. 1404, 14. ᾧ τίν' ἂν ἁρμόττουσαν εἰκόνα ἐνέγκω σκοπῶν οὐχ ὁρῶ; vel ad infinitivum ut apud Platonem de Legg. II. p. 655. C. τί ποτ' ἂν οὖν λέγωμεν τὸ πεπλανηκὸς ἡμᾶς εἶναι; aut mendum subest, ut in Critone Platonis p. 50. C. quem locum Matthiae §. 516. affert, τί οὖν ἂν εἴπωσιν οἱ νόμοι: pridem enim recte editum erat, τί οὖν, ἂν εἴπωσιν οἱ νόμοι: *quid vero, si leges dicant?* vel in Phaedro p. 231. D. et in Philebo p. 15. C. qui loci nunc ex codd. correcti sunt; vel apud Strabonem p. 679. ed. Cas. (997. C. Alm. T. V. p. 726. Tzschuck.) τίν' ἂν λάβωσι τάξιν; ubi ex Schaeferi sententia ad Soph. Oed. Col. 1418. cum codd. quibusdam ἄν delendum. Idem Schaeferus in Melet. cr. p. 98. s. iure improbat Stephani lectionem apud Sophoclem in Trach. 949.

πότερα πρότερ' ἂν ἐπιστένω;

Gravius vitium latet apud Platonem in Protagora p. 319. B. ubi conveniunt libri omnes in hac scriptura: σοὶ δὲ λέγοντι οὐκ ἔχω ὅπως ἂν ἀπιστῶ. Neque enim quidquam proficias, si cum Heindorfio aut deleri ἄν iubeas, aut servato reponas optativum, quia quae praecedunt quaeque sequuntur contrariam requirunt sententiam: ut corrigendum videatur, σοὶ δὲ λέγοντι οὐκ ἔχω ὅπως ἀναπεισθῶ.

VI.

De sententiis conditionalibus et finalibus.

Priusquam de usu particulae ἄν in sententiis conditionalibus et finalibus dicatur, paucis de natura harum sententiarum ac diversitate explicandum est. Et conditionales quidem sententias eas vocamus, quibus caussa indicatur, qua praegressa aliud quid consequatur; finales autem illas, quibus eventus significatur, ob quem efficien-

dum quid fiat. Ex quo intelligitur, commune utriusque generis hoc esse, quod conditionem aliquam continent; differre autem inter se eo, quod conditionales sententiae conditionem a facto, quod praegressum sit, finales autem ab eventu, qui sit consequuturus, repetunt. Ita sententia conditionalis est, λέξω, ὡς εἰδῶ, *dicam, ut sciero:* praegressa enim scientia sit necesse est, ut caussa dicendi; finalis autem, λέξω, ὡς εἰδῇς, *dicam, ut scias:* quo effecti cogitatio pro caussa dicendi esse significatur.

Iam quod ad particulam ἄν attinet, eius in conditionalibus sententiis planissima ratio est. Abest enim, ubi simpliciter conditio indicatur, qua quid fiat; additur autem, ubi eam conditionem incertam esse atque e rebus fortuitis pendere innuimus. Similis usus est particulae huius in sententiis finalibus. Quum enim certum indicamus finem, omittitur; quum autem eventum rebus fortuitis obnoxium, adiicitur. Sed in hoc quidem genere singularis ratio est particulae ἵνα, quam adspernari ἄν in sententia finali videbimus.

Omnino autem bene tenendum est, si epicorum veterum sermonem excipias, ἄν nusquam ita adiungi coniunctivo, ut vere constructum cum eo existimari possit, sed unice pertinere ad coniunctiones illas, ex quibus pendet coniunctivus, de qua re dictum est lib. I. cap. 4.

VII.

De usu particulae ἄν cum coniunctivo in sententiis conditionalibus, et primum quidem de εἰ et ἤν cum coniunctivo.

Diximus, coniunctivum sine particula ἄν poni in sententiis conditionalibus, ubi nihil nisi conditio ipsa indicetur; addi autem ἄν, ubi conditio pendeat ex rebus fortuitis. Ac permulta sunt vocabula, quae conditioni significandae inserviunt, primo particula proprie conditionalis, εἰ, deinde illae quibus temporis locive significatio adiuncta est, ut ἐπεί, ὅτε, ὁπότε, εὖτε, πρίν, ἕως, ἔνθα, ἵνα, ὅθι,

οὗ, ὅπου, οἷ, ὅποι, ᾗ, ὅπῃ, ἔνθεν, ὅθεν, ὁπόθεν, tum pronomina ὅς, οἷος, ὁποῖος, ὅσος, ὁπόσος, ὁπότερος. Horum quaedam, in primis particulam conditionalem εἰ, ab Atticis non iungi coniunctivo, nisi si ἄν accederet, diu fuit virorum doctorum opinio. Ac Bastius quidem quod in epistola critica ad Boissonadum p. 129. s. ed. Lips. ex Thomae M. praecepto p. 267. existimabat, verba αὐθυπότακτα etiam apud Atticos εἰ cum coniunctivo sine ἄν admittere, id inane commentum esse satis mihi videor demonstrasse in dissertatione de praeceptis quibusdam Atticistarum. Vnde ortum sit illud Atticistarum praeceptum, docuit Lobeckius ad Phryn. p. 724. Accidit in hac quoque re, quod saepissime, ut, quae rara essent, corrupta putarentur, nec quaereretur, quam rationem haberent. Tantum abest enim, ut aut per se prava aut ab Atticorum usu abhorrens sit constructio particulae εἰ cum coniunctivo, ut, quum non perinde sit, utrum εἰ an ἐὰν ponatur, non magis ἐὰν pro εἰ, quam εἰ pro ἐὰν adhiberi possit. Monueram ea de re ad Soph. Ai. 491. assensusque est vir eximius maiorisque animi quam ut suas opiniones veritati praeferret, P. Elmsleius, quem praematura morte litteris ereptum esse summo cum dolore nuper accepimus. Vide eum ad Bacch. 203. 858. et in praefat. tertiae ed. Oed. Regis ad v. 191. 874. Grammaticus in Bekkeri Anecd. p. 144, 20. μετὰ δὲ ὑποτακτικῶν (Iliad. μ. 239.)·

εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόντε.

καὶ Σοφοκλῆς ἐν Οἰδίποδι τυράννῳ (v. 873.)·

ὕβρις εἰ πολλῶν ὑπερπλησθῇ.

ὁ αὐτός (Oed. Col. 1442.)·

δυστάλαινα τἄρ' ἐγώ,
εἴ σου στερηθῶ.
Κρατῖνος Γείτοσιν·
εἰ σοφὸς ᾖ.

Ξενοφῶν Παιδείας (III. 3, 50.)· εἰ μὴ πρόσθεν ἠσκη-

κότες. *Πλάτων Νόμων δωδεκάτῳ·* (p. 958. D.) *εἴτε τις θῆλυς ἦ.* Xenophontis verba sunt: *ὦ Χρυσάντα, μηδέν σε λυπούντων αἱ τοῦ Ἀσσυρίου παρακελεύσεις· οὐδεμία γάρ ἐστιν οὕτω καλὴ παραίνεσις, ἥτις τοὺς μὴ ὄντας ἀγαθοὺς αὐθήμερον ἀκούσαντας ἀγαθοὺς ποιήσει· οὐκ ἂν οὖν τοξότας γε, εἰ μὴ ἔμπροσθεν τοῦτο μεμεληκότες εἶεν, οὐδὲ μὴν ἀκοντιστάς, οὐδὲ μὴν ἱππέας, ἀλλ' οὐδὲ μὴν τά γε σώματα ἱκανοὺς πονεῖν, εἰ μὴ πρόσθεν ἠσκηκότες ὦσι.* Plato autem sic scribit: *περὶ τελευτήσαντας δή, εἴτε τις ἄῤῥην εἴτε τις θῆλυς ἦ, τὰ μὲν περὶ τὰ θεῖα νόμιμα τῶν τε ὑπὸ γῆς θεῶν καὶ τῶν τῇδε, ὅσα προσήκει τελεῖσθαι, τοὺς ἐξηγητὰς γίγνεσθαι κυρίους φράζοντας.* De quo loco infra. Cum Cratini verbis compara Soph. Antig. 710.

ἀλλ' ἄνδρα, κεἴ τις ἦ σοφός, τὸ μανθάνειν
πόλλ', αἰσχρὸν οὐδέν.

Vt declarem quae ratio sit huius constructionis, utar exemplo, quod est in Oed. R. 198.

τέλει γὰρ εἴ τι νὺξ ἀφῇ,
τοῦτ' ἐπ' ἦμαρ ἔρχεται.

Apparet hoc quattuor modis dici potuisse, aut sic, ut scripsit Sophocles, aut *εἴ τι ἀφίησιν*, aut *εἴ τι ἀφείη*, aut *ἤν τι ἀφῇ*. Horum illud, *εἴ τι ἀφίησιν*, *si quid relinquit*, simpliciter ad veritatem facti refertur. Alterum, *εἴ τι ἀφείη*, *si quid relinquat*, rem profert, ut in sola cogitatione positam, quo excluditur veritas, et hoc dumtaxat dicitur, *si relinquat*, *quod iam animo cogitabimus, licet forsitan non fiat.* Tertium *εἴ τι ἀφῇ*, *si quid reliquerit*, respectum comprehendit experientiae, exspectandumque esse indicat, ut relinquat aut non relinquat. Huic simile, sed minime tamen idem est quartum, *ἤν τι ἀφῇ*, *si quid forte reliquerit.* Nam hoc etsi eodem cum respectu experientiae dicitur, tamen, quia per particulam *ἄν* imminuta est et debilior facta vis particulae conditionalis, illud accedit, ut forsitan nox aliquid relictura, vel non relictura significetur. Id non est in illo *εἴ τι νὺξ ἀφῇ*, in quo quia non accedit illud *forsitan*, certior est et for-

tior conditio: refertur enim ad certam spem atque opinionem, futurum quid esse, vel etiam, pro rei natura, non esse futurum. Quae quam diversa sint, facillime intelligi potest ex iis, quae in utroque genere adiuncta cogitantur: in illo, *ἤν τι νὺξ ἀφῇ*, *si quid forte nox reliquerit: forsitan relinquet aliquid, forsitan non relinquet;* in hoc, *εἴ τι νὺξ ἀφῇ*, *si quid nox reliquerit: vix autem relinquet.* Atqui hoc ipsum dicere voluit isto loco Sophocles: ex quo apparet, errasse viros doctos, qui vel ex coniectura, vel ex paucis codd. *ἤν*, quae Atticistae alicuius correctio est, reposuerunt. Exposui haec enucleatius, ut rationem redderem. Quod si quis mavult ipso statim sensu quid inter utramque locutionem intersit percipere, is meminerit *εἴ τι νὺξ ἀφῇ* sic esse pronunciandum ut *εἰ* voce erigatur: quod contra *ἤν* non distinguitur a caeteris vocibus. Itaque etiam Latine si utrumque iisdem verbis vertas, *si quid nox reliquerit*, illud *si* si est *εἰ*, fortius est pronunciandum; remissius autem, si est *ἤν*. Interdum quidem non multum interest, *εἰ* an *ἤν* dicatur, ut in illo Sophoclis, *ὕβρις, εἰ πολλῶν ὑπερπλησθῇ*, vel in Xenophontis loco, quem affert grammaticus, cuius verba apposuimus. Sed plerumque tamen ibi potissimum *εἰ* usurpatur, ubi *ἤν* non aptum est. Vt in Platonis loco apud eumdem grammaticum, *εἴτε τις ἄῤῥην εἴτε τις θῆλυς ἦ*. Nam qui moriuntur, necessario aut mares aut feminae sunt, nec quidquam in ea re fortuiti inest. Contra Xenophon. Cyrop. III. 3, 17. *νῦν δὲ ἴσοι μὲν ἐκεῖνοι ἔσονται, ἤν τε ἐνθάδε ἐπιμένωμεν ἤν τε ἐς τὴν ἐκείνων ἰόντες ὑπαντῶμεν αὐτοῖς· ἴσοι δὲ ἡμεῖς ὄντες μαχούμεθα, ἤν τε ἐνθάδε ἐπιόντας αὐτοὺς δεχώμεθα, ἤν τε ἐπ' ἐκείνους ἰόντες τὴν μάχην συνάπτωμεν.* Nam intervenire potest aliquid, ut non pugnetur omnino. Adiiciam alia exempla. Homerus Iliad. *α*. 340.

εἴποτε δ' αὖτε
χρειὼ ἐμεῖο γένηται ἀεικέα λοιγὸν ἀμῦναι
τοῖς ἄλλοις.

Si quando me opus fuerit. Nempe erit aliquando opus.

Quod si ἦν dixisset, multo hoc foret debilius, *si forte aliquando me opus fuerit:* quo potius aliquam fortuitam opportunitatem, quam certum illud, si detur opportunitas, indicaret. Iliad. ε. 257.

τούτω δ' οὐ πάλιν αὖτις ἀποίσετον ὠκέες ἵπποι,
ἄμφω ἀφ' ἡμείων, εἰ γοῦν ἕτερός γε φύγῃσιν.

Si quidem alter effugerit: nam spes erat utrumque occubiturum. Iliad. φ. 462.

Ἐννοσίγαι', οὐκ ἄν με σαόφρονα μυθήσαιο
ἔμμεναι, εἰ δὴ σοίγε βροτῶν ἕνεκα πτολεμίζω.

Si tecum pugnem: at non sum pugnaturus. Et versu 576.

εἴπερ γὰρ φθάμενός μιν ἢ οὐτάσῃ ἠὲ βάλῃσιν,
ἀλλά τε καὶ περὶ δουρὶ πεπαρμένῃ οὐκ ἀπολήγει
ἀλκῆς, πρίν γ' ἠὲ ξυμβλήμεναι ἠὲ δαμῆναι.

Si vulneraverit pardum: nam haud facile vulneret. Et χ. 86.

σχέτλιος· εἴπερ γάρ σε κατακτάνῃ, οὔ σ' ἔτ' ἔγωγε
κλαύσομαι ἐν λεχέεσσι, φίλον θάλος, ὃν τέκον αὐτή.

Si quidem te occiderit. Dicit hoc Hecuba, ne detrahere aliquid laudi Hectoris videatur, quasi non sperans occisum iri. Od. ε. 221.

εἰ δ' αὖ τις ῥαίῃσι θεῶν ἔνι οἴνοπι πόντῳ,
τλήσομαι ἐν στήθεσσιν ἔχων ταλαπενθέα θυμόν.

Si contuderit: at non spero futurum. Et η. 284.

εἰ δ' ἄρα τις καὶ μοῦνος ἰὼν ξύμβληται ὁδίτης,
οὔτι κατακρύπτουσιν.

Si vel unus obvius sit. Nempe raro fit: sed si fit, non sese occultant dii. Et μ. 348.

εἰ δὲ χολωσάμενός τι βοῶν ὀρθοκραιράων,
νῆ' ἐθέλῃ ὀλέσαι, ἔπι δὲ σπῶνται θεοὶ ἄλλοι,
βούλομ' ἅπαξ πρὸς κῦμα χανὼν ἅπο θυμὸν ὀλέσσαι,
ἢ δηθὰ στρεύγεσθαι, ἐὼν ἐν νήσῳ ἐρήμῃ.

Si perdere navem voluerit: quod non opinor, quum non impietate quadam, sed necessitate compulsi boves mactemus. Scripsi hoc in loco δὲ σπῶνται pro δ' ἔσπωνται, quam formam vix puto defendi posse. Suspecta est etiam Buttmanno ad scholia in Odysseam. Pindarus Nem. VII. 16. (11.)

εἰ δὲ τύχῃ τις ἔρδων, μελίφρον' αἰτίαν
ῥοαῖσι Μοισᾶν ἐνέβαλε.

Si cui successerit: non enim facile est. Eadem similiter expressa sententia exstat IX. 110. (46.) et alia similis sententia Isthm. V. 16. (IV. 14.) Sophocles Oedipo Rege v. 1062. ex mea emendatione,

θάρσει· σὺ μὲν γὰρ οὐδ' ἂν εἰ τρίτης ἐγὼ
μητρὸς φανῶ τρίδουλος, ἐκφανεῖ κακή.

Ne si quidem ter servus esse reperiar: opinatur enim ita esse Oedipus. Improbavit hanc emendationem in postrema ed. Elmsleius, non propter εἰ cum coniunctivo, sed propter ἂν cum futuro coniunctum. Non fecisset, si reputasset, ἂν referri ad optativum, qui suppressus est. Plene enim dicas, οὐκ ἐκφανεῖ κακή, οὐδ' ἂν (ἐκφανείης) εἰ φανῶ τρίδουλος. Compara locum Xenoph. Cyr. III. 3, 50. quem supra attulimus. Recte legitur apud Euripidem Iph. A. 1238.

βλέψον πρὸς ἡμᾶς, ὄμμα δός, φίλημά τε,
ἵν' ἀλλὰ τοῦτο κατθανοῦσ' ἔχω σέθεν
μνημεῖον, εἰ μὴ τοῖς ἐμοῖς πεισθῇς λόγοις.

Si nihil precibus meis moveris: quod non videris facturus. Et in Cyclope 577.

οὐκ ἂν φιλήσαιμ', εἰ Χάριτες πειρῶσί με.

Si vel Gratiae me tentaverint: nempe non sunt facturae. Aristophanes Eq. 698.

ΚΛ. οὗτοι μὰ τὴν Δήμητρά γ', εἰ μή σ' ἐκφάγω
ἐκ τῆσδε τῆς γῆς, οὐδέποτε βιώσομαι.
ΑΛ. εἰ μὴ 'κφάγῃς;

Et v. 805. de populo:

εἰ δέ ποτ' εἰς ἀγρὸν οὗτος ἀπελθὼν εἰρηναῖος διατρίψῃ,
καὶ χίδρα φαγὼν ἀναθαρρήσῃ, καὶ στεμφύλῳ εἰς λόγον ἔλθῃ,
γνώσεται οἷον ἀγαθῶν αὐτὸν τῇ μισθοφορᾷ παρεκόπτου.

Sic libri praeter Brunckii membranas, in quibus est *ἔλθοι*, quod ille recepit, scripsitque *διατρίψει* et *ἀναθαρρήσει*. At recte se habebat vulgata. Nam hoc dicit, *si*, quod optari magis quam sperari potest, *pacis muneribus frui populo contigerit*, *sentiet*, *quantis bonis a Cleone fuerit privatus*. In Pace v. 450.

κεἴ τις στρατηγεῖν βουλόμενος μὴ ξυλλάβῃ,
ἢ δοῦλος αὐτομολεῖν παρεσκευασμένος,
ἐπὶ τοῦ τροχοῦ γ' ἕλκοιτο μαστιγούμενος.

Sic libri omnes et Suidas v. *τροχός*, nisi quod hic *εἰ* pro *κεἰ*. Male corrigi *κἄν*, arguunt quae praecedunt: *ὅστις δὲ πόλεμον εἶναι βούλεται, — κεἴ τις φθονεῖ, — κεἴ τις ἐπιθυμεῖ*. Quae sunt eiusmodi, ut hic quoque *κεἴ τις* positum a poeta esse dubitari vix possit. Pariter v. 437.

χὤστις προθύμως ξυλλάβῃ τῶν σχοινίων,
τοῦτον τὸν ἄνδρα μὴ λαβεῖν πότ' ἀσπίδα.

Vbi quamvis in bonis libris *ξυλλάβοι* sit, tamen deterius videtur. Herodotus II, 13. quum dixisset Nilum olim, si minimum octo cubitos accrevisset, loca infra Memphin inundasse, ita pergit: *νῦν δὲ εἰ μὴ ἐπ' ἑκκαίδεκα ἢ πεντεκαίδεκα πήχεας ἀναβῇ τοὐλάχιστον ὁ ποταμός, οὐκ ὑπερβαίνει ἐς τὴν χώρην*. Vnus tantum codex *ἦν*, quod dedit Schaeferus, et reponendum censuit Werferus in Actis Monac. T. I. p. 100. non recte, ut mihi videtur. Est enim hoc *nisi forte*, quod etsi potuit hic dici, tamen multo aptior est fortius expressa conditio, *nisi*, qua indicatur, esse hoc extra ordinem. Eodem modo erravit Werferus

etiam in aliis locis, ut in hoc Herodoti VIII. 18. ubi interroganti regi, an aliqua salutis via reliqua sit, gubernator navis respondisse dicitur: *δέσποτα, οὐκ ἔστιν οὐδεμία, εἰ μὴ τουτέων ἀπαλλαγή τις γένηται τῶν πολλῶν ἐπιβατέων.* Omnes hic libri tuentur *εἰ*. Nam hic quoque maior quaedam vis requiritur, quam quae est in particula *ἤν: nisi*, quod vereor dicere, *hac vectorum multitudine liberemur*. Accurate distinxit Lucianus Dial. meretr. VII. 1. T. III. p. 296, 13. *ἀλλὰ προφάσεις ἀεί, καὶ ὑποσχέσεις, καὶ μακραὶ ἐλπίδες, καὶ πολὺ τὸ ἐὰν ὁ πατήρ, καὶ εἰ κύριος γένωμαι τῶν πατρῴων, καὶ πάντα σά.* Fortuitum est enim, quando sit pater moriturus; illud autem ut certum ostendit adolescens, aliquando se patris bona possessurum. Male ibi Belinus de Ballu *ἤν* pro *εἰ* reponi voluit. Eadem ratio videtur esse huius loci, in Piscatore 22. T. I. p. 592, 16. *κἂν σοι δοκῇ, κἀκεῖνό που παράβυσον, ὡς ὁ μέγας Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων ἀγανακτήσειεν ἄν, εἰ μὴ οὗτος ὑπόσχῃ τὴν δίκην.* Vbi etsi etiam optativus poni potuit, tamen aptior coniunctivus videtur, quum totus dialogus ad vindictam sumendam tendat. Distincte coniunctivo usus est Alciphron III. 21. ubi mulier, capellam negligentia caprarii a lupo raptam scribens, addit: *πέπυσται δὲ οὐδὲν τούτων ὁ ἀνήρ· εἰ δὲ μάθῃ, κρεμήσεται μὲν ἐκ τῆς πλησίον πίτυος ὁ μισθωτός, αὐτὸς δὲ οὐ πρότερον ἀνήσει πάντα μηχανώμενος, πρὶν τὰς παρὰ τοῦ λύκου δίκας εἰσπράξασθαι.* Et epistola 31. ubi mulier urbis, quam nondum viderat, visendae cupida scribit: *εἰ οὖν σοι πρόφασις ὁδοῦ ἄστυδε γένηται, ἧκε ἀπάξων νῦν κἀμέ.* Minus cupide loqueretur, si *ἤν* posuisset, *si forte*. Nunc, quum *εἰ* dixit, fortius rogat, *si praetextus repertus fuerit:* metuit enim, ne praetermittat ille aliquam opportunitatem. Saepe sic, maxime ap. Aristotelem, *εἰ* praegresso *ἄν*, ut de somn. et vigil. p. 685. A. *κἂν εἰ τοῦτο γένηται.* de Rep. II. 1. p. 312. C. *κἂν εἴ τινες ἕτεραι τυγχάνωσιν ὑπὸ τινῶν εἰρημέναι.* II. 2. p. 313. C. *ὥσπερ ἂν εἰ σταθμὸς πλεῖον ἑλκύσῃ.*

VIII.

De ἐπεί, εὖτε, πρὶν cum coniunctivo.

Quae *εἰ* particulae, eadem etiam caeterarum ratio est. Ex quibus primo videamus *ἐπεί*. Herodotus VIII. 22. *Θεμιστοκλέης δὲ ταῦτα ἔγραψε, δοκέειν ἐμοί, ἐπ' ἀμφότερα νοέων, ἵνα ἢ λαθόντα τὰ γράμματα βασιλῆα Ἴωνας ποιήσῃ μεταβαλέειν καὶ γενέσθαι πρὸς ἑωυτῶν, ἤ, ἐπεί τε ἀνενειχθῇ, καὶ διαβληθῇ πρὸς Ξέρξεα, ἀπίστους ποιήσῃ τοὺς Ἴωνας, καὶ τῶν ναυμαχιέων αὐτοὺς ἀπόσχῃ.* Si *ἐπεὰν* dixisset, nihil nisi incertum esse indicasset, futurumne illud esset an non: nunc, quum *ἐπεὶ* dixit, fortius urget conditionem, ut ex opposito patet: *si*, quod tamen, si fieri posset, evitare cupiebat, *cognovisset Xerxes*. Sophocles in Antig. 1023.

ταῦτ' οὖν τέκνον, φρόνησον· ἀνθρώποισι γὰρ
τοῖς πᾶσι κοινόν ἐστι τοὐξαμαρτάνειν·
ἐπεὶ δ' ἁμαρτῇ, κεῖνος οὐκ ἔτ' ἔστ' ἀνὴρ
ἄβουλος οὐδ' ἄνολβος, ὅστις ἐς κακὸν
πεσὼν ἀκεῖται, μηδ' ἀκίνητος πέλει.

Et *εὖτε*. Aeschylus Sept. ad Th. 344.

πολλὰ γὰρ εὖτε πόλις δαμασθῇ,
ἔ ἔ, δυστυχῆ τε πράσσει.

Brunckius *εὖτ' ἄν*, quod aliud est, minus graviter expressa conditione. Sophocles Ai. 741.

τὸν ἄνδρ' ἀπηύδα Τεῦκρος ἔνθοδεν στέγης
μὴ ξω παρήκειν, πρὶν παρὼν αὐτὸς τύχῃ.

Significabat enim Teucer, se certo venturum esse. Simillimus locus est in Trachiniis v. 604.

δίδουὺς δὲ τόνδε, φράζ' ὅπως μηδεὶς βροτῶν
κείνου πάροιθεν ἀμφιδύσεται χροΐ,
μηδ' ὄψεταί νιν μήτε φέγγος ἡλίου,
μήθ' ἕρκος ἱερόν, μήτ' ἐφέστιον σέλας,

πρὶν κεῖνος αὐτὸν φανερὸς ἐμφανῶς σταθεὶς
δείξῃ θεοῖσιν ἡμέρᾳ ταυροσφάγῳ.

Et in Philocteta v. 917.

μὴ στέναζε, πρὶν μάθῃς.

Dicturus est enim Neoptolemus. Iterum in Aiace v. 964.

οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι, τἀγαθὸν χεροῖν
ἔχοντες οὐκ ἴσασι, πρίν τις ἐκβάλῃ.

Noluit dicere πρὶν ἄν, quod esset, *priusquam forte amiserit*, sed omisit ἄν, ut diceret, *tum demum, quum amisit*. Comparari potest cum his illud Antiphontis p. 619. (11. §. 29.) οἱ δ' ἐπιβουλευόμενοι οὐδὲν ἴσασι πρὶν ἐν αὐτῷ ὦσι τῷ κακῷ γ' ἤδη, καὶ γιγνώσκωσι τὸν ὄλεθρον, ἐν ᾧ εἰσί. Quod eamdem habet rationem. Sic etiam in Trach. 945.

οὐ γὰρ ἔσθ' ἥ γ' αὔριον,
πρὶν εὖ πάθῃ τις τὴν παροῦσαν ἡμέραν.

Similiter apud Euripidem in Oreste 1218.

φύλασσε δ', ἤν τις, πρὶν τελευτηθῇ φόνος,
ἢ ξύμμαχός τις ἢ κασίγνητος πατρὸς
ἐλθὼν ἐς οἴκους φθῇ.

Facturus est enim caedem Orestes. Et v. 1354.

ὅπως ὁ πραχθεὶς φόνος
μὴ δεινὸν Ἀργείοισιν ἐμβάλῃ φόβον
βοηδρομῆσαι πρὸς δόμους τυραννικούς,
πρὶν ἐτύμως ἴδω τὸν Ἑλένας φόνον
καθαιμακτὸν ἐν δόμοις κείμενον.

Et in Alcest. 851.

οὐκ ἔστιν ὅστις αὐτὸν ἐξαιρήσεται
μογοῦντα πλευρά, πρὶν γυναῖκ' ἐμοὶ μεθῇ.

Cogitur enim reddere. Et in Iph. Aul. 538.

ἔν μοι φύλαξον, Μενέλεως, ἀνὰ στρατὸν

ἐλθών, ὅπως ἂν μὴ Κλυταιμνήστρα τάδε
μάθῃ, πρὶν Ἅιδῃ παῖδ' ἐμὴν προσθῶ λαβών.

Aristoph. Ran. 1281. quum Bacchus, nolens amplius audire Euripidem, abiturum se dicit, ille his eum verbis manere iubet:

μή, πρίν γ' ἀκούσῃς χἀτέραν στάσιν μελῶν.

Iam enim cantaturus est. Eccles. 750.

οὐ γὰρ τὸν ἐμὸν ἱδρῶτα καὶ φειδωλίαν
οὐδὲν πρὸς ἔπος οὕτως ἀνοήτως ἀποβαλῶ,
πρὶν ἐκπύθωμαι πᾶν τὸ πρᾶγμ' ὅπως ἔχει.

Ibidem v. 856.

οὐ δῆτ', ἤν γ' ἐκείναις νοῦς ἐνῇ,
πρὶν κἀπενέγκῃς.

Ita scribendum. Vulgo *πρίν γ' ἀπενέγκῃς.* Brunckius ex uno cod. *πρίν γ' ἂν ἀπενέγκῃς*, Porsonus *πρὶν ἄν γ' ἀπενέγκῃς.* In eadem fabula v. 628.

κοὐκ ἔξεσται παρὰ τοῖσι καλοῖς καταδαρθεῖν
ταῖσι γυναιξίν, πρὶν τοῖς αἰσχροῖς καὶ τοῖς μικροῖς
χαρίσωνται.

Χαρίσασθαι hic scribi voluerunt Tyrwhittus, (quem sequitur Porsonus, qui antea *ταῖσι γυναιξί, πρὶν ἄν — χαρίσωνται* coniecerat, ut refert Dobraeus p. 201.) et Reisigius in Coniect. I. p. 65. cui assentitur Elmsleius ad Med. 215. qui et illo loco et ad Heraclidas v. 959. in eadem sententia est, in qua Porsonus et Reisigius, comicis non licuisse *πρὶν* sine *ἄν* cum coniunctivo coniungere. Et Reisigius quidem etsi hoc valde speciosum affert, qui tenuiore stilo utantur, non omittere *ἄν*, quod iis tantum concessum esse, quorum elatior sit oratio, tamen ego ut aliter sentiam, quum analogia moveor aliorum vocabulorum *ἄν* ea qua dixi conditione respuentium, tum exemplorum quae omissionem particulae tuentur natura. Verbis simillima

sunt, quae modo attulimus, *μὴ πρίν γ' ἀκούσῃς* et *πρὶν ἐκπύθωμαι*, atque illa, quae affert Reisigius,

μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς,

et in Vespis v. **919**.

πρὸς τῶν θεῶν, μὴ προκαταγιγνώσκ', ὦ πάτερ,
πρὶν ἄν γ' ἀκούσῃς ἀμφοτέρων.

et in Eq. **960**.

μὴ δῆτα πώ γ', ὦ δέσποτ', ἀντιβολῶ σ' ἐγώ,
πρὶν ἄν γε τῶν χρησμῶν ἀκούσῃς τῶν ἐμῶν.

Sed permagnum tamen discrimen est. Nam qui vetat indicare, priusquam alteram partem quis audiverit, cohiberi vult iudicium usque dum contrariae sententiae argumenta sint exposita: quo tantum abest ut significet, cogniturum ea quem esse, ut nihil aliud velit, quam non esse iudicandum, si non cognoverit. Et in hanc sententiam dictum est illud, quod ex Vespis est allatum. Eodemque modo in Equitibus negat Cleo se munus susceptum, nisi oracula sua populus audiverit. Sed an ea sit ille auditurus, in incertis relinquitur. Postea demum effert illa e domo sua, et recitat. Contra in illis exemplis, quae supra dedimus, certum instat factum, quod eo ipso non debuit per *ἄν* incertum reddi. Hinc spero iudicari poterit de illo in Acharn. **294**.

ΔΙ. ἀντὶ δ' ὧν ἐσπεισάμην οὐκ ἴστ' ἔτ'· ἀλλ' ἀκούσατε.
ΧΟ. σοῦ γ' ἀκούσωμεν; ἀπολεῖ· κάτα σε χώσομεν
τοῖς λίθοις.
ΔΙ. μηδαμῶς, πρὶν ἄν γ' ἀκούσητ'· ἀλλ' ἀνάσχεσθ', ὦγαθοί.

Sic Bentleius, Elmsleius, Reisigius. Libri fluctuant: alii *πρὶν ἂν ἀκούσητε*, alii *πρὶν ἂν ἀκούσητε γε*, alii *πρίν γ' ἂν ἀκούσητε*, Ravennas vero et scholiastes, *πρίν γ' ἀκούσητε*, sine *ἄν*, recte, quia iam dicturus est Dicaeopolis, ut nihil hic incerti sit. Sed metri indicio scribe,

μηδαμῶς γε, πρίν γ' ἀκούσητ'.

Caeterae lectiones debentur correctoribus. Quod si comparare quis volet exempla, in quibus *πρὶν* solum et *πρὶν ἄν* apud tragicos et Aristophanem leguntur, quae sedulo notata dedit Elmsleius ad Medeam p. 119. facile animadvertet, ubi *ἄν* additum est, semper aliquid incerti subesse. v. c. in Sophoclis *Ἀχαιῶν συλλόγῳ* ap. Athen. XV. p. 686. A.

φορεῖτε, μασσέτω τις, ἐγχείτω βαθὺν
κρητῆρ' · ὅδ' ἀνὴρ οὐ πρὶν ἂν φάγῃ καλῶς,
ὁποῖα καὶ βοῦς ἐργάτης, ἐργάζεται.

Non est enim de praesenti tantum tempore loquutus, sed universe: *hic homo non umquam ante, quam bene saturatus fuerit, laborat.* Neque vero alium in prosa oratione usum obtinere consentaneum est. Recte Reisigius negat opus esse particula *ἄν* in his Platonis de Legg. IX. p. 872. E. *τοῦ γὰρ κοινοῦ μιανθέντος αἵματος οὐκ εἶναι κάθαρσιν ἄλλην, οὐδὲ ἔκπλυτον ἐθέλειν γίγνεσθαι τὸ μιανθέν, πρὶν φόνον φόνῳ, ὁμοίῳ ὅμοιον, ἢ δράσασα ψυχὴ τίσῃ, καὶ πάσης τῆς ξυγγενείας τὸν θυμὸν ἀφιλασαμένη κοιμίσῃ.* At caussa non in gravitate et dignitate orationis quaerenda, sed in iis verbis, unde haec pendent: *ὁ γὰρ δὴ μῦθος ἢ λόγος ἢ ὅ τι χρὴ προσαγορεύειν αὐτόν, ἐκ παλαιῶν ἱερέων εἴρηται σαφῶς, ὡς ἡ τῶν ξυγγενῶν αἱμάτων τιμωρὸς δίκη ἐπίσκοπος νόμῳ χρῆται τῷ νῦν δὴ λεχθέντι, καὶ ἔταξεν ἅρα δράσαντί τι τοιοῦτον παθεῖν ταὐτὰ ἀναγκαίως ἅπερ ἔδρασεν.* Nam quia necessario perpetienda esse eadem dicit, quae quis fecerit, propterea *πρίν*, ut in re certo consequutura, sine *ἄν* posuit. Quamquam quis neget et hoc in loco, et multis in aliis, etiam *πρὶν ἄν* dici potuisse? Nam, prouti rem consideres, saepe etiam quod certum est, alia ratione ut incertum proferri potest: ut hic, si non tam illud, sequuturam esse poenam, quam eam aliquando, sed ut incertum sit quo tempore, sequuturam dicere volueris. Dubia est scriptura in Politico p. 281. D. aliis libris *πρὶν ἄν*, aliis *πρὶν αὖ* praebentibus, quod non dixerim falsum esse. Non assentior Reisigio, in Aeschinis

verbis ἄν requirenti, c. Ctesiph. 22, 6. p. 447. (480. §. 60. Bekk.) ὅστις οὕτω διάκειται, μήτ' ἀπογνώτω μηδὲν μηδὲ καταγνώτω, πρὶν ἀκούσῃ. Verissima est enim librorum scriptura, quum statim dicturus sit orator illa, quae audiri vult: id quod apertissime declarant, quae sequuntur. Herodotus IV. 157. οὐ γὰρ δή σφεας ἀπίει ὁ θεὸς τῆς ἀποικίης, πρὶν δὴ ἀπίκωνται ἐς αὐτὴν Λιβύην. Nam Theraei, quos oraculum Libyam petere iussisset, quum Plateam insulam per aliquod tempus coluissent, Libyam esse rati, iterum consulto oraculo responsum tulerant, mirum esse, si, qui non adiissent Libyam, melius eam Apolline nossent. Itaque eos coegit Apollo ipsam quaerere Libyam: quod indicare volens Herodotus, omisit ἄν, quam particulam si addidisset, significasset non ante eos coloniae deducendae necessitate liberatum iri, quam quum forte Libyam venissent. Non minus accurate idem VI. 82. πρὸς ὧν ταῦτα οὐ δικαιεῦν πειρᾶν τῆς πόλιος, πρίν γε δὴ ἱροῖσι χρήσηται καὶ μάθῃ, εἴτε οἱ ὁ θεὸς παραδιδοῖ, εἴτε οἱ ἐμποδὼν ἕστηκε. Pergit enim: καλλιερευμένῳ δὲ ἐν τῷ Ἡραίῳ ἐκ τοῦ ἀγάλματος τῶν στηθέων φλόγα πυρὸς ἐκλάμψαι· μαθεῖν δὲ αὐτὸς οὕτω τὴν ἀτρεκηίην, ὅτι οὐκ αἱρέει τὸ Ἄργος. I. 32. ἐκεῖνο δὲ τὸ εἴρεό με, οὔκω σε ἐγὼ λέγω, πρὶν τελευτήσαντα καλῶς τὸν αἰῶνα πύθωμαι. Nescio an rectius ita codd. quidam et Stobaeus CV. 63. quam vulgati πρὶν ἄν. Omissa enim particula sensus est, *tum demum te beatum praedicabo.* At eodem capite paullo post: εἰ δὲ πρὸς τούτοισιν ἔτι τελευτήσει τὸν βίον εὖ, οὗτος ἐκεῖνος τὸν σὺ ζητεῖς, ὄλβιος κεκλῆσθαι ἄξιός ἐστι· πρὶν δ' ἂν τελευτήσῃ, ἐπισχέειν, μηδὲ καλέειν κω ὄλβιον, ἀλλ' εὐτυχέα. Additum hic est ἄν, quia sensus est *nisi quum obierit.* Nam etsi, ut in priore huius capitis loco, re ipsa perinde est utrum πρὶν πύθωμαι an πρὶν ἂν πύθωμαι dicas, tamen cogitandi modo haec valde diversa sunt: alterum enim certum est, *quamdiu non cognovero*: alterum incertum, *nisi quum cognovero.* Quare, ut supra dicebam, non est mirum, ubi ad rem nihil intersit, idem utrovis modo dici. Ita haec ipsa sententia, quae est apud Hero-

dotum, quum a multis scriptoribus posita sit, alii nudum *πρὶν* usurparunt, ut Dionysius tyrannus, Sophocles in Tyndaro, idem in Tereo, Euripides in Cressis, apud Stobaeum CV. 2. 3. 21. 26. quorum illud ex Tereo Plutarchus in Dictis regum p. 184. B. ab Eumene ita mutatum affert,

μὴ σπεῦδε γῆμαι, πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς,

alii autem ibidem fr. 14. 38. *πρὶν ἄν* dixere, nominatim Euripides in Andromacha v. 101. et Sophocles in principio Trachiniarum. Hinc iudicari poterit de his apud Herodotum I. cap. 197. *σιγῇ δὲ παρεξελθεῖν τὸν κάμνοντα οὔ σφι ἔξεστι, πρὶν ἂν ἐπείρηται ἥντινα νοῦσον ἔχει·* et cap. 198. *ἄγγελος γὰρ οὐδενὸς ἄψονται πρὶν ἂν λούσωνται.* In primis autem aperta apte additi *ἂν* exempla sunt in his, I. 82. *ἐποιήσαντο νόμον τε καὶ κατάρην μὴ πρότερον θρέψειν κόμην Ἀργείων μηδένα, μηδὲ τὰς γυναῖκάς σφι χρυσοφορήσειν, πρὶν ἂν Θυρέας ἀνασώσωνται.* Et cap. 140. *ὡς οὐ πρότερον θάπτεται ἀνδρὸς Πέρσεω ὁ νέκυς, πρὶν ἂν ὑπ' ὄρνιθος ἢ κυνὸς ἑλκυσθῇναι.* Nihil enim refert, coniunctivus an infinitivus adiungatur. Et c. 159. *ἡμεῖς δὲ δειμαίνοντες τὴν Περσέων δύναμιν, τὸν ἰκέτην ἐς τόδε οὐ τετολμήκαμεν ἐκδιδόναι, πρὶν ἂν τὸ ἀπὸ σεῦ ἡμῖν δηλωθῇ ἀτρεκέως ὁκότερα ποιέωμεν.* Aeschines contra Ctesiph. 86, 4. p. 628. (560. §. 236.) *οὐ μέμνησθ' ὅτι οὐδεὶς πώποτε ἐπέθετο πρότερον τῇ τοῦ δήμου καταλύσει, πρὶν ἂν μείζω τῶν δικαστηρίων ἰσχύσῃ.*

IX.

De ἕως aliisque idem significantibus particulis cum coniunctivo.

Eadem plane ratio est particulae *ἕως* et similium. His quoque, quoniam exiguum discrimen est et plerumque non magni refert utro modo quis loquatur, adiici fere solet *ἄν*, praesertim a prosae orationis scriptoribus. Sed facile tamen sentias, esse ubi aptius omittatur. Ita iam moribundus quis recte diceret adstantibus amicis *μίμνετε ἕως*

θάνω, non item ἕως ἂν θάνω, quod potius ei conveniret, qui non ita propinquam sibi putaret mortem esse. Quare vereor ne, quod legitur in Rheso v. 613.

ὅδ' ἐγγὺς ἦσται κοὐ συνήθροισται στρατῷ,
ἀλλ' ἐκτὸς αὐτὸν τάξεων κατεύνασεν
Ἕκτωρ, ἕως ἂν νὺξ ἀμείψηται φάος,

scribendum sit ἕως αὖ νὺξ ἀμείψηται φάος. Sed afferamus exempla. Sophocles Aiace v. 554.

ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν ἥδιστος βίος,
ἕως τὸ χαίρειν καὶ τὸ λυπεῖσθαι μάθῃς.

Omisit particulam, quia haec inevitabilis est hominum sors, ut discant quid gaudere sit et dolere. In eadem fabula v. 1182.

ὑμεῖς τε μὴ γυναῖκες ἀντ' ἀνδρῶν πέλας
προσέστατ', ἀλλ' ἀρήγετ', ἔστ' ἐγὼ μόλω
τάφου μεληθεὶς τῷδε, κἂν μηδεὶς ἐᾷ.

Dicit enim hoc Teucer asseverans se rediturum esse. Sic etiam Oed. Col. 77.

αὐτοῦ μέν', οὔπερ κἀφάνης, ἕως ἐγὼ
τοῖς ἐνθάδ' αὐτοῦ, μὴ κατ' ἄστυ δημόταις,
λέξω τάδ' ἐλθών.

Et in Philoct. 763.

ἀλλά μοι τὰ τόξ' ἑλὼν
τάδ', ὥσπερ ἤρου μ' ἀρτίως, ἕως ἀνῇ
τὸ πῆμα τοῦτο τῆς νόσου τὸ νῦν παρόν,
σῶζ' αὐτὰ καὶ φύλασσε.

Aristoph. Eq. 133.

NI. δύο τώδε πώλα. καὶ τί τοῦτον χρὴ παθεῖν;
ΑΙΝ. κρατεῖν, ἕως ἕτερος ἀνὴρ βδελυρώτερος
αὐτοῦ γένηται· μετὰ δὲ ταῦτ' ἀπόλλυται.
ἐπιγίγνεται γὰρ βυρσοπώλης ὁ Παφλαγών.

Sic ibi cod. Ven. nisi quod, ut vulgo, γένοιτο, quod etsi

defendi potest, tamen non praetulerim. Quod editum est ἕως ἄν, metro repugnat, nec prodest sententiae, siquidem iam facto comprobatum est illud oraculum, florente populi studiis isto Paphlagone. Sophocles Trach. **147**.

ἀλλ᾽ ἡδοναῖς ἄμοχθον ἐξαίρει βίον
ἐς τοῦθ᾽, ἕως τις ἀντὶ παρθένου γυνὴ
κληθῇ, λάβῃ τ᾽ ἐν νυκτὶ φροντίδων μέρος,
ἤτοι πρὸς ἀνδρὸς ἢ τέκνων φοβουμένη.

Multo magis autem apta est haec ratio, ubi de re praesente, ideoque certa, sermo est. Homerus Iliad. ψ. **46**.

ἐπεὶ οὔ μ᾽ ἔτι δεύτερον ὧδε
ἴξετ᾽ ἄχος κραδίην, ὄφρα ζώοισι μετείω.

Sophocles Electra v. **223**.

ἀλλ᾽ ἐν γὰρ δεινοῖς οὐ σχήσω
ταύτας ἄτας,
ὄφρα με βίος ἔχῃ.

Euripides Oreste v. **237**. (**231**. Pors.)

ἄκουε δὴ νῦν, ὦ κασίγνητον κάρα,
ἕως ἐῶσί σ᾽ εὖ φρονεῖν Ἐριννύες.

Quamquam hic quidem etiam indicativus esse potest. Contra vide illud in Soph. Oed. Rege **834**.

ἡμῖν μὲν, ὦναξ, ταῦτ᾽ ὀκνήρ᾽· ἕως δ᾽ ἂν οὖν
πρὸς τοῦ παρόντος ἐκμάθῃς, ἔχ᾽ ἐλπίδα.

Incertum est enim, an sit auditurus ille. Sed nemo non videt, etsi omittitur ἄν in re certa designanda, tamen multa esse ita comparata, ut non sint necessario pro certis vel incertis afferenda. Itaque non mirum est, si aliquando etiam incerta ut certa, saepe autem certa ut incerta proferuntur. Prouti enim consideres, hanc vel aliam speciem habebunt. Ita quod ex Electra Sophoclis attulimus, in eadem fabula v. **103**. cum particula ἄν dictum est:

ἀλλ᾽ οὐ μὲν δὴ λήξω θρήνων
στυγερῶν τε γόων,

ἔστ᾽ ἂν παμφεγγεῖς ἄστρων
ῥιπάς, λεύσσω δὲ τόδ᾽ ἦμαρ.

Et apud Euripidem Alcest. 337.

οἴσω δὲ πένθος οὐκ ἐτήσιον τόδε,
ἀλλ᾽ ἔστ᾽ ἂν αἰὼν οὗμὸς ἀντέχῃ, γύναι.

Exempla aperte incertae rei per ἄν significatae cum particulis *donec* vel *usquedum* vel *quamdiu* significantibus vide apud Sophoclem Ai. 1117. Oed. Col. 114. apud Euripidem Hippol. 659. Alc. 1024. Cycl. 623. apud Aristophanem Nub. 1460. 1489. Ach. 235.

Eodem modo etiam μέχρι et ἄχρι non raro particula ἄν carent: ut apud Sophoclem Ai. 571. Ex Thucydide exempla dedit Poppo in Obss. crit. in Thucyd. ex Hippocrate aliisque Lobeckius ad Phrynichum: sed hic quae ex Hippocrate de Morb. citat, ne quis frustra quaerat, sciat legi in ed. Mackii I. 12. vol. II. p. 199. IV. 7. p. 274. IV. 14. p. 286. in qua pagina etiam aliud exemplum ex praecedente capite adnotari potuerat.

Pertinet ad hoc genus etiam ὡς ἄν, *donec* significare creditum, de quo dixi ad Soph. Philoct. 1314. et ad Ai. 1096. quod est proprie vel *utcumque*, ut in Aiacis loco,

τοῦ δὲ σοῦ ψόφου
οὐκ ἂν στραφείην, ὡς ἂν ᾖς οἷόσπερ εἶ.

et in Philoct. 1329.

καὶ παῦλαν ἴσθι τῇσδε μήποτ᾽ ἐντυχεῖν
νόσου βαρείας, ὡς ἂν οὗτος ἥλιος
ταύτῃ μὲν αἴρῃ, τῇδε δ᾽ αὖ δύνῃ πάλιν.

vel *tali quodam modo*, *quo*, ut in Eurip. Phoen. 90.

ἐπίσχες, ὡς ἂν προὐξερευνήσω στίβον *).

*) Vide ad Soph. Antig. 215. ed. tert.

X.

De pronominibus et adverbiis cum coniunctivo.

Dicatur nunc de pronominibus, ac primo de pronominibus ὅς et ὅστις, quae plerique videntur sine particula ἄν fere poetarum cuidam licentiae tribuenda, a prosa autem oratione et comoedia arcenda existimare. In qua opinione hoc veri inest, quod poetas eos, qui non communem sermonem imitantur, etiam ibi interdum omittere ἄν videmus, ubi addi potuerat; illud autem falsum est, quod nihil interesse putant, nec vident, quocumque quis stilo utatur, etiam debere aliquando omittere particulam. Apertissime id demonstrare possunt haec verba in Iphig. in Aul. **1192.** si sic legantur, ut a Porsono tacite scripta sunt ad Phoen. **1373.**

τίς δὲ καὶ προσβλέψεται
παίδων σ', ὅτων ἂν προθέμενος κτάνῃς τινά.

Alienum hic ἄν esse, recte vidit Bremius, vir eruditissimus, in symbolis philologicis Helvetiae vol. I. p. **240.** Est enim ille, ut in censura illarum symbolarum dixi, soloecismus, quia non de quibuscumque, sed de certis liberis sermo est. Nam quum hoc dicere velit Clytaemnestra, *quis te adspiciet liberorum tuorum, quorum aliquem occideris*, non magis potuit ὅτων ἄν dicere, quam Latine dicas, *quorumcumque aliquem occideris.* Quin ne ὅτων quidem pro ὧν hic recte dictum. Vtrumque vidit etiam Matthiae, quem tamen miror, quod in his, quae linguae legibus repugnare ipse fatetur, quid soloecismi insit videre se negat. Sophocles Electr. **771.**

οὐδὲ γὰρ κακῶς
πάσχοντι μῖσος ὧν τέκῃ προσγίγνεται.

et v. **1061.**

τί τοὺς ἄνωθεν φρονιμωτάτους οἰωνοὺς

ἐξορώμενοι τροφᾶς κη-
δομένους, ἀφ' ὧν τε βλάστω-
σιν, ἀφ' ὧν τ' ὄνασιν εὕρω-
σι, τάδ' οὐκ ἐπ' ἴσας τελοῦμεν;

Qui ut in priore loco dicere potuerit ὧν ἄν, quia incertum est, quos quis et quales et quam multos procreet liberos, tamen, quia non illud, sed hos, qui sunt prognati, spectari voluit, recte omisit particulam. In altero autem loco plane inepta foret, quia hic definite dicuntur ii, a quibus quis genitus atque educatus sit, non quicumque, a quibus potuerit originem ducere. Sic etiam in Trach. 251.

τοῦ λόγου δ' οὐ χρὴ φθόνον,
γυνὴ, προσεῖναι, Ζεὺς ὅτου πράκτωρ φανῇ.

Est enim non de quavis, sed de certa re sermo, de servitio Herculis apud Omphalen. Contra in Oed. R. 580.

ἅ̓ν ᾖ θέλουσα, πάντ' ἐμοῦ κομίζεται,

non potuit omitti particula: non enim dicit, *omnia ea, quae voluerit, a me impetrat*, quia non de re quapiam certa cogitat, quam rogatura sit Iocasta, sed de eo, si quid roget, quidquid sit. Ne tamen, quoniam hic et multis in similibus locis ὅς ἄν recte vertitur *quicumque*, id ubique ita esse existimetur, tenendum est, saepe vim huius particulae aliter exprimi debere: ut in Ai. 1085.

καὶ μὴ δοκῶμεν, δρῶντες ἅ̓ν ἡδώμεθα,
οὐκ ἀντιτίσειν αὖθις ἅ̓ν λυπώμεθα.

nec putemus, facientes quae forte iucunda nobis sint, non esse nos perpessuros postea, quae forte non sint iucunda. Simillima eiusdem poetae sententia est fr. inc. 14.

φιλεῖ δὲ πολλὴν γλῶσσαν ἐκχέας μάτην
ἄκων ἀκούειν οὓς ἑκὼν εἶπῃ λόγους.

Non enim hic *quidquid dixerit*, sed *illa ipsa quae dixerit* intelligi volebat. Sic ex Plutarcho in libro de utilitate

ex inimicis capienda p. 89. B. legendum. In Oed. R. 1230.

τῶν δὲ πημονῶν
μάλιστα λυποῦσ', αἳ φανῶσ' αὐθαίρετοι,

ex duobus codd. edidit Erfurdtius, quibus nuper accesserunt alii libri. Vulgo αἵ 'ν, insolita quidem crasi, sed quae velim defensorem inveniat. Admisit eam ἂν scribens G. Dindorf. Recte positum αἵ, si dicere voluit, *ea mala, quae ultro contracta fuerint*, ut apud Euripidem Med. 516.

ὦ Ζεῦ, τί δὴ χρυσοῦ μὲν ὃς κιβδηλὸς ἦ,
τεκμήρι' ἀνθρώποισιν ὥπασας σαφῆ.

Sed non inepte tamen addidisset ἄν, quod esset, *quidquid mali ultro quis sibi contraxerit.* Plerisque in locis tragicorum, ubi omissum est ἄν, facile ex his, quae diximus, caussa omissionis cognosci poterit, etsi saepe, re paullo aliter cogitata, etiam locus est particulae. Vide Soph. Oed. C. 395. Eurip. Hippol. 527. 1274. et cum ὅστις Soph. Trach. 1008. Eurip. Hipp. 427. Alc. 77. ubi v. Monk. 981. Androm. 179. ubi editur θέλει, quod habet etiam Stobaei codex A. Serm. LXXIV. 19. nam vulgo apud Stobaeum θέλῃ. Iph. Taur. 1064. Ion. 856. Belleroph. fr. 16. Sed in Dictyis fr. 13. reponendum videtur ἦν. Aeschylus in *Τοξοτ.*

νέας γυναικὸς οὔ με μὴ λάθῃ φλέγων
ὀφθαλμός, ἥτις ἀνδρὸς ἦ γεγευμένη.

Nam neque *quae forte*, neque *quaecumque* dicere vult. Eadem ratio est huius dicti apud Plutarch. de aud. poet. p. 33. E.

τόδ' ἐστὶ τὸ ζηλωτὸν ἀνθρώποις, ὅτῳ
τόξον μερίμνης εἰς ὃ βούλεται πέσῃ·

Sophocles Tyr. fr. 15. ap. Aelian. de N. Anim. XI. 18. cuius fragmenti, quod plures viri docti tentarunt, novissime autem Fr. Iacobsius, patris cognominis filius, ad Xe-

noph. de re eq. p. 137. vellem scripturas codd. Vindob. omnes dedisset Heynius ad Iliad. XIV. 40.

κόμης δὲ πένθος λαγχάνω πώλου δίκην,
ἥτις ξυναρπασθεῖσα βουκόλων ὕπο
μάνδραις ἐν ἱππείαισιν ἀγρίᾳ χερὶ
θέρος θερισθῇ ξανθὸν αὐχένων ἄπο,
πλαθεῖσα δ' ἐν λειμῶνι ποταμίων ποτῶν
ἴδῃ σκιᾶς εἴδωλον αὐγασθεῖσ' ὑπὸ
κουραῖς ἀτίμως διατετιλμένης φόβης.

Apertum est, non potuisse hic recte addi ἄν, quum haec ut de certa equa referantur. Idem in Phaedra fr. 5.

οὕτω γυναικὸς οὐδὲν ἂν μεῖζον κακὸν
κακῆς ἀνὴρ κτήσαιτ' ἄν, οὐδὲ σώφρονος
κρεῖσσον· μαθὼν δ' ἕκαστος ὢν τύχῃ λέγει.

Ea, quae fuerit nactus. Ibidem fr. 8.

αἴσχη μέν, ὦ γυναῖκες, οὐδ' ἂν εἷς φύγοι
βροτῶν πόθ', ᾧ καὶ Ζεὺς ἐφορμήσῃ κακά.

Et in fragm. inc. 58.

ὡς τρισόλβιοι
κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη
μόλωσ' ἐς Ἅιδου.

Et fr. 59.

ὅτῳ δ' ἔρωτος δῆγμα παιδικὸν προσῇ.

Herodotus IV. 46. τοῖσι γὰρ μήτε ἄστεα μήτε τείχεα ἢ ἐκτισμένα, ἀλλὰ φερέοικοι ἐόντες πάντες ἕωσι ἱπποτοξόται, ζῶντες μὴ ἀπ' ἀρότου, ἀλλ' ἀπὸ κτηνέων, οἰκήματά τε σφι ἢ ἐπὶ ζευγέων, κῶς οὐκ ἂν εἴησαν οὗτοι ἄμαχοί τε καὶ ἄποροι προσμίσγειν; Male Schaeferus ad Gregor. p. 80. et Werfer. in Act. Mon. I. p. 246. ἄν addendum putarunt. Apte distincteque IV. 66. ἅπαξ δὲ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου ὁ νομάρχης ἕκαστος ἐν τῷ ἑαυτοῦ νομῷ κιρνᾷ κρητῆρα οἴνου, ἀπ' οὗ πίνουσι τῶν Σκυθέων ὅσοις δὴ ἄνδρες πολέμιοι ἀραιρημένοι ἔωσι· τοῖσι δ' ἂν

μὴ κατεργασμένον ἢ τοῦτο, οὐ γεύονται τοῦ οἴνου τούτου, ἀλλ' ἠτιμωμένοι ἀποκέαται. Nimirum alterum est, *iis, qui hostem ceperint;* alterum, *qui forte non ceperint.* Pauci tamen libri omittunt *ἄν.* Recte adiecit VI. 86, 1. *σὺ δή μοι καὶ τὰ χρήματα δέξαι, καὶ τάδε τὰ σύμβολα σῶζε λαβών. ὃς δ' ἂν ἔχων ταῦτα ἀπαιτέῃ, τούτῳ ἀποδοῦναι.* Neque enim hoc Germanice *welcher* dici potest, sed debet *wer.* Sic etiam VII. 8, 1. Cum his comparet quis locos, in quibus *ὃς ἄν* legitur: Soph. Ai. 1085. El. 943. Oed. R. 280. 580. 724. 749. Antig. 35. 563. 583. 1057. Oed. C. 13. 1332. Trach. 399. Phil. 86. 574. 844. 1276. 1431. Eurip. Or. 895. Phoen. 963. 1626. Med. 788. 1153. ubi sine verbo. Hipp. 445. Alc. 50. Suppl. 180. 364. 445. 736. 916. Iph. A. 1025. 1129. Iph. T. 39. 58. 484. 1466. Rhes. 125. Troad. 62. 68. Bacch. 841. Cycl. 218. 536. Hel. 1257. 1273. Ion. 93. 378. 380. 475. 1334. El. 33. 522. Aristoph. Plut. 185. 484. Lys. 292. Et *ὅστις ἄν* Eurip. Alc. 357. Suppl. 245. Iph. T. 1472. Troad. 664. 1032. Cycl. 566. Heracl. 191. 966. Hel. 154. Ion. 440. Dan. 48. Aristoph. Plut. 473.

Ex iis, quae supra diximus, intelligetur, cur etiam in Atticorum prosa oratione abesse *ἄν* debeat, ibi scilicet, ubi de re certa sermo est, ut in lege apud Demosth. ad Macart. p. 1055, 2. *ἐὰν δὲ μὴ ζῇ ὁ ἐπιδικασάμενος τοῦ κλήρου, προσκαλεῖσθω κατὰ ταὐτὰ ᾧ ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκῃ.* Plane ineptum hic foret *ἄν.* Compara vero legum verba ibidem p. 1069, 13. 23. 1071, 3. 1074, 29. 1075, 1. 1076, 21. et videbis, his in locis recte additum esse *ἄν.*

Eadem prorsus ratio est aliorum pronominum, ut *ὅσος* et *οἷος.* Soph. Phil. 1075.

> *ὅμως δὲ μείνατ', εἰ τούτῳ δοκεῖ,*
> *χρόνον τοσοῦτον, εἰς ὅσον τά τ' ἐκ νεὼς*
> *στείλωσι ναῦται καὶ θεοῖς εὐξώμεθα.*

Recte sic est loquutus, ut definite diceret, *tantum spatii, quantum ad ista opus est.* Sed licebat etiam, si minus

definite loqui voluisset, ἄν ponere: *quamdiu forte sacra nos morabuntur*. Compara cum his Epicurum in epist. ad Pythocl. 31. p. 41. ed. Schneid. ἄλως περὶ τὴν σελήνην γίνεται καὶ παρὰ πυρὸς πάντοθεν προσφερομένου πρὸς τὴν σελήνην, καὶ τὰ ἀπ᾽ αὐτῆς ἀποφερόμενα ῥεύματα ὁμαλῶς ἀναστέλλοντος ἐπὶ τοσοῦτον, ἐφ᾽ ὅσον κύκλῳ περιστήσῃ τὸ νεφοειδὲς τοῦτο, καὶ μὴ τὸ παράπαν διακρίνῃ. Quo loco iam apparebit non debuisse Schneiderum de inserendo ἂν cogitare. At in Electra dixit Sophocles v. 946.

ξυνοίσω πᾶν ὅσονπερ ἂν σθένω.

Sic etiam in Oed. R. 1122. Oed. C. 74. 1634. 1773. Philoct. 64. 1072. Eurip. Or. 592. Bacch. 673. Cycl. 147. Ion. 1336. et οἷος ἂν Soph. Oed. C. 956. atque ὁποῖος Philoct. 659. Hinc dubitari potest an in Eurip. Suppl. 460. non recte legatur:

κλαίων δ᾽ ἂν ἦλθες, εἴ σε μὴ ἔπεμψεν πόλις,
περισσὰ φωνῶν· τὸν γὰρ ἄγγελον χρεὼν
λέξανθ᾽, ὅσ᾽ ἂν τάξῃ τις, ὡς τάχος πάλιν
χωρεῖν.

Nam etsi defendi potest haec scriptura, tamen multo aptius hic est dici, *id quod quis iusserit*, quam *quidquid quis iusserit*. Id vero scribi potuerat ὅσον τάξῃ τις.

Quae pronominum, etiam adverbiorum ratio est. Euripides Electra 972.

ὅπου δ᾽ Ἀπόλλων σκαιὸς ᾖ, τίνες σοφοί;

Affert hoc exemplum Porsonus ad Orest. 141. amare tragicos hanc constructionem suppressa particula ἂν dicens: adiicitque aliud exemplum, quod ut Sophoclis citat, Valckenarii, opinor, iudicium sequutus, ex Plutarch. de aud. poet. p. 34. A. et Amator. p. 767. A.

Α. πρὸς θῆλυ νεύει μᾶλλον, ἢ πὶ τἄρσενα;
Β. ὅπου προσῇ τὸ κάλλος, ἀμφιδέξιος.

Adde Aeschylum Suppl. 129.

θεοῖς δ' ἐναγέα τέλεα, πελομένων καλῶς,
ἐπίδρομ', ὁπόθι θάνατος ἀπῇ.

Eodem pertinet *ἵνα* in his apud Plutarchum de garrulitate p. 514. A. *φίλαυτος γὰρ ὢν καὶ φιλόδοξος ὁ τοιοῦτος,*

νέμει τὸ πλεῖστον ἡμέρας τούτῳ μέρος,
ἵν' αὐτὸς αὑτοῦ τυγχάνῃ κράτιστος ὤν.

XI.

De particula ἄν cum coniunctivo in sententiis finalibus.

Nihil difficultatis habent sententiae quas brevitatis caussa finales dicimus, i. e. quibus finis et consilium indicatur. His efficiendis inserviunt particulae *ὄφρα*, *ὅπως*, *ὡς*, *ἵνα*. Significant autem *ὅπως* et *ὡς* proprie *ut*, i. e. *quo pacto*. Eae particulae indicativis iunguntur cuiusvis temporis, quum esse quid, vel futurum esse putamus; coniunctivis autem, quum vereri quem indicamus, ne quid sit aut non sit. Aristoph. Ach. 343.

ἀλλ' ὅπως μὴ 'ν τοῖς τρίβωσιν ἐγκάθηνταί που λίθοι.

Aeschylus in Prometheo v. 68.

ὅπως μὴ σαυτὸν οἰκτιεῖς ποτέ.

Sed Sophocles in Aiace v. 1089.

καί σοι προφωνῶ τόνδε μὴ θάπτειν, ὅπως
μὴ τόνδε θάπτων, αὐτὸς εἰς ταφὰς πέσῃς.

Non potuit hic *πεσεῖ* dicere. Non enim hoc futurum esse putat, sed verendum esse dicit Teucro, si audeat sepelire Aiacem. Plato Phaedone p. 77. B. *ἀλλ' ἔτι ἐνέστηκεν, ὃ νῦν δὴ Κέβης ἔλεγε, τὸ τῶν πολλῶν, ὅπως μὴ ἅμα ἀποθνήσκοντος τοῦ ἀνθρώπου διασκεδάννυται ἡ ψυχή, καὶ αὐτῇ τοῦ εἶναι τοῦτο τέλος ᾖ.* *At obstat*, inquit, *vulgare illud, verentium, ne moriente homine dispereat etiam anima, et esse desinat.* Sed paullo post eadem

pagina, D. etsi addito timendi verbo, aliter loquitur: *ὅμως δέ μοι δοκεῖς σύ τε καὶ Σιμμίας ἡδέως ἂν καὶ τοῦτον διαπραγματεύσασθαι τὸν λόγον ἔτι μᾶλλον, καὶ δεδιέναι, τὸ τῶν παίδων, μὴ ὡς ἀληθῶς ὁ ἄνεμος αὐτὴν ἐκβαίνουσαν ἐκ τοῦ σώματος διαφυσᾷ καὶ διασκεδάννυσι.* Vbi vel additum *ὡς ἀληθῶς* indicat, non tam de metu, quam de opinione cogitari. *Μὴ* particula autem eamdem rationem habet, de qua dixi ad Aiacem v. 272. Ex quo apparet, falli Heindorfium, qui p. 94. *διασκεδάννυσι* et *διαφυσᾷ* coniunctivos esse putavit, ut coniunctivus est *διασκεδάννυται*, producta penultima.

Igitur consilii indicandi caussa quum particulae *ὡς* et *ὅπως* coniunctivo consociantur, si deest *ἄν*, simpliciter enunciatur consilium; si adiicitur, aliquid fortuiti accedit, quasi dicas *ut sit*, *si sit*. In primis idoneus est ad hanc rem demonstrandam Aeschyli locus in Choeph. 983.

ἐκτείνατ' αὐτὸν καὶ κύκλῳ παρασταδὸν
στέγαστρον ἀνδρῶν δείξαθ', ὡς ἴδῃ πατὴρ
οὐχ οὑμός, ἀλλ' ὁ πάντ' ἐποπτεύων τάδε
Ἥλιος ἄναγνα μητρὸς ἔργα τῆς ἐμῆς,
ὡς ἂν παρῇ μοι μάρτυς ἐν δίκῃ ποτέ,
ὡς τόνδ' ἐγὼ μετῆλθον ἐνδίκως μόρον
τὸν μητρός.

Ostendite velamen, ut videat Sol, is ut mihi, si forte, *testis adsit in iudicio.* Nam expansum velamen Sol non potest non videre, iudicium autem nondum ita certo imminet, ut tam confidenter de edendo testimonio loqui possit. Itaque *ὡς ἴδῃ* dicit, quia hoc ipsum certo consequuturum intelligit ut videat Sol; sed *ὡς ἂν μάρτυς παρῇ*, quia id sic tantum vult, si opus aut necessarium sit. Ita *ὡς* sine *ἄν* dictum invenitur apud eumdem poetam S. ad Theb. 633. Pers. 694. Agam. 1302. Choeph. 733. 765. 769. Eum. 616. 632. 641. 774. Suppl. 328. 492. Cum particula *ἄν* autem Prom. 10. 655. 705. Choeph. 18. 554. Suppl. 502. 527. Omnibus his in locis, qui attendere voluerit, facile intelliget, cur vel addita vel omissa sit particula.

luvabit duo exempla eiusdem formulae considerare. In Choeph. **437**.

ἐμασχαλίσθη δέ γ', ὡς τόδ' εἰδῇς.

Debuit hic omitti *ἄν*, quia sensus est, *hoc te scire volo.* Sed in Suppl. **937**.

ἀλλ' ὡς ἂν εἰδῇς, ἐννέπω σαφέστερον,

patet hunc sensum esse, *scias licet.* Sic in Prometheo **823**. cum *ὅπως*,

ὅπως δ' ἂν εἰδῇ μὴ μάτην κλύουσά μου.

Aristoph. Plut. **112**.

σὺ δ' ὡς ἂν εἰδῇς ὅσα, παρ' ἡμῖν ἢν μένῃς,
γενήσετ' ἀγαθά, πρόσεχε τὸν νοῦν, ἵνα πύθῃ.

Et *ὅπως* quidem sine *ἂν* posuit Aeschylus Pers. **667**. Agam. **1656**. Choeph. **873**. Addita particula autem Choeph. **578**. Eum. **576**. **1033**. Suppl. **241**. Ita *ὡς ἄν* apud Herodotum I. **5**. **11**. **24**. **36**. III. **85**. VIII. **7**. IX. **7**, **2**. et *ὅκως ἄν* I. **20**. vide Heindorfium ad Plat. Phaedon. p. **15**. et Protag. **497**.

Saepe non multum interest, addaturne *ἄν*, an omittatur. Aristoph. Thesm. **284**.

ὦ Θρᾷττα, τὴν κίστην κάθελε, κἄτ' ἔξελε
πόπανον, ὅπως λαβοῦσα θύσω ταῖν θεαῖν.

Ran. **871**.

ἴθι νῦν λιβανωτὸν δεῦρό τις καὶ πῦρ δότω,
ὅπως ἂν εὔξωμαι πρὸ τῶν σοφισμάτων.

Alios Aristophanis locos *ἄν* additam habentes vide apud Heindorfium ad Plat. Phaedon. p. **15**. quibus adde Plut. **225**. Vesp. **113**. Non est tamen dissimulandum, inveniri locos quosdam, in quibus mirere additum esse *ἄν*. Quod etsi fortasse aliquando negligentia quadam scriptorum factum est, tamen plerumque caussa, cur addiderint, potest inveniri. Aeschines in Ctesiph. p. **430**. s. (**471**. §. **39**.)

lege iuberi dicit prytanes *τοὺς μὲν ἀναιρεῖν τῶν νόμων, τοὺς δὲ καταλείπειν, ὅπως ἂν εἷς ᾖ νόμος, καὶ μὴ πλείους περὶ ἑκάστης πράξεως.* Nullus liber omittit particulam *ἄν*, et tamen fatendum erit valde eam inutilem esse, quum finis indicetur certissimus, *ut una lex sit.* Sed videtur Aeschines propter sequentia, *καὶ μὴ πλείους*, posuisse: et ita recte dixit: *ne forte plures sint.* Paullo aliter Demosthenes de Symmor. p. 184, 9. *εἶτ' ἐπικληρῶσαι τὰς τριττῦς, ὅπως ἂν, τῶν μὲν ὅλων νεωρίων, ἓν ἑκάστης μέρος ᾖ τῶν φυλῶν· τοῦ δὲ μέρους ἑκάστου τὸ τρίτον μέρος ᾖ τριττὺς ἔχῃ· εἰδῆτε δ', ἄν τι δέῃ, πρῶτον μὲν τὴν φύλην, ὅπου τέτακται· μετὰ ταῦτα δὲ τὴν τριττύν· εἶτα τριήραρχοι τίνες, καὶ τριήρεις πόσαι· καὶ τριάκοντα μὲν ἡ φυλή, δέκα δ' ἡ τριττὺς ἑκάστη τριήρεις ἔχῃ.* Qui sic loqui videtur quod haec ipse proponit et suadet, ut dubium sit adhuc, an facturi sint Athenienses. Apud Nicolaum Damascenum p. 245. in Corais Prodromo, ut ferri possit *ἄν*, aptius tamen abesset: *καί μ' εἰς τοῦτο μόνον ἤρθρωσαν οἱ θεοί, ὅπως ἂν ὀδύρωμαι τὰς ἡμετέρας τύχας.* Atque omisit in eadem sententia Euripides Hec. 236.

> *οὐδ' ὤλεσέν με Ζεύς, τρέφει δ', ὅπως ὁρῶ*
> *κακῶν κάκ' ἄλλα μείζον' ἢ τάλαιν ἐγώ.*

Quo clarius haec intelligi possint, operae pretium duxi etiam Sophoclis atque Euripidis locos, in quibus ὡς et ὅπως vel nudae, vel coniunctae cum *ἄν* inveniuntur, indicare, ut, qui rem exemplis comprobatam videre velint, habeant idoneam copiam. Atque ὡς nudum cum coniunctivo exstat in Soph. Ai. 13. 67. 530. 570. 733. 744. 827. 1003. Electr. 889. 1166. 1440. Oed. R. 359. Antig. 643. Oed. Col. 11. 399. 783. 785. 889. 902. 1130. 1278. 1390. 1524. Trach. 333. 493. 678. 1067. 1149. 1253. Philoct. 24. 534. 559. 635. 653. 1206. Apud Euripidem Hec. 47. 89. 175. 508. 536. 550. 896. 959. 1021. 1130. 1177. 1245. Orest. 265. 446. 629. 732. 795. 797. 1350. 1596. Phoen. 788. 1650. 1675. 1687. Med. 461. 783. 1315. 1380. Hippol. 296. 420. 629. 809. 825.

1265. Alcest. 75. 723. Androm. 414. 425. 1074. Suppl. 38. 121. 174. 206. 235. 360. 451. 578. 815. Iph. A. 1340. 1484. Iph. T. 171. 290. 469. 1030. 1177. 1361. 1428. Rhes. 50. ubi *ἄν* metri indicio delendum. Troad. 20. 58. 295. 508. 714. 912. 978. 1143. 1154. 1268. 1276. Bacch. 61. 1106. 1201. 1212. 1257. 1321. Cycl. 131. 143. 152. 341. 543. 615. 623. 648. Hel. 145. 340. 641. 873. (ubi scribendum videtur *δεξώμεθα*) 891. 983. 1003. 1451. 1455. Ione 35. 71. 79. 177. 388. 728. 1112. 1180. 1420. 1569. Herc. f. 40. 323. 731. 1219. 1244. 1255. 1406. Electr. 58. 72. 100. 250. 758. 792. 894. 960. 1132. Dan. 42. Multo rarius est *ὅπως* nudum cum coniunctivo. Sophocles Ai. 6. 698. 1089. Electr. 56. 390. 391. 457. 635. 688. 955. 1121. 1205. 1402. 1468. Oed. R. 921. Antig. 776. 1333. Oed. Col. 398. 399. Trach. 335. 602. Philoct. 238. Euripides Hec. 232. Or. 1354. 1585. Phoen. 1328. Suppl. 234. Iph. A. 428. 881. Iph. T. 1461. Cum his locis comparent, qui hoc agunt, hos, in quibus *ὡς ἄν ut* significat, Sophoclis in Ai. 655. Oed. Col. 72. Philoct. 129. 826. Euripidis in Hec. 330. Or. 533. 1099. 1562. Phoen. 92. 1004. Hipp. 1314. Alc. 743. Andr. 716. 1254. Iph. A. 618. 1426. Iph. T. 1067. Rhes. 72. 420. 473. Troad. 85. 1263. Bacch. 356. 510. Cycl. 155. 630. Hel. 1198. 1427. 1538. Ion. 77. Herc. f. 725. 838. et *ὅπως ἄν* Soph. El. 41. Oed. Col. 575. Trach. 618. Eurip. Phoen. 760. Med. 939. Hipp. 111. 286. Alc. 782. Iph. A. 539. Rhes. 878. Heracl. 337. Hel. 748. 899. Quod si recte supra indicavimus, quid intersit, addaturne an omittatur *ἄν*, facile dabitur nobis, recte nos emendasse in Bacchis 1236.

φέρω δ' ἐν ὠλέναισιν, ὡς ὁρᾷς, τάδε
λαβοῦσα τἀριστεῖα, σοῖσι πρὸς δόμοις
ὡς ἀγκρεμασθῇ.

ubi *ὡς ἂν κρεμασθῇ* legebatur.

XII.

De ὅπως et ὅπως μὴ cum futuro vel coniunctivo, item de οὐκ ἔχω ὅπως et similibus.

Quae Dawesius de constructione particularum ὅπως μὴ disseruit, ad quem magnam vim exemplorum, sed admixtis alienis congessit Kiddius, commemorando usui magis et confirmando, quam explicando atque a dubitationibus liberando sunt. Vt indicativus veritatem rei notat, ita coniunctivus pendere quid ex alia re indicat, eoque fieri, si illud fiat. Ita in oratione recta, qui πῶς λήψομαι dicit, nescire se indicat, quomodo quid accepturus sit. Qui ille modus sit, quo accipiet, facto cognoscet. Sed qui dicit πῶς λάβω, dubitare se significat, quomodo capere quid debeat i. e. quid sibi faciendum sit, ut capiat. Eadem ratione differunt ὅπως λήψομαι et ὅπως λάβω. Nam qui facit quid ὅπως λήψεται, facit id eo modo, quo accipiet: ex quo patet esse accepturum: qui autem ὅπως λάβῃ, eo modo, quo debeat accipere: quod est cum dubitatione coniunctum, an non sit accepturus. Praeterea indicativus certam habet temporis notationem, quae in ipso cuiusque indicativi tempore inest: nam etiam praeteriti et praesentis indicativus usurpatur: coniunctivus autem, quia non quid fiat, sed quid debeat fieri significat, per se caret notatione temporis, semperque refertur ad tempus verbi primarii, tamquam ad praesens suum, quia quidquid debet fieri, eius caussae iam adesse debent cum ea ipsa re, propter quam fieri debet, etiamsi nondum sit factum. Itaque indicativi et coniunctivi cum ὅπως constructiones eo differunt, quod indicativus opinionem aut voluntatem, certa temporis notatione adiuncta, coniunctivus autem metum vel dubitationem, carentem notatione temporis, sed praesentem eo tempore, quod in principali verbo est, continet.

Sed quoniam varius est usus particulae ὅπως, quae etsi proprie ubique *quomodo* significat, tamen non ubique ita verti potest, ea afferam, quae potissima sunt in hoc

genere. Ac maxime simplicia sunt talia, ut Aeschyli in Prom. 641.

οὐκ οἶδ' ὅπως ὑμῖν ἀπιστῆσαί με χρή.

Euripidis in Iph. T. 684.

οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ χρὴ συνεκπνεῦσαί μέ σοι.

Sophoclis in Antig. 329.

οὐκ ἔσθ' ὅπως ὄψει σὺ δεῦρ' ἐλθόντα με.

Apparet in his certa opinionis declaratio: οὐ χρή με ὑμῖν ἀπιστῆσαι· χρή με συνεκπνεῦσαί σοι· οὐκ ὄψει με δεῦρ' ἐλθόντα. Ita ἔσθ' ὅπως cum futuro in Oed. Col. 1372. in Philoct. 522. in Phoenissis 1664. in Medea 171. in Hippolyto 604. in Heraclid. 707. et ἔσται in Med. 1060. Saepe vero etiam alia verba. Sophocles Oed. R. 1058.

οὐκ ἂν γένοιτο τοῦθ', ὅπως ἐγὼ λαβὼν
σημεῖα τοιαῦτ', οὐ φανῶ τοὐμὸν γένος.

Alia vide in Ai. 556. 1040. Electr. 1296. Oed. R. 406. 1518. Oed. Col. 1742. Trach. 455. Phil. 55. 77. Med. 322. Iph. T. 1051. Heracl. 421. 1051. Ion. 573. Herc. f. 315. Iure coniunctivus expulsus est in Oed. R. 1074.

δέδοιχ' ὅπως
μὴ 'κ τῆς σιωπῆς τῆσδ' ἀναῤῥήξει κακά.

Recte etiam Monkius in Hippol. 518. ductu cod. Flor. dedit:

δέδοιχ' ὅπως μοι μὴ λίαν φανεῖ σοφή,

et Elmsleius in Heracl. 249.

ὅμως δὲ καὶ νῦν μὴ τρέσῃς ὅπως σέ τις
σὺν παισὶ βωμοῦ τοῦδ' ἀποσπάσει βίᾳ.

Eiusdem generis haec quoque sunt: in eadem fabula v. 1051.

μὴ γὰρ ἐλπίσῃς ὅπως
αὖθις πατρῴας ζῶν ἔμ' ἐκβαλεῖς χθονός.

Sophocis in Electr. 963.

καὶ τῶνδε μέντοι μηκέτ' ἐλπίσῃς ὅπως
τεύξει πότ'.

In Aiace 567.

κείνῳ τ' ἐμὴν ἀγγείλατ' ἐντολήν, ὅπως
τῶν παῖδα τόνδε πρὸς δόμους ἐμοὺς ἄγων
Τελαμῶνι δείξει, μητρί τ', Ἐριβοίᾳ λέγω.

In Trach. 604.

φράζ' ὅπως μηδεὶς βροτῶν
κείνου πάροιθεν ἀμφιδύσεται χροΐ,
μηδ' ὄψεταί νιν μήτε φέγγος ἡλίου,
μήθ' ἕρκος ἱερόν, μήτ' ἐφέστιον σέλας.

Proximum his illud genus est, quod in adhortando usurpatur, verbo, unde ὅπως pendeat, omisso: ut in Cyclope 591.

ἀλλ' ὅπως ἀνὴρ ἔσει.

i. e. proprie, *vide*, *quomodo vir futurus sis*. Confer v. 626. et Orest. 1060. Herc. f. 504. Soph. Oed. R. 1518. Frequentissima haec ratio loquendi est, semperque habet futurum. Refertur enim ad opinionem rei futurae, cuius fieri volumus contrarium. Ita quod Euripides habet in Bacchis 367.

Πενθεὺς δ' ὅπως μὴ πένθος εἰσοίσει δόμοις
τοῖς σοῖσι, Κάδμε,

sic est dictum, ut cogitetur, illatum iri luctum a Pentheo, ac proinde videndum esse, quomodo id irritum reddendum sit. Quod si εἰσφέρῃ scripsisset, metus tantum significaretur et dubitatio, utrum illaturus sit luctum, an non, propterea que cavendum esse, ne possit inferre. Haec si inter ipsa compares, futuro posito hoc habebis: *inferet luctum: tu vide, quomodo non inferet;* in coniunctivo autem: *potest inferre luctum: vide quomodo possit non inferre*, i. e. quomodo debeat cohiberi ab inferendo.

Ex his intelligitur, non promiscue futurum et con-

iunctivum usurpari posse, sed certam cuique rationem esse. Vt in Soph. Oed. R. 325.

ὡς οὖν μηδ' ἐγὼ ταὐτὸν πάθω.

recte sic dictum est. Veretur enim Tiresias, ne, si dicat, quod dici vult Oedipus, laedat illum: quamobrem tacere mavult. Quod si dixisset, ὡς οὖν μηδ' ἐγὼ ταὐτὸν πείσομαι, hoc significasset *idem mihi, quod tibi, accidet: videndum ergo, quomodo non evitem.* Id vero tum recte potuisset dicere, si in animo haberet respondere ad ea, quae interrogaverat Oedipus, etsi videret, non posse illum non laedi ea re. Vide quae initio cap. XI. attulimus Sic Herodotus VI. 85. τί βούλεσθε ποιέειν, ἄνδρες Αἰγινῆται; τὸν βασιλέα τῶν Σπαρτιητέων ἔκδοτον γενόμενον ὑπὸ τῶν πολιητέων ἄγειν; εἰ νῦν ὀργῇ χρεώμενοι ἔγνωσαν οὕτω Σπαρτιῆται, ὅκως ἐξ ὑστέρης μή τι ὑμῖν, ἢν ταῦτα πρήσσητε, πανώλεθρον κακὸν ἐς τὴν χώραν ἐμβάλωσι. Nam haec quoque non tam monentis, quam metuentis sunt. Non pertinet huc illud in Antigona 215.

ὡς ἂν σκοποὶ νῦν ἦτε τῶν εἰρημένων.

Nam si iuberet, diceret, ὅπως ἔσεσθε σκοποί: quum vellet dicere, ὡς ἂν σκοποὶ ἦτε τῶν εἰρημένων, καὶ μὴ ἐπιχωρῆτε τοῖς ἀπιστοῦσιν τάδε, ἵστε τὸν παραβάντα θανούμενον, interrumpuntur haec chori dictis, et proinde aliter conformatur reliqua pars orationis. *) Neque in Herc. f. 1401. quod legitur, ad hoc genus pertinet,

παίδων στερηθείς, παῖδ' ὅπως ἔχω σ' ἐμόν.

Vbi si ἕξω scriptum esset, verba hunc sensum praeberent: *liberis orbatus, quomodo te habiturus sim filium, vide.* Sed ita si loqueretur Hercules, adhortaretur sese, ut filii loco Theseum haberet: quod melius conveniret, si ea re Theseo potius, quam ipsi consuleretur. Nunc vero aut indicativus est ἔχω, hoc sensu: *liberis orbatus te tam-*

*) Vide adnotata in ed. tertia Antigonae.

quam filium meum habeo; aut, si coniunctivus, interrogative haec dicta sint necesse est: *ut te meum habeam filium?* scilicet, ita benevolus es.

Itaque in deliberatione, quae semper est cum dubitatione coniuncta, non nisi coniunctivus usurpatur. Sophocles Ai. 428.

οὗτοι σ᾽ ἀπείργειν οὔθ᾽ ὅπως ἐῶ λέγειν
ἔχω, κακοῖς τοιοῖσδε συμπεπτωκότα.

Oed. R. 1367.

οὐκ οἶδ᾽ ὅπως σε φῶ βεβουλεῦσθαι καλῶς.

Vide Aeschyl. Agam. 1367. Soph. Ai. 514. Eurip. Hec. 585. Orest. 720. Phoen. 386. Alc. 118. Hipp. 1091. Iph. A. 643. 1454. Iph. T. 995. Troad. 712. Hel. 637. Herc. f. 1245. Eadem ratio est interrogationis, ut quae in rectam orationem reducta negationem sit habitura: vide Aristoph. Eq. 1320. Pac. 521. Interdum coniunctivus et futurum coniunguntur, sed eo quo par est discrimine. Eurip. Med. 1098.

οἷσι δὲ τέκνων ἐστὶν ἐν οἴκοις
γλυκερὸν βλάστημ᾽, ἐσορῶ μελέτῃ
κατατρυχομένους τὸν ἅπαντα χρόνον,
πρῶτον μέν, ὅπως θρέψωσι καλῶς,
βιοτόν θ᾽ ὁπόθεν λείψουσι τέκνοις.

Solliciti sunt, quomodo educare debeant liberos, et unde victum sint relicturi. Non recte neque *θρέψουσι,* neque *λίπωσι* dixisset: non *θρέψουσι*, quia res anceps est et dubitationis ac deliberationis plena, educatio liberorum; non *λίπωσι,* quia de relinquendis facultatibus nulla est dubitatio, sed de eo, unde parandae sint. Itaque *κτήσωνται* recte dixisset, si operam quaerendis opibus navandam in mente habuisset: sed potuerat etiam *κτήσονται*, si illud, unde futurae essent opes. In Eurip. Hel. 637. scribe:

οὐκ οἶδ᾽ ὁποίου πρῶτον ἄρξωμαι τανῦν.

Sed memorabile est, huic coniunctivo deliberativo non esse locum nisi in sententia aliquam negationem continente. Quod etsi minime mirum est, tamen, quoniam saepe recondita latet illa negatio, effugit haec ratio diligentiam virorum doctorum. At omnis deliberatio est dubitantis, quod est nescientis quid eligat. Vnde *οὐκ ἔχω, ἀπορῶ, ἀμφιςβητῶ*, aut simile quid ubique subest. Vt apud Aeschylum Prom. 779.

ἑλοῦ γὰρ ἢ τὰ λοιπά σοι
φράσω σαφηνῶς, ἢ τὸν ἐκλύσοντ᾽ ἐμέ.

Nec mirum. Quum enim excultus sermo Graecorum, ut supra dictum, coniunctivo non utatur in sententia finali, nisi particula finali addita, migraretur ea norma, si affirmatione praegressa deliberativus coniunctivus poneretur: ut *ἔχω ὅ τι φῶ*, *habeo quod dicam*. Haec enim iam non deliberatio, neque conditionalis sententia est, qualis *οὐκ ἔχω ὅ τι φῶ*, sed finalis. Diximus enim in omni sententia conditionali per coniunctivum significari futurum exactum: eo autem illud, quod primario verbo continetur, posterius esse debet, ut *ἐὰν θέλῃς, λέξω*. Haec si ad illud transferas, *οὐκ ἔχω ὅ τι φῶ*, recte se habebit oratio. Nam *ὅ τι φῶ* proprie est *quod dicere repertus sim:* id igitur nondum constat, sed exspectandum demum est, an quis dicere reperiatur: itaque ei recte illud ipsum additur, *οὐκ ἔχω*. At si dicas *ἔχω ὅτι φῶ*, repugnabunt haec sibi. Nam quum *ὅ τι φῶ* dicis, id ut futurum, idque incertum ponis; quum autem *ἔχω* adiicis, iam praesens et certum esse dicis illud, quod ex ista futura re pendeat, veluti si dicas: *habeo, quod dixero.* Omninoque in eo, quod est *habeo quod dicam*, nihil inest deliberationis: unde ne verbi quidem modo, qui deliberationi inservit, locus est. Itaque non sic loquuntur Graeci, sed aut futurum adhibent, aut aliam figuram: planeque comparari potest *πρίν*, quod non nisi negatione praegressa cum verbo recto construitur: de qua re dixi ad Eurip. Med. 215. et Reisigius in diss. de particula *ἄν* p. 105. seq. Edidit quidem Bekkerus apud Platonem in Phaedro p. 255. E. *ἐν οὖν τῇ*

συγκοιμήσει τοῦ μὲν ἐραστοῦ ὁ ἀκόλαστος ἵππος ἔχει ὅ τι λέγῃ πρὸς τὸν ἐραστήν, καὶ ἀξιοῖ ἀντὶ πολλῶν πόνων σμικρὰ ἀπολαῦσαι· et apud Lysiam contra Andoc. p. **254.** (**106.** vel **238.** Reisk.) *ἴσως οὖν καὶ Κηφισίου ἀντικατηγορήσει καὶ ἕξει ὅ τι λέγῃ·* sed utrumque ex coniectura. Vtrubique vulgo *λέγοι*, sed libri scripti Lysiae et longe plurimi optimique codd. Platonis *λέγει*. Vnde utrique scriptori *ὅ τι λέγειν* restituendum videtur. Vide Soph. Oed. Col. **48.** et quae ibi adnotata sunt. Aristophanes vero recte dixit in Vesp. **945.**

ἀλλ' οὐκ ἔχειν οὕτός γ' ἔοικεν ὅ τι λέγῃ.

et ipse Plato in Lys. p. **222.** extr. *ἀλλ' εἰ μηδὲν τούτων φίλον ἐστίν, ἐγὼ μὲν οὐκέτι ἔχω τί λέγω.* Et Demosthenes p. **378, 5.** *οὐ γὰρ δὴ δι' ἀπορίαν γε οὐ φήσεις ἔχειν ὅ τι εἴπῃς*, ut ex codd. pro *εἴποις* dedit Bekkerus. Apud Thucydidem VII. **25.** legitur de navibus Syracusanis: *καὶ αὐτῶν μία μὲν ἐς Πελοπόννησον ᾤχετο, πρέσβεις ἄγουσα, οἵπερ τά τε σφέτερα φράσωσιν ὅτι ἐν ἐλπίσιν εἰσί, καὶ τὸν ἐκεῖ πόλεμον μᾶλλον ἐποτρύνωσι γίγνεσθαι.* At vel propter additum *πέρ* pronomen illud ferri nequit: ortum est e male lecto compendio particulae *ὅπως*, quam pauci quidem codices, sed illi haud dubie recte praebent. Valde differt ab hoc in eodem libro c. **7.** illud: *πρέσβεις τε ἄλλοι τῶν Συρακοσίων καὶ Κορινθίων ἐς Λακεδαίμονα καὶ Κόρινθον ἀπεστάλησαν, ὅπως στρατιὰ ἔτι περαιωθῇ τρόπῳ ᾧ ἂν ἐν ὁλκάσιν ἢ πλοίοις ἢ ἄλλως ὅπως ἂν προχωρῇ.* Non enim finis, sed conditio indicatur, *quocumque modo res procedere visa fuerit.*

Rarius est *ὅπως* cum futuro in eiusmodi locis, in quibus necessario per *ut* vertendum est. Sophocles Phil. **1068.**

χώρει σύ· μὴ πρόσλευσσε, γενναῖός περ ὤν·
ἡμῶν ὅπως μὴ τὴν τύχην διαφθερεῖς.

Eurip. Iph. T. **321.**

Πυλάδη, θανούμεθ'· ἀλλ', ὅπως θανούμεθα
κάλλιστ', ἔπου μοι, φάσγανον σπάσας χερί.

Cycl. 558.

ἀπομυκτέον δὲ σοί γ', ὅπως λήψει πιεῖν.

Electr. 835.

οὐχ, ὅπως πευστηρίαν
θοινασόμεσθα, Φθιάδ' ἀντὶ Δωρικῆς
οἴσει τις ἡμιν κοπίδα;

Fallatur vero, qui perinde esse putet, utrum futuro quis an coniunctivo utatur. Nam in hoc quoque genere indicativi haec vis est, ut ad certam opinionem voluntatemve referatur. Et quemadmodum multis in rebus, ita in hac quoque Germanica lingua cum Graeca convenit, coniunctivo atque indicativo utens eadem cum sententiae diversitate, nisi quod pro futuro praesentis indicativum usurpat. Declarabo rem eo exemplo, quod e Cyclope attuli. Si dixisset *ὅπως λάβῃς πιεῖν*, nihil aliud quam consilium indicasset, quo ille emungi deberet, ut poculum acciperet. Illud vero plane incertum relinqueretur, an deinde vere esset accepturus. At quum dicit *ὅπως λήψει πιεῖν*, simul significat esse accepturum.

XIII.

De ἵνα et ἵν' ἄν cum coniunctivo.

Permirum in hac quaestione illud accidit, quod, quum *ὡς* et *ὅπως ut* significantes saepissime cum particula *ἄν* coniungantur, non fit idem in particula *ἵνα*, quae tam constanter sine *ἄν* usurpatur, ut, sicubi adiectum reperiatur *ἄν*, non immerito in vitii suspicionem incurrat. Brunckium enim, qui ad Oed. Col. 188. *ἵν' ἄν*, *ὡς ἄν*, *ὅπως ἄν*, *ut* significantes, passim obvias esse scribit, memoria, quod ad *ἵν' ἄν* attinet, fefellit. Quis tamen casu, ac non potius ratione quadam factum putabit, ut *ἄν* non eamdem cum *ἵνα*, quam cum *ὅπως* et *ὡς* societatem inierit? Quod si qua est huius rei ratio, non potest ea non in ipsa natura particulae *ἵνα* inesse. Cuius originem aliqua ex parte bene explicuit Hoogeveenus, quum eam vidit ad pronomen re-

lativum, cui τίς respondet, esse referendam. Ex eo enim pronomine derivatum adverbium ἵνα, *ubi* significans. Nam Porsoni coniectura, in Miscellaneis eius a Kiddio p. 302. prodita, ἵνα esse ἐν ᾗ, i. e. ἐν ᾗ, rectius oblivioni esset tradita. Est autem ἵνα tantummodo relativum, neque interrogationi non obliquae adhiberi potest: quod recte monuit Elmsleius ad Oed. R. 1515. Nam in ea fabula quod v. 946. legitur,

ὦ θεῶν μαντεύματα,
ἵν' ἐστέ,

non est interrogantis, sed oblique exclamantis, sicuti in eo genere ὡς, non πῶς dicitur. Itaque recte scholiastes, ὅπου ἐστέ.

Construitur autem ἵνα *ubi* significans, ut consentaneum est, cum indicativis omnium temporum, neque tantum apud poetas, sed etiam apud scriptores prosae orationis. Sed illa loci significatio est ubi latius pateat, minusque definita sit, ut Odyss. ζ. 27.

σοὶ δὲ γάμος σχεδόν ἐστιν, ἵνα χρὴ καλὰ μὲν αὐτὴν
ἔννυσθαι, τὰ δὲ τοῖσι παρασχεῖν, οἵ κέ σ' ἄγωνται.

Hic quidem certe ad nuptias ita refertur, ut de tempore potius quam de loco sit cogitandum. Et sic etiam Iliad. η. 353. de quo loco mox dicetur. Nec mirum quum omnibus in linguis loci adverbia etiam ad tempus transferri soleant. Et *ubi* quidem quum significat vox illa, etiam cum particula ἄν coniungitur, ut sit *ubicumque*. Eurip. Ion. 315.

ἅπαν θεοῦ μοι δῶμ', ἵν' ἂν λάβῃ μ' ὕπνος.

Aristoph. Plut. 1151.

πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ', ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ.

Nub. 1232.

καὶ ταῦτ' ἐθελήσεις ἀπομόσαι μοι τοὺς θεούς,
ἵν' ἂν κελεύσω 'γώ σε.

quem locum non debebat sollicitare Reisigius. Illud vero

mirum, ac potius incredibile, quod placuit grammaticis, significare *ἵνα* etiam *ibi* in illis Iliad. *κ*. 126.

ἀλλ᾽ ἴομεν· κείνους δὲ κιχησόμεθα πρὸ πυλάων
ἐν φυλάκεσσ᾽· ἵνα γάρ σφιν ἐπέφραδον ἠγερέεσθαι.

Quod unicum est huius significatus exemplum, sed illud, ut ego quidem existimo, vetusto errore depravatum. Quis enim, qui cognitam habeat epicorum dictionem, dubitabit, quin poeta dixerit, *ἵνα πέρ σφιν ἐπέφραδον ἠγερέεσθαι?*

Ac nescio an haud minor perversitas in illo sit, Il. *η*. 352.

τῷ οὔ νύ τι κέρδιον ἡμῖν
ἔλπομαι ἐκτελέεσθαι, ἵνα μὴ ῥέξομεν ὧδε,

ubi *ἵνα* significare volunt *ἐάν*. Quod etsi fieri potuit, licebat enim dici *ὅπου*: tamen propter finalem potestatem, quam *ἵνα* cum coniunctivo habere solet, valde ambiguum est. Ei rei prospexit Aristarchus, qui *ἵν᾽ ἂν* scripsit, versu cum aliis grammaticis propter insolentiam dictionis damnato, ut schol. Ven. et Vict. ap. Heyn. vol. V. p. 724. testantur. Nec videtur ille temere aut sine exemplis ita statuisse. Certe quod est in Archilochi fragmento apud Stobaeum CX. 10. sive p. 100. ed. sec. Liebelii,

μηδεὶς ἔθ᾽ ὑμῶν εἰσορῶν θαυμαζέτω,
μηδ᾽ ἵνα δελφῖσι θῆρες ἀνταμείψωνται νομὸν
ἐνάλιον,

in eo videtur *ἵν᾽ ἂν* potius scribendum esse, quam quod Valckenario ad Phoen. 1448. placuit, *ἐάν*. Apud Aristophanem Ran. 175. vulgo,

ἐπίμεινον, ὦ δαιμόνι᾽, ἐὰν ξυμβῶ τί σοι.

Scholiastes: *ἐὰν ξυμβῶ σοι. γράφεται δὲ καὶ ἵνα. ἵνα ξυμφωνήσω σοι. ἔλεγον δὲ τὸ ἵνα ἀντὶ τοῦ ἐάν. καὶ Ὅμηρος· ἵνα μὴ ῥέξωμεν ὧδε.* Ita scribendum. Ac legitur *ἵνα ξυμβῶ* in codd. quibusdam, in quibus esse Ravennas dicitur, et in Etym. M. p. 734, 30. Sed *ἵν᾽ ἂν* in textu Baroccianus et Venetus, optimus codex. Ad sensum

aptius est ἐὰν quam ἵνα, *ut*. Sed ἵν' ἄν quum sit fere idem quod ἐάν, videtur id exquisitius esse. Eodem modo nos *wofern*.

Invenitur autem ἵνα, *ubi* significans, ut par est in re praeterita etiam cum optativo constructum apud Callimachum h. Dian. 27.

πολλὰς δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας
μέχρις ἵνα ψαύσειεν.

Altera significatio huius voculae est *ut*, sed ea non nihil differens ab ὡς. Nam proprius eius maximeque frequens usus est, quum quid obiter et exempli caussa affertur: tum simpliciter fini consilioque indicando inservit: sed apud antiquiores et melioris notae scriptores non usurpatur comparationis caussa, sive praegresso οὕτως, sive non praegresso; ut sit, *ita ut:* quod labante demum flore linguae admissum invenitur, ut apud Plutarchum Apophthegm. Reg. p. 179. B. aliosque recentiores: v. Dorvill. ad Charit. p. 562. (544. ed. Lips.) Observant autem grammatici, quum *ut* significat ἵνα, non construi a probatis scriptoribus cum indicativo futuri, quod genus constructionis πάνυ ἀμαθὲς vocat Thomas M. Nec profecto qui eam constructionem defendere conati sunt, ut Abreschius in Misc. Obss. nov. I. 3, 14. Dorvillius ad Char. p. 460. (480. ed. Lips.) Toup. Opusc. I. p. 438. II. p. 257. Ernestius ad Callim. h. Cer. 138. quidquam aliud quam aut corruptos aut recentiorum parumque probabilium scriptorum locos attulere. Neque in censum retulit istam constructionem scriptor de syntaxi in Bekkeri Anecd. p. 149. Novissimis denique temporibus observatum est a viris doctis, ἵνα *ut* significans ubi cum coniunctivo construatur, etiam particulam ἄν adspernari, ut a Doederlino in Act. Mon. I. p. 37. ab Elmsleio ad Oed. Col. 189. aliisque. Potuerant etiam indicativum et optativum addere. Non magis enim in his verbi modis adiectio particulae ἄν certis et non dubiis exemplis defendi poterit.

Illud vero omnium maxime mirabile est, quod grammatici etiam αἰτιολογικὸν quemdam significatum huius par-

ticulae commemorant. Etym. M. quidem p. **471**, **6**. ex Apollonii Lex. Hom. ita integrandum videtur: *τὸν αἰτιολογικὸν σύνδεσμον, ὡς τό, ἢ ἵνα ὕβριν ἴδῃ Ἀγαμέμνονος· ἀντὶ τοῦ διότι· τὸν ἀποτελεστικὸν σύνδεσμον, ὡς τὸ ἵνα γνώωσι καὶ οἴδε.* Bekkerus quum ad Apollon. de synt. **268**, **24**. caussalem *ἵνα* agnosci scripsit etiam ab Apollonio sophista et Eustathio p. **793**, **55**. non meminerat testium, quos satis multos adhibuit Suicerus in Thesauro, illos autem tum nondum viderat, quos postea in Anecdotis edidit. Et Apollonius quidem lib. III. de syntaxi c. **28**. quum exempla posuisset haec, *ἵνα ἀναγνῶ ἐτιμήθην, ἵνα ἀναστῶ ἠνιάθη Τρύφων*, sub finem capitis, ubi *ἐὰν* ad futura vel praesentia referri docet, ita scribit: *ὁμοίως καὶ ὁ ἵνα ἀποτελεστικός, ἵνα φιλολογήσω παραγενήσεται Τρύφων, καὶ ἔτι παραγίνεται. εἰ γὰρ ἐγγένοιτο παρῳχημένου σύνταξις, δύναται ὁ αἰτιώδης ἀκούεσθαι, ἵνα φιλολογήσω παρεγενήθη Τρύφων· ἐν ἴσῳ γάρ ἐστι τῷ διότι ἐφιλολόγησα παρεγενήθη Τρύφων. οὐ τοῦτο δέ φημι, ὅτι καὶ ἀποτελεστικῶς πάλιν οὐ δύναται ἀκούεσθαι· δυνατὸν γὰρ πάλιν οὕτως ἀκούειν, εἰς τὸ φιλολογῆσαί με παρεγενήθη Τρύφων. ἐπὶ τοῖς οὖν ἐσομένοις ἡ σύνταξις τοῦ αἰτιολογικοῦ οὐκ ἂν γένοιτο· ἐπὶ γὰρ γεγονόσιν αἱ αἰτίαι ἐπιλέγονται. ὅθεν καταλληλότερος γίνεται ὁ αἰτιολογικὸς ἐπιφερομένων τῶν παρῳχημένων, ἵνα ὑβρίσω Θέωνα, οὐ φήσομεν ἀγανακτήσει Λίων, ἠγανάκτησε δέ. ἐπί γε μὴν τοῦ ἀποτελεστικοῦ ἔνεστι φάναι, ἵνα ὑβρίσω Θέωνα παρέσται Τρύφων.* Eadem aliis verbis repetit in libro de coniunctionibus in Bekkeri Anecd. p. **510**. **512**. et obiter p. **565**, **1**. tum scholiastes Dionysii Thracis p. **884**. et Theodosius p. **1035**, **1**. Nullus ita loquutus est probatus scriptor. Fuit enim haec labantis linguae quaedam incuria, ut pro infinitivo ista constructione uteretur, ut aliquoties in N. T. e. c. Luc. I. **43**. *καὶ πόθεν μοι τοῦτο, ἵνα ἔλθῃ ἡ μήτηρ τοῦ κυρίου μου πρός με;* Inde *αἰτιολογικὸς* iste usus natus, qui mera perversitas est, factum-

que ut *νὰ* illud, quo hodie utuntur Graeci, veluti pestis quaedam universam linguae rationem corrumperet.

Sed mittamus hoc, quod corruptae dictionis est, et agamus iam id, quod hic locus sibi postulat, ut ostendamus, cur non dicatur *ἵν' ἄν*, ubi *ut* significandum est. Posita est huius rei ratio in eo, quod *ἵνα* proprie *ubi* significat. Id enim quia natura sua definitum est, et ad id ipsum, de quo sermo est, refertur, arceri postulat particulam *ἄν*, ut quae rem eam incertam et dubiam redditura esset. Exemplo id planum fiet. *Δεῦρ' ἔλθ' ἵνα κλάῃς*, si proprie interpretamur, est *huc veni, ubi verberari debeas*, non quo illud *ubi* ad *huc* referatur, sed quia spectat ad totum illud *huc veni*, i. e. in qua re, in veniendo huc. Sic *κτανὼν ἐς οἶδμ' ἁλὸς μεθῆχ', ἵν' αὐτὸς χρυσὸν ἐν δόμοις ἔχῃ*, in mare proiecit, *ubi*, i. e. in proiiciendo corpore, *ipse servet aurum*, quod possis etiam dicere *in qua re*, vel *qua re*. Eam rem autem patet semper certam esse: est enim illud ipsum, quo caussa eius quod efficiendum est continetur. Quod si *ἵν' ἂν* diceres, esset id *in ea re, si ea in re*, sicut *ὃς ἄν* est *qui, si is*, quod est *quicumque* vel *quisquis*. Atqui sic quod per aliquam rem effici diceretur, simul non per hanc rem, sed per quamvis aliam significaretur effici, eoque periret illud, quod erat dicendum, *qua re*, i. e. *ut*, vel, ut prorsus simili vocabulo reddam, *quo*. Id vel maxime cernitur in iis quae obiter adiiciuntur. Xenoph. Symp. 2, 26. *ἦν δὲ ἡμῖν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιψεκάζωσιν, ἵνα καὶ ἐγὼ ἐν Γοργείοις ῥήμασιν εἴπω, οὕτως οὐ βιαζόμενοι ὑπὸ τοῦ οἴνου μεθύειν, ἀλλ' ἀναπειθόμενοι πρὸς τὸ παιγνιωδέστερον ἀφιξόμεθα.* I. e. proprie *nam si pueri nobis parvis calicibus saepe, ubi ego quoque Gorgea voce dixero, irrorent*. Apparet hoc fere idem esse atque *ubi*, i. e. *si mihi licuerit Gorgea voce uti*. Longe aliam vero particularum *ὡς* et *ὅπως* rationem esse patet. Hae enim natura sua ad id, quod potest etiam incertum esse, referuntur, ideoque admittunt particulam *ἄν*. Vt *ὅπως ἂν εἰδῇς*, quod est *tali quodam modo quo cognoscas* vel *quoquo modo cognoscas*.

Ob eamdem caussam *ἵνα ut* a probis scriptoribus non iungitur futuro. Nam ad particulam certa loci significatione praeditam si etiam verbi modus definitus accedit, tollitur consilii notatio, solaque remanet relatio facti: *δεῦρ᾽ ἔλθ᾽ ἵνα κλαύσει, huc veni, ubi tibi dabitur malum.*

Quae coniunctivi, eadem ratio est optativi: nam is nihil est nisi conversio coniunctivi in alium modum propter orationem obliquam. Atqui quod recta oratione dici nequit, ne in obliquam quidem potest converti.

Diversus ab hoc genere is optativus est, qui non est orationis obliquae, sed ipse per se cum particula *ἂν* coniunctus posse quid fieri significat: ut apud Theocritum XXV. 60.

ἐγὼ δέ τοι ἡγεμονεύσω
αὖλιν ἐς ἡμετέρην, ἵνα κεν τέτμοιμεν ἄνακτα·

i. e. *ubi inveniemus regem.*

Sed dicendum iam de exemplis, si quae reperiuntur, *ἵνα ut* significantis cum coniunctivo et particula *ἂν* habentibus. Ac primo non est dubium, quin, si particula *ἂν* ad aliud vocabulum pertineat, id nullum constructioni afferat vitium. Ita apud Homerum Od. *μ.* 156.

ἀλλ᾽ ἐρέω μὲν ἐγώ, ἵνα εἰδότες ἦ κε θάνωμεν,
ἦ κεν ἀλευάμενοι θάνατον καὶ κῆρα φύγοιμεν.

Nam *κε* particula in epica dictione ad solum *ἦ* pertinet, quod ex *ἦ* asseverante natum, aliquam huius vim servat, ut Germanice per *wohl etwa* exprimi possit. Eiusdem generis hoc est Demosthenis contra Aristog. I. p. 780, 7. ubi Reiskius ex duobus codd. Aug. quibus accedit Parisiensis unus apud Bekkerum, edidit: *τίς δ᾽ οὐκ ἂν εἰς ὅσον δυνατὸν φεύγοι, καὶ τὸν ἔχοντα ταύτην ἐκποδὼν ποιήσαιτο, ἵνα μηδ᾽ ἂν ἄκων αὐτῇ ποτὲ περιπέσῃ.* Delevit Bekkerus *ἂν* cum caeteris libris, sed nihil obstat quin servetur, quia ad sola verba *μηδ᾽ ἂν ἄκων* pertinet. Caeterum nescio an eo loco praestet *περιπέσοι* scribi, sive addatur,

sive omittatur ἄν. Longe vero alius generis sunt duo loci in Sophoclis Oed. Coloneo. Ibi v. 188. legitur:

> ἄγε νῦν σύ με, παῖ,
> ἵν' ἂν εὐσεβίας ἐπιβαίνοντες
> τὸ μὲν εἴπωμεν, τὸ δ' ἀκούσωμεν,
> καὶ μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν.

In postremo verbo consentiunt libri, pro prioribus autem coniunctivis et Triclinii recensio, et pauci ex antiquioribus codd. optativos praebent, probantibus Doederlino atque Elmsleio. Si recte se habet ἄν, reponendi sane sunt optativi εἴποιμεν et ἀκούσαιμεν, ἵνα autem interpretandum *ubi: duc me eo, ubi aliud dicere pie, aliud audire possimus.* Sed ita non apte subiungetur καὶ μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν, quod deberet πολεμήσομεν dici. Ad id non attendit I. Bakius quum in bibl. crit. nova vol. I. p. 16. s. mihi ἂν in ἄμ' mutanti, et tuenti coniunctivos ea opposuit, quae, si id huius loci esset, facile quam parum firma sint possem ostendere. Alia est alterius loci ratio, qui est v. 404.

> τούτου χάριν τοίνυν σε προσθέσθαι πέλας
> χώρας θέλουσι, μηδ' ἵν' ἂν σαυτοῦ κρατῇς.

Ita libri omnes. Scholiastes: μηδὲ ἐᾶν σε ὅπου ἂν σεαυτοῦ ἐξουσιάσῃ. λείπει τὸ ἐᾶν ῥῆμα. ἢ ἀπὸ κοινοῦ τὸ προσθέσθαι. Si προσθέσθαι repetendum, omnino scribi debebit, quod Elmsleio aliisque placet, ἵν' ἂν σαυτοῦ κρατοῖς. Nam προσθέσθαι futurum tempus requirit, ut aut ἵνα κρατήσεις dicendum sit, aut ἵνα κρατοῖς ἄν. Si vero ἐᾶν est intelligendum, ut saepe verba contraria iis, quae ante posita erant, suppleri debent, de qua re v. ut de multis unum nominem, Erfurdtium in ed. min. Oed. R. ad v. 242. recte se habebit ἵν' ἂν κρατῇς, quia tum locus est futuro exacto: *non autem sinere vivere quibus in locis te tui iuris esse intellexerint.*

LIBER TERTIVS.

I.

De vi optativi universe.

Perventum est ad optativum. Is modus quoniam solam cogitationem rei significat, proprius est orationis obliquae. Obliquam enim orationem vocamus eam, qua non quid sit, sed quid cogitet quis esse indicatur. Quod si verum fateri volumus, omnis omnino oratio, quae optativum habet, obliqua est. Sed usu factum est, ut illud genus, quo nostra ipsorum cogitata sic enunciamus, ut non diserte distinguamus cogitantem ab loquente, rectae orationis speciem habeat. Itaque consentaneum videtur, separare alterum genus ab altero, primoque de illo dicere, quod aperte nec dubie obliquam orationem continet. Huius generis duplex modus est. Nam aut pro indicativo, aut pro coniunctivo ponitur optativus, isque carens particula *ἄν*. Nam quum quid ex recta oratione in obliquam transfertur, nihil nisi veritas rei tantummodo ut cogitata proponitur, non etiam adiicitur aliqua conditio, qualem continet particula ista.

II.

De optativo pro indicativo.

Sunt autem optativi pro indicativo positi quattuor potissimum formae. Earum prima elliptica est, qua tale quid ut *λέγει ὅτι* intelligitur. Sophocles Phil. 615.

εὐθέως δ' ὑπέσχετο
τὸν ἄνδρ' Ἀχαιοῖς τόνδε δηλώσειν ἄγων·
οἴοιτο μέν, μάλισθ' ἑκούσιον λαβών,
εἰ μὴ θέλοι δ', ἄκοντα.

Thucydides II. 72. *ἀπεκρίναντο αὐτῷ ὅτι ἀδύνατα σφί-*

σιν εἴη ποιεῖν ἃ προκαλεῖται, ἄνευ Ἀθηναίων· παῖδες γὰρ σφῶν καὶ γυναῖκες παρ' αὐτοῖς εἴησαν. Xenophon Hist. Gr. III. 2, 23. *ἀποκριναμένων δὲ τῶν Ἠλείων ὅτι οὐ ποιήσαιεν ταῦτα· ἐπιληΐδας γὰρ ἔχοιεν τὰς πόλεις.* Vide Antiphontem p. 777. et Demosth. p. 15, 22. 1220, 11. seqq. Plato Symp. p. 201. A. Alia dedit Matthiae gr. Gr. §. 529. not. 3.

Secunda forma interrogatione continetur. Odyss. δ. 644.

δύναιτό γε καὶ τὸ τελέσσαι;

i. e. *putemne cum adeo hoc ausum esse?* Est enim haec forma talis, ut sententiam cuiuspiam exquirat de eo, quod recta oratione per indicativum dicimus, *δύναται τοῦτο τελέσσαι;* De hoc genere bene explicavit Reisigius in commentatione de ἄν particula p. 132. seqq.

Tertia forma ea est, quae pro indicativo, cum aliis verbis in recta oratione constructo optativum habet. Sophocles Phil. 610.

ὃς δὴ τά τ' ἄλλ' αὐτοῖσι πάντ' ἐθέσπισεν,
καὶ ταπὶ Τροίᾳ πέργαμ' ὡς οὐ μή ποτε
πέρσοιεν, εἰ μὴ τόνδε πείσαντες λόγῳ
ἄγοιντο νήσου τῆσδ', ἐφ' ἧς ναίει τανῦν.

Nam rectae orationis erat, *ὡς οὐ μή ποτε πέρσουσιν, εἰ μὴ ἄγονται.* Et hoc quidem genere nihil frequentius est. Odyss. ε. 237.

ἦρχε δ' ὁδοῖο
νήσου ἐπ' ἐσχατιῆς, ὅθι δένδρεα μακρὰ πεφύκει,
κλήθρη τ' αἴγειρός τ' ἐλάτη τ' ἦν οὐρανομήκης,
αὖα πάλαι, περίκηλα, τά οἱ πλώοιεν ἐλαφρῶς.

Quae facile natare crederet. Hoc quidem loco etiam pro coniunctivo rectae orationis positus videri potest optativus, siquidem, ut supra ostendimus, ab Homerico sermone non abhorret dici *ἃ πλώωσιν*, id ut sit de consilio dictum, *quae natent*, pro *ut ea natent.* Herodotus I. 31. *ὡς δὲ κατὰ τὸν Τέλλον προετρέψατο ὁ Σόλων τὸν*

Κροῖσον, εἶπας πολλά τε καὶ ὄλβια, ἐπηρώτα τίνα δεύτερον μετ' ἐκεῖνον ἴδοι, δοκέων πάγχυ δευτερεῖα γῶν οἴσεσθαι. Aristoph. Av. **127.** ss.

ΕΠ. ποίαν τίν' οὖν ἥδιστ' ἂν οἰκοῖτ' ἂν πόλιν;
ΕΥ. ὅπου τὰ μέγιστα πράγματ' εἴη τοιαδί·
ἐπὶ τὴν θύραν μου πρῴ τις ἐλθὼν τῶν φίλων
λέγοι ταδί.

Quarta denique forma est, qua quidam putant repetitionem facti per optativum designari: ut apud Homerum Il. *γ*. **216.**

ἀλλ' ὅτε δὴ πολύμητις ἀναΐξειεν Ὀδυσσεύς,
στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκεν.

et **232.**

πολλάκι μιν ξείνισσεν ἀρηΐφιλος Μενέλαος,
οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ, ὁπότε Κρήτηθεν ἵκοιτο.

Sed illam opinionem falsam esse, iam ad Viger. p. **909.** monui. Non enim alia in hoc genere vis est optativi, quam ut, quum indicativus ad certum factum spectet, id per optativum reddatur incertum, ita ut quodcumque de pluribus factis cogitare velis indicet. Nam repetitio non potest ullo modo per optativum significari, sed inest in verbis, quibus ille adiunctus est. Vnde fere vel *ἀεί*, vel *πολλάκις* adiicitur, vel verbum primarium natura sua frequentativum est, ut *στάσκεν*, *ἴδεσκεν* in altero illorum Homeri locorum, innumerabilibusque apud Herodotum exemplis, vel denique etiam imperfectum tempus verbi primarii repetitionem facti continet. Pro eo praesens habet Herodotus I. **29.** *ἀπικνέονται ἐς Σάρδις ἀκμαζούσας πλούτῳ ἄλλοι τε οἱ πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταί, οἳ τοῦτον τὸν χρόνον ἐτύγχανον ἐόντες, ὡς ἕκαστος αὐτῶν ἀπικνέοιτο, καὶ δὴ καὶ Σόλων.* Quin ne omnino quidem rem saepius factam respici necesse est, sed satis est factum ut cogitatum commemorari. Sic Iliad. *ψ*. **494.**

καὶ δ' ἄλλῳ νεμεσᾶτον, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.

et Od. ζ. 286.

καὶ δ' ἄλλῃ νεμεσῶ, ἥτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.

Quibus in locis Schaeferus in Melet. crit. p. 122. coniunctivum reponi volebat. At recte dictum *ῥέζοι*, ut in facto, quod quis sumat fieri, pro *ῥέζει*, quod esset de vere facto dictum. *Ῥέζῃ* enim ad futurum referretur, *si quis fecerit*. Quod etsi istis in locis potuit dici, non placuit tamen poetae, eam ob caussam, quod non de solis futuris loquebatur. Sic etiam Sophocles Ant. 666.

ἀλλ' ὃν πόλις στήσειε, τοῦ δὲ χρὴ κλύειν.

Id de certo dictum, *ἔστησε* requireret; de eo autem, quem cogites reip. praefectum esse, optativum habet. Andoc. p. 85. (154. §. 19. Bekk.) *ὑμῖν δὲ οὐκ εἰσὶν ἕτεροι, ὑφ' ὧν αἰτίαν ἔχοιτε.* p. 90. (158. §. 1.) *ὅτι δὲ οἱ ῥήτορες τῷ μὲν ὀνόματι τῆς εἰρήνης συγχωροῦσι, τοῖς δ' ἔργοις ἀφ' ὧν ἡ εἰρήνη γένοιτο ἐναντιοῦνται, τοῦτο δὲ οὐ πάντες αἰσθάνεσθε.* Demosth. p. 1214, 4. *ἐξ ὧν τίνα οὐκ οἴεσθε, ὦ ἄνδρες δικασταί, τοῖς στρατιώταις ἀθυμίαν ἐμπεσεῖν; πόσην δέ μοι μετὰ ταῦτα ἀπόλειψιν γενέσθαι πάλιν, τῶν ἀρχαίων ναυτῶν ταλαιπωρουμένων μὲν πολλά, ὠφελουμένων δὲ βραχέα, ὅσα ἐγὼ δυναίμην ἑκάστῳ δανειζόμενος ἐπαρκέσαι πρὸς ᾧ πρότερον εἶχον παρ' ἐμοῦ, ἐπεὶ ὅ γε στρατηγὸς οὐδὲ τὸ ἐφ' ἡμέραν αὐτοῖς τροφὴν διαρκῆ ἐδίδου;*

Ex his facile iudicari potest, quomodo illi sint loci intelligendi, in quibus optativus cum praesente vel futuro verbi primarii coniunctus est. Apertissima enim huius constructionis ratio est, simulatque optativum cum indicativo commutaveris. Vt Iliad. δ. 262.

σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ
ἕστηχ', ὥςπερ ἐμοί, πιέειν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.

343.

πρώτῳ γὰρ καὶ δαιτὸς ἀκουάζεσθον ἐμεῖο,
ὁππότε δαῖτα γέρουσιν ἐφοπλίζοιμεν Ἀχαιοί.

Id de certis factis diceretur *ἀνώγει* et *ἐφοπλίζομεν*, de quocumque facto autem, quod mente et cogitatione concipias, per optativum profertur. Quod si coniunctivos posueris, ad sola ea, quae posthac eventura sint, referetur. Od. *ω*. 253.

τοιούτῳ δὲ ἔοικας, ἐπεὶ λούσαιτο φάγοι τε.

Id de certo facto dictum, esse debebat *ἐπεί ἐλούσατο καὶ ἔφαγεν;* de futuro autem *ἐπεὶ λούσηται φάγῃ τε*. V. 342.

ἔνθα δ᾽ ἄνα σταφυλαὶ παντοῖαι ἔασιν,
ὁππότε δὴ Διὸς ὧραι ἐπιβρίσειαν ὕπερθεν.

Si id quod vere fieret indicare voluisset, dixisset *ἐπιβρίθουσιν;* si futura, *ἐπιβρίσωσιν*. Nunc vero optativo usus aoristi, praeterita respicit, non ea tamen certa, quod esset *ἐπέβρισαν*, sed quaecumque tibi cogitare libeat: unde coniicere potes, quod antehac factum est, etiam nunc fieri et posthac futurum esse.

Caeterum ut saepe epici veteres particulis *ἄν* et *κὲν* utuntur, ubi recentior usus iis particulis abstinet, ita etiam hoc in genere eas interdum praeter necessitatem addunt, ut Iliad. *ι*. 524.

οὕτω καὶ τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν
ἡρώων, ὅτε κέν τιν᾽ ἐπιζάφελος χόλος ἵκοι.

III.

De optativo pro coniunctivo.

Sequitur alterum genus orationis obliquae, quod optativum continet pro rectae orationis coniunctivo positum, et primo quidem sine particula *ἄν*. Ad hoc genus primo pertinet omnis illa optativi ratio, quae ex particulis finalibus pendet. Nam *ἐποίησα, ποιῶ, ποιήσω, ὅπως γένηται* quum sic dicatur, ut eventus significetur futurus esse, facile est ad intelligendum, recte ita dici ubique, ubi ea indicare volumus, quae utrum eveniant an non, experientia simus cognituri. Id ubi principale verbum prae-

sentis vel futuri temporis est, necessario se ita habet, quia quae ex eo pendent, non possunt non futura esse. Sed illud verbum si est praeteriti temporis, aut instat adhuc effectus, aut iam praeteriit. Si instat, eadem est coniunctivi necessitas, quae in re praesente et futura. Vt si quis venisse se dicat, ut nunc verba faciat, is dicet, *ἦλθον, ἵνα λέγω*. Nondum enim fecit, quod in animo habebat, quum veniret, sed est nunc demum facturus. Sed si et venit, et quam volebat orationem habuit, ita dicet, *ἦλθον ἵνα λέγοιμι*, non quo se iam habuisse orationem significet, sed ut consilium tantum, quo venerat, indicet, non autem se nunc demum exsequuturum illud consilium esse innuat. Exemplis in re tritissima non opus est. Sed unum tamen afferam, quod singulari modo conformatum est, Od. *δ*. 472.

ἀλλὰ μάλ' ὤφελλες Διΐ τ' ἄλλοισίν τε θεοῖσιν
ῥέξας ἱερὰ κάλ' ἀναβαινέμεν, ὄφρα τάχιστα
σὴν ἐς πατρίδ' ἵκοιο.

Exspectes hic, ut in irrito consilio, *ἵκεο, ut venisses:* non venit enim: sed dixit *ἵκοιο*, non spectans quid evenerit, sed quo consilio res debuerit suscipi. Quod si *ἵκηαι* dixisset, adhuc rediturum significaret. Eodem modo etiam praesens et futurum verbi primarii optativo iunguntur, ubi de solo consilio sermo est: quod quum fit, ea ratione loquendi significamus, eventum non comprobatum iri facto. Aliter enim coniunctivo uteremur. Id pulcre perspexit Reisigius in Comm. cr. ad Oed. Col. p. 168. seqq. quem tamen in Electrae Euripideae loco v. 57. seqq. falli mihi videri, ad Sophoclis Electrae v. 57. dixi. In huiusmodi igitur exemplis optativus manifesto sic usurpatur, ut solo consilio indicando effectionem non sequuturam arguat. Est vero etiam, ubi utrique modo locus est, prouti rem animo concipias. Vt Iliad. *χ*. 348.

ὣς οὐκ ἔσθ' ὃς σῆς γε κύνας κεφαλῆς ἀπαλάλκοι.

Eurip. Alc. 53.

ἔσθ' οὖν ὅπως Ἄλκηστις ἐς γῆρας μόλοι;

Quibus in locis coniunctivi significaturi essent, *qui arcere reperiatur; ut reperiatur ad senectutem pervenire:* optativi autem haec vis est: *qui putetur arcere; ut putetur ad senectutem pervenire.* Vide ad Soph. Ai. 1200.

Sic etiam cum voculis conditionalibus. Iliad. ρ. 7.

πρόσθε δέ οἱ δόρυ τ᾽ ἔσχε καὶ ἀσπίδα πάντοσ᾽ ἐΐσην,
τὸν κτάμεναι μεμαώς, ὅστις τοῦ γ᾽ ἀντίος ἔλθοι.

Od. λ. 287.

οὐδέ τι Νηλεὺς
τῷ ἐδίδου, ὃς μὴ ἕλικας βόας εὐρυμετώπους
ἐκ Φυλάκης ἐλάσειε βίης Ἰφικληείης.

v. 138.

ἀλλ᾽ ὅτε δὴ κοίτοιο καὶ ὕπνου μιμνήσκοιτο,
ἦ μὲν δέμνι᾽ ἄνωγεν ὑποστορέσαι δμωῇσιν.

Nam recta oratione haec sic dicerentur: *κτενῶ, ὅστις ἀντίον ἔλθῃ· οὐ δώσω, ὃς μὴ ἐλάσῃ· ὑποστορέσατε, ὅτε κοίτου μιμνήσκηται.* Magis ambiguum hoc est Od τ. 510.

καὶ γὰρ δὴ κοίτοιο τάχ᾽ ἡδέος ἔσσεται ὥρη,
ὅντινά γ᾽ ὕπνος ἕλοι γλυκερός.

Neque enim mirer, si quis hic coniunctivum exspectet. Sed quum addat Penelope se non posse dormire, facile intelligitur, eam per optativum hoc dicere, *qui se putet dormiturum esse.* Eodem modo Iliad. γ. 299.

ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν,
ὧδέ σφ᾽ ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος.

Atque ita dicturus erat, etiam si non *ῥέοι*, sed *ῥείτω* posuisset. Nam si *πημήνωσι* dixisset, futurum esse indicaret, ut alterutri sacramentum violarent: nunc vero optativum posuit, ut diceret, *si quem putemus periurum fore.* Ob eamdem caussam Demosthenes in Timocr. p. 747, 13. dixit, *καὶ ἐπαρῶμαι ἐξώλειαν ἑαυτῷ καὶ οἰκίᾳ τῇ ἑαυτοῦ, εἴ τι τούτων παραβαίνοιμι.* Nam si *ἦν παραβῶ* dixisset, falsurus fidem videretur.

Saepissime pro rectae orationis coniunctivo ponitur optativus, si verbum principale eum modum habet. Nec mirum. Nam ubi summa sententiae ut sola cogitatione comprehensa enunciatur, eadem solet etiam partium eius conditio esse. Odyss. γ. 346.

Ζεὺς τόγ' ἀλεξήσειε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
ὡς ὑμεῖς παρ' ἐμεῖο θοὴν ἐπὶ νῆα κίοιτε.

De ea ratione dixi ad Sophocl. Ai. 904. 1200. Sic Homerus Iliad. ε. 212.

εἰ δέ κε νοστήσω καὶ ἐσόψομαι ὀφθαλμοῖσιν
πατρίδ' ἐμὴν ἄλοχόν τε καὶ ὑψερεφὲς μέγα δῶμα,
αὐτίκ' ἔπειτ' ἄπ' ἐμεῖο κάρῃ τάμοι ἀλλότριος φώς,
εἰ μὴ ἐγὼ τάδε τόξα φαεινῷ ἐν πυρὶ θείην.

Exspectes hic *θείω*, quia asseverat. Et potuerat ita dicere. Nam duobus modis hoc proferri licebat, aut recta oratione, ut votum ex conditione penderet, *εἰ μὴ ἐν πυρὶ θείω, si non cremavero, peream;* aut obliqua, ut conditio ex voto tamquam pars eius penderet: *peream nisi cremaverim*, i. e. *si fore putem ut non comburam.* Sic Aristophanes in Pace 1072.

ἐξώλης ἀπόλοι', εἰ μὴ παύσαιο βακίζων.

i. e. *dispereas, si te non destiturum putem.* Vide eumdem Eq. 694. Contra in sententia finali non licuit coniunctivum ponere Sophocli Phil. 524.

θυμὸν γένοιτο χειρὶ πληρῶσαί ποτε,
ἵν' αἱ Μυκῆναι γνοῖεν, ἡ Σπάρτη θ', ὅτι
χἠ Σκῦρος ἀνδρῶν ἀλκίμων μήτηρ ἔφυ.

Nam si esset coniunctivo usus, sic loqueretur, ut qui voti se compotem futurum non dubitaret. Eadem ratio est horum versuum, Od. ξ. 402.

ξεῖν', οὕτω γὰρ κέν μοι ἐϋκλείη τ' ἀρετή τε
εἴη ἐπ' ἀνθρώπους ἅμα τ' αὐτίκα καὶ μετέπειτα,
ὅς σ' ἐπεὶ ἐς κλισίην ἄγαγον καὶ ξείνια δῶκα,
αὖτις δὲ κτείναιμι, φίλον δ' ἄπο θυμὸν ἑλοίμην.

Alia optativi ex optativo principali pendentis exempla cum pronomine relativo vide Iliad. *μ.* 228. *ν.* 118. 322. 344. *ξ.* 92. Odyss. *α.* 47. 229. *β.* 336. (*π.* 386.) *δ.* 222. *ϑ.* 240. cum *ὅτε* Iliad. *φ.* 429. Od. *ε.* 189. *ι.* 333. *λ.* 374. *μ.* 106. 114. *φ.* 116. *ψ.* 185. cum *ὁπότε σ.* 147. Non est tamen ita constans hic usus, ut non aliquando in orationem rectam redeat constructio. Ita Odyss. *γ.* 318.

κεῖνος γὰρ νέον ἄλλοθεν εἰλήλουθεν
ἐκ τῶν ἀνθρώπων, ὅθεν οὐκ ἔλποιτό γε θυμῷ
ἐλθέμεν, ὄντινα πρῶτον ἀποσφήλωσιν ἄελλαι.

δ. 649.

τί κεν ῥέξειε καὶ ἄλλος,
ὁππότ' ἀνὴρ τοιοῦτος, ἔχων μελεδήματα θυμῷ,
αἰτίζῃ; χαλεπόν κεν ἀνήνασθαι δόσιν εἴη.

Huic tamen loco nihil tribuerim, in quo tanto facilius *αἰτίζοι* scribi possit, quod etiam *αἰτίζει* scriptum invenitur.

IV.

De optativo cum ἄν pro coniunctivo cum ἄν.

Mutatur autem non solum is coniunctivus, qui caret particula *ἄν*, in optativum, sed etiam qui adiunctam habet eam particulam. Od. *ν.* 415. ut quidem cum cod. Harl. in postrema ed. dedit Wolfius:

ᾤχετο πευσόμενος μετὰ σὸν κλέος, ἦν που ἔτ' εἴῃς.

Nam recta oratio foret, *πεύθομαι ἦν που ἔτ' ἦῃς.* Quod si, ut vulgo, *εἴ που ἔτ' εἴῃς* scribitur, erit id recta oratione *πεύθομαι εἴ που ἔτ' εἶ.* Iliad. *β.* 597.

στεῦτο γὰρ εὐχόμενος νικησέμεν, εἴπερ ἂν αὐταὶ
Μοῦσαι ἀείδοιεν.

Nam recta oratio est, *νικήσω, ἤνπερ αὐταὶ Μοῦσαι ἀείδωσιν. ι.* 304.

νῦν γάρ χ' Ἕκτορ' ἕλοις, ἐπεὶ ἂν μάλα τοι σχεδὸν ἔλθοι.

Vide τ. 208. ω. 227. Od. β. 105. (τ. 150.) δ. 222. η. 315. π. 392. (φ. 162.) Aristoph. Eq. 1056.

καί κε γυνὴ φέροι ἄχος ἐπεί κεν ἀνὴρ ἀναθείη.

Neque hoc epicis proprium est, sed commune Graecis omnibus. Aeschylus Pers. 450.

ἐνταῦθα πέμπει τούσδ', ὅπως, ὅταν νεῶν
φθαρέντες ἐχθροὶ νῆσον ἐκσωζοίατο,
κτείνοιεν εὐχείρωτον Ἑλλήνων στρατόν.

Demosthenes ad Onetor. p. 865, 22. *ὥστ' ἐκ τῶν γιγνομένων οὐκ ἔσθ' ὅστις οὐχ ἡγεῖτο τῶν εἰδότων δίκην με λήψεσθαι παρ' αὐτῶν, ἐπειδὰν τάχιστα ἀνὴρ εἶναι δοκιμασθείην.* Geminus huic locus est in orat. in Aphobum p. 814, 18. *κἀκείνῳ μὲν ἔδωκεν ἐκ τῶν ἐμῶν ἑβδομήκοντα μνᾶς καρπώσασθαι τοσοῦτον χρόνον, ἕως ἂν ἐγὼ ἀνὴρ εἶναι δοκιμασθείην.* Sed ibi Bekkerus delevit ἄν, aliquot codd. auctoritate. Servavit autem libris omnibus firmatum in Plat. Phaedone p. 101. D. *εἰ δέ τις αὐτῆς τῆς ὑποθέσεως ἔχοιτο, χαίρειν ἐφῆς ἂν καὶ οὐκ ἀποκρίναιο, ἕως ἂν τὰ ἀπ' ἐκείνης ὁρμηθέντα σκέψαιο, εἴ σοι ἀλλήλοις ξυμφωνεῖ ἢ διαφωνεῖ;* etsi mox eodem in loco ἕως sine ἄν iunctum est optativo. Thucyd. VIII. 54. *καὶ ἐψηφίσαντο πλεύσαντα τὸν Πείσανδρον καὶ δέκα ἄνδρας μετ' αὐτοῦ πράσσειν, ὅπῃ ἂν αὐτοῖς δοκοίη ἄριστα ἔξειν.* Duo ibi codd. omittunt ἄν. Plures omittunt in his VIII. 68. *καὶ ἐκ πλείστου ἐπιμεληθεὶς Ἀντιφῶν ἦν, ἀνὴρ Ἀθηναίων τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀρετῇ τε οὐδενὸς ὕστερος, καὶ κράτιστος ἐνθυμηθῆναι γενόμενος, καὶ ἃ ἂν γνοίη εἰπεῖν.* Duo ibi codd. *καὶ ἂν ἃ γνοίη εἰπεῖν.* Antiphon p. 722. (59. §. 34. Bekk.) *οὗτοι δὲ θάνατον τῷ μηνυτῇ τὴν δωρεὰν ἀπέδοσαν, ἀπαγορευόντων τῶν φίλων τῶν ἐμῶν μὴ ἀποκτείνειν τὸν ἄνδρα πρὶν ἂν ἐγὼ ἔλθοιμι.* Xenophon de rep. Lac. I. 8. *εἰ δέ τις αὖ γυναικὶ μὲν συνοικεῖν μὴ βούλοιτο, τέκνων δὲ ἀξιολόγων ἐπιθυμοίη, καὶ τούτῳ νόμον ἐποίησεν, ἥντινα ἂν εὔτεκνον καὶ γενναίαν ὁρῴη, πείσαντα τὸν ἔχοντα, ἐκ ταύτης τεκνοποιεῖσθαι.* Non recte Heindorfium puto eiici voluisse ἄν.

Nec *δοκῇ* scripserim cum L. Dindorfio in eiusdem libri II. 11. *ὅπως δὲ μηδ' εἰ ὁ παιδονόμος ἀπέλθοι, ἔρημοί ποτε οἱ παῖδες εἶεν ἄρχοντος, ἐποίησε τὸν ἀεὶ παρόντα τῶν πολιτῶν κύριον εἶναι καὶ ἐπιτάττειν τοῖς παισὶν ὅ τι ἂν ἀγαθὸν δοκοίη εἶναι.*

Parum docta est Thomae M. adnotatio p. 267. *τὸ δὲ ἐάν, τὸ ἄν, τὸ κἄν, τὸ ἤν, καὶ τὸ ὅταν ἀεὶ μετὰ ὑποτακτικοῦ παρὰ τοῖς ἀκριβεστάτοις. εἰ γὰρ καὶ εὕρηται ἅπαξ παρὰ Θουκυδίδῃ ἐν τῇ τρίτῃ, ἤν τε καὶ ἔχοντές τι ξυγγνώμης εἶεν, καὶ παρὰ Λουκιανῷ ἐν τοῖς Ἀληθινοῖς, ἐὰν καταχθείημεν εἰς τὰς νήσους. καὶ αὖθις ἐν τῷ Βίων πράσεις, καὶ ταῦτα ἤν ἐθελήσειεν ἀποδόσθαι οὗτοσί, ἀλλ' οὐ δεῖ ζηλοῦν τὸ ἅπαξ ῥηθέν.* Nam in posteriore Luciani loco corruptis libris usus est. Recte legitur hodie in Vitarum auctione c. 11. T. I. p. 551. *ναύτης δ' ἂν ἴσως ἢ κηπωρὸς ἐν καιρῷ γένοιο· καὶ ταῦτα, ἤν ἐθέλῃ σε ἀποδόσθαι οὗτοσὶ τὸ μέγιστον δύ' ὀβολῶν.* In altero autem loco, Verae hist. II. 29. etsi hodie scriptum videmus *ἵν' εἰ*, tamen recte se habet, quod praebent codd. Gorl. et Aug. *ἵν' ἐάν*, conveniens orationi obliquae. Verba sunt: *συνέπεμψε δέ μοι ὁ Ῥαδάμανθυς τὸν πορθμέα Ναύπλιον, ἵν', ἐὰν καταχθείημεν ἐς τὰς νήσους, μηδεὶς ἡμᾶς συλλάβοι.* Quo pacto idem loquutus est in Timone c. 39. T. I. p. 151. *τί γὰρ ἂν καὶ πάθοι τις, ὁπόταν οἱ θεοὶ βιάζοιντο;* Maior est de Thucydidis loco III. 44. dubitatio: *ἤν τε γὰρ ἀποφήνω πάνυ ἀδικοῦντας αὐτούς, οὐ διὰ τοῦτο καὶ ἀποκτεῖναι κελεύσω, εἰ μὴ ξυμφέρον· ἤν τε καὶ ἔχοντές τι ξυγγνώμης εἶεν, εἰ τῇ πόλει μὴ ἀγαθὸν φαίνοιτο.* Quattuor ibi codd. apud Bekkerum *εἴτε*, quae videtur grammaticorum correctio esse. Tractatus est hic locus a multis, a me ipso ad Viger. p. 822. Neque, opinor, debebam ab sententia ibi proposita recedere in diss. de praeceptis quibusdam Atticistarum p. 16. Nihil est enim, quod accommodatius illi loco sit, quam *εἶεν* pro apodosi esse, ut ad *ἔχοντες* ex praecedentibus intelligatur *ἀδικῶσιν*. De *εἶεν* vide Bekkeri Anecd. p. 243, 24. et Timaei Lex. Plat. p. 94. In octavo autem libro c. 27. quum vulgo legatur, *ὡς τάχιστα δὲ ἐκέλευε — ἀποπλεῖν*

ἐς Σάμον, κἀκεῖθεν ἤδη ξυναγαγόντας πάσας τὰς ναῦς, τοὺς ἐπίπλους, ἤν που καιρὸς εἴη, ποιεῖσθαι· etsi propter orationem obliquam ferri potest optativus, quem sic defendit Poppo vol. I. p. 144. tamen, nisi gravior aliqua caussa accedat, coniunctivum praeferre in tali additamento quum alii, tum Thucydides consueverunt, sicut in illo ipso capite paullo superius ἢν ἡσσηθῶσι posuit. Itaque ᾖ e cod. Vat. nescio an recte dederit Bekkerus. Neque apud Xenophontem Cyrop. IV. 2, 6. recte legi puto οἱ δὲ ἀπεκρίναντο, ὅτι κἂν αὔριον ἔωθεν εὔζωνοι πορεύοιντο καταλήψοιντο: ubi Guelf. et Par. καὶ ἦν. Qui locus est eiusmodi, ut permirum sit, ni verum sit usitatissimum illud κἂν αὔριον εἰ ἔωθεν εὔζωνοι πορεύοιντο, quod Schneiderus coniecit. Verum si quibusdam in exemplis non recte optativus locum tenet coniunctivi, in aliis tamen vel aperte praestat, vel saltem offensione caret. Sic apud Xenophontem in Cyrop. I. 6, 22. καὶ εἰ δὴ πείσαις ἐπαινεῖν τέ σε πολλούς, ὅπως δόξαν λάβοις, καὶ κατασκευὰς καλὰς ἐφ' ἑκάστῳ αὐτῶν κτήσαιο, ἄρτι τε ἐξηπατηκὼς εἴης ἄν, καὶ ὀλίγῳ ὕστερον, ὅπου ἂν πεῖραν δοίης, ἐξεληλεγμένος ἂν προσέτι καὶ ἀλάζων φαίνοιο. Quem locum non recte interpretatus est Reisigius p. 111. Nec quod ille putat, dici hic potuit εἰ πεῖραν ἂν δοίης. Alio modo erravit Heindorfius, qui, nisi ἂν deleretur, δῷς scribendum censuit. At in re ficta et non nisi cogitando sumpta ὅπου ἂν δῷς, quod ad experientiam refertur, locum non habet. Apte affert ibi Poppo Mem. S. I. 2, 6. τοὺς δὲ λαμβάνοντας τῆς ὁμιλίας μισθὸν ἀνδραποδιστὰς ἑαυτῶν ἀπεκάλει, διὰ τὸ ἀναγκαῖον αὐτοῖς εἶναι διαλέγεσθαι παρ' ὧν ἂν λάβοιεν τὸν μισθόν. I. e. non *iis a quibus accepissent pecuniam*, ut si omisisset ἄν, sed *a quibuscumque accepissent*. Cyrop. V. 5, 1. ἐπεὶ δὲ ταῦτα διεπέπρακτο, πέμπει πρὸς Κυαξάρην καὶ ἐπέστελλεν αὐτῷ ἥκειν ἐπὶ τὸ στρατόπεδον, ὅπως περί τε τῶν φρουρίων ὧν εἰλήφεσαν βουλεύσαιντο ὅ τι χρήσαιντο, καὶ θεασάμενος τὸ στράτευμα καὶ περὶ τῶν ἄλλων σύμβουλος γίγνοιτο ὅ τι ἂν δοκοίη ἐκ τούτου πράττειν. Suspectum hic habent quidam ἄν, omissum in cod. Alt. At recte se

habet. Nam uti dixit *ὅ τι χρήσαιντο*, quia re in praesens tempus translata dicendum erat *ὅπως βουλεύσωνται ὅ τι χρήσωνται*, ita scripsit *ὅτι ἂν δοκοίη*, quia id erat *ὅπως σύμβουλος γένηται ὅτι ἂν δοκῇ πράττειν*. VII. 5, 49. *ἐλογιζόμην, εἰ ταῦτα προθύμως σοι συλλάβοιμι, ὡς οἰκεῖός τέ σοι ἐσοίμην καὶ ἐξέσοιτό μοι διαλέγεσθαί σοι ὁπόσον ἂν χρόνον βουλοίμην*. VIII. 3, 48. *ὃ δ' αὖ ἐνόμιζε μακαριώτατος εἶναι, ὅτι ἐπίτροπον ἔξοι, σχολὴν παρέχοντα πράττειν ὅ τι ἂν αὐτῷ ἡδὺ εἴη*. Sed in eodem capite §. 38. quod legitur de agello: *ὅ τι γὰρ ἂν λάβοι σπέρμα, καλῶς καὶ δικαίως ἀπεδίδου αὐτό τε καὶ τόκον οὐδέν τι πολύν*· in eo tollendum *ἄν*. Non est enim id ex *ὅ τι ἂν λάβῃ*, sed ex *ὅ τι ἔλαβε* in optativum conversum. Addam alia optativi in obliqua oratione pro coniunctivo positi exempla. Cum *ὃ ἄν*, Herodoti I. 119. Demosth. p. 518, 13. sed utroque loco alii libri coniunctivum praebent. Cum *ὅ τι ἂν* Herod. I. 119. et cum *ὅσως ἂν* VI. 44. cum *ὡς ἂν simulatque* significante I. 96. Epicur. epist. p. 21. §. 44. ed. Schneid. cum *πρὶν ἂν* Xenoph. Hell. II. 3, 48. 4, 18.

Apparet ex his, reprehensione vacuum esse usum optativi pro coniunctivo, adiuncta particula *ἄν*. Ex quo colligi potest, eamdem etiam particularum *ὡς ἂν* et *ὅπως ἂν* rationem esse. Atque apud epicos quidem et Herodotum hae particulae saepius obliquae orationis optativum pro coniunctivo adiectum habent. Odyss. *ϑ*. 20.

καί μιν μακρότερον καὶ πάσσονα θῆκεν ἰδέσθαι,
ὥς κεν Φαιήκεσσι φίλος πάντεσσι γένοιτο.

ρ. 362.

ὤτρυν', ὡς ἂν πύρνα κατὰ μνηστῆρας ἀγείροι.

Magis ut *posse* significetur, *ω*. 80.

ἀμφ' αὐτοῖσι δ' ἔπειτα μέγαν καὶ ἀμύμονα τύμβον
χεύαμεν Ἀργείων ἱερὸς στρατὸς αἰχμητάων
ἀκτῇ ἐπὶ προὐχούσῃ, ἐπὶ πλατεῖ Ἑλλησπόντῳ,
ὥς κεν τηλεφανὴς ἐκ ποντόφιν ἀνδράσιν εἴη
τοῖς οἳ νῦν γεγάασι, καὶ οἳ μετόπισθεν ἔσονται.

et 332.

σὺ δέ με προΐεις καὶ πότνια μήτηρ
ἐς πατέρ' Αὐτόλυκον μητρὸς φίλον, ὄφρ' ἂν ἕλοίμην
δῶρα, τὰ δεῦρο μολών μοι ὑπέσχετο καὶ κατένευσεν.

Herodotus I. 152. ὃ δὲ πορφύρεόν τε εἶμα περιβαλόμενος, ὡς ἂν πυνθανόμενοι πλεῖστοι συνέλθοιεν Σπαρτιητέων, καὶ καταστάς, ἔλεγε πολλά, τιμωρέειν ἑαυτοῖσι χρήζων. V. 37. καὶ πρῶτα μὲν λόγῳ μετεὶς τὴν τυραννίδα, ἰσονομίην ἐποίεε τῇ Μιλήτῳ, ὡς ἂν ἑκόντες αὐτῷ οἱ Μιλήσιοι συναπισταίατο. IX. 22. μαθόντες δὲ τὸ γεγονός, διακελευσάμενοι, ἔλαυνον τοὺς ἵππους πάντες, ὡς ἂν τόν γε νεκρὸν ἀνελοίατο. IX. 51. μετακινέεσθαί τε ἐδόκεε τότε ἐπεὰν τῆς νυκτὸς ᾖ δευτέρη φυλακή, ὡς ἂν μὴ ἰδοίατο οἱ Πέρσαι ἐξορμεωμένους, καὶ σφεας ἑπόμενοι ταράσσοιεν οἱ ἱππόται. I. 75. ποιῆσαι δὲ ὧδε· ἄνωθεν τοῦ στρατοπέδου ἀρξάμενον, διώρυχα βαθέην ὀρύσσειν, ἄγοντα μηνοειδέα, ὅκως ἂν τὸ στρατόπεδον ἱδρυμένον κατὰ νώτου λάβοι ταύτῃ κατὰ τὴν διώρυχα ἐκτραπόμενος ἐκ τῶν ἀρχαίων ῥεέθρων, καὶ αὖτις παραμειβόμενος τὸ στρατόπεδον ἐς τὰ ἀρχαῖα ἐρβάλλοι. I. 91. προθυμεομένου δὲ τοῦ Λοξίεω ὅκως ἂν κατὰ τοὺς παῖδας τοὺς Κροίσου γένοιτο τὸ Σαρδέων πάθος, καὶ μὴ κατ' αὐτὸν Κροῖσον, οὐκ οἷόν τε ἐγένετο παραγαγεῖν Μοίρας. I. 110. κελεύει σε Ἀστυάγης τὸ παιδίον τοῦτο λαβόντα θεῖναι ἐς τὸ ἐρημότατον τῶν οὐρέων, ὅκως ἂν τάχιστα διαφθαρείη. II. 126. καὶ τοῦ ἐσιόντος πρὸς αὐτὴν ἑκάστου δέεσθαι, ὅκως ἂν αὐτῇ ἕνα λίθον ἐν τοῖσι ἔργοισι δωρέοιτο. III. 44. Πολυκράτης δὲ πέμψας παρὰ Καμβύσεα τὸν Κύρου, συλλέγοντα στρατὸν ἐπ' Αἴγυπτον, ἐδεήθη ὅκως ἂν καὶ παρ' ἑωυτὸν πέμψας ἐς Σάμον δέοιτο στρατοῦ. V. 98. ὡς δὲ οὐ κατέλαβον, ἐπηγγέλλοντο ἐς τὴν Χίον τοῖσι Παίοσι, ὅκως ἂν ὀπίσω ἀπέλθοιεν. VIII. 13. ἐποιέετο δὲ πᾶν ὑπὸ θεοῦ, ὅκως ἂν ἐξισωθείη τῷ Ἑλληνικῷ τὸ Περσικόν, μηδὲ πολλῷ πλέον εἴη. Pindarus Ol. VII. 71.

τότε καὶ φαυσίμβροτος δαί-

μων Ὑπεριονίδας μέλλον ἔντει-
λεν φυλάξασθαι χρέος
παισὶν φίλοις,
ὡς ἂν θεᾷ πρῶτοι κτίσαιεν
βωμὸν ἐναργέα καὶ σε-
μνὰν θυσίαν θέμενοι,
πατρί τε θυμὸν ἰάναιεν κόρᾳ τ' ἐγ-
χειβρόμῳ.

Aeschylus Ag. 370.

Λία τοι ξένιον μέγαν αἰδοῦμαι
τὸν τάδε πράξαντ', ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ
τείνοντα πάλαι τόξον, ὅπως ἂν
μήτε πρὸ καιροῦ μήθ' ὑπὲρ ἄστρων
βέλος ἠλίθιον σκήψειεν.

Xenophon Hell. IV. 8, 16. *λάθρᾳ γε μέντοι ἔδωκε χρήματα Ἀνταλκίδᾳ, ὅπως ἂν πληρωθέντος ναυτικοῦ ὑπὸ Λακεδαιμονίων οἵ τε Ἀθηναῖοι καὶ οἱ σύμμαχοι αὐτῶν μᾶλλον τῆς εἰρήνης προσδέοιντο.* et §. 30. *ὅπως δ' ἂν ἐκεῖ ἐρρωμενέστατον τὸ στράτευμα ποιήσαιντο, ἐξ ἄλλων τε πόλεων ἠργυρολόγει καὶ εἰς Ἄσπενδον ἀφικόμενος ὡρμίσατο ἐς τὸν Εὐρυμέδοντα ποταμόν.* Andocides p. 124. (180. §. 23.) *ἐκ ταύτης γὰρ παιδοποιεῖται τῆς γυναικός, ἣν ἀντ' ἐλευθέρας δούλην κατέστησε, καὶ ἧς τὸν πατέρα καὶ τοὺς προσήκοντας ἀπέκτεινε, καὶ ἧς τὴν πόλιν ἀνάστατον πεποίηκεν, ὡς ἂν μάλιστα τὸν υἱὸν ἐχθρὸν ἑαυτῷ καὶ τῇ πόλει ποιήσειε.* Demosth. p. 74, 24. *ὡς δ' ἂν ἐξετασθείη μάλιστ' ἀκριβῶς, μὴ γένοιτο.* Quae ibi Schaeferus attulit, habent illa quidem optativum pro coniunctivo, sed sine *ἄν*. Corrigendus videtur in hoc genere Andocides p. 38. (124. §. 79.) apud quem e verbis *Πατροκλείδης εἶπεν* pendent haec: *εἰ δὲ μή, ἔνοχον εἶναι τὸν παραβαίνοντα ταῦτα ἐν αὐτοῖς ἐν οἷσπερ οἱ ἐξ Ἀρείου πάγου φεύγοντες, ὅπως ἂν ὡς πιστότατα ἔχοι Ἀθηναίοις καὶ νῦν καὶ εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον.* Aptior enim hic omnino coniunctivus est.

De illa particularum finalium cum optativo et particula ἄν constructione, quae refertur ad eum finem, ut quid possit fieri, infra explicabitur.

V.

De optativo rectae orationis sine ἄν.

Venio nunc ad eum optativi usum, quem supra dixi rectae orationis speciem habere, quod eo nostra ipsorum cogitata sic enunciamus, ut non distinguamus cogitantem ab loquente. Habet is autem ipse per se sine particula ἄν quattuor formas: nam vel optantis est, vel iubentis, vel volentis, vel opinantis.

Atque optatio natura sua nihil est nisi cogitatio rei, quam, quum non sit, esse cupimus. Ea necessario caret particula ἄν, quia quod optamus tantum abest ut conditione aliqua restringi velimus, ut ipsum habeamus pro conditione, qua impleta bene nobis fore speremus. Vnde multae optationes etiam cum particula conditionali proferuntur: *εἴ μοι ξυνείη φέροντι μοῖρα τὰν εὔσεπτον ἁγνειαν λόγων ἔργων τε πάντων*: i. e. *si id fiat, bene mihi sit.* Idem est εἴθε, ortum ex εἰ θεέ. Plerumque autem sine particula conditionali: *ἀδόντα δ' εἴη με τοῖς ἀγαθοῖς ὁμιλεῖν.* Qualia sic puta dici: *liceat mihi* (i. e. sumo licere) *bonorum consuetudine frui: tum bene sit.* Sed hoc totum genus, quod optatione continetur, tam planum est, ut non opus sit exemplis. Vnum tamen afferam, quod in eo tectius recondita latet optatio. Achilles Iliad. ψ. 150. Spercheum alloquens, cui comam aluerat, quam nunc Patroclo est consecraturus, ita loquitur:

νῦν δ' ἐπεὶ οὐ νέομαί γε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
Πατρόκλῳ ἥρωϊ κόμην ὀπάσαιμι φέρεσθαι.

Optat enim, ut per Spercheum sibi liceat, quam huic nutriverat comam, dicare Patroclo. Quamquam id etiam *velim dare* dicas. Illud tamen tenendum est, epicos veteres, qui liberius particula κέν utuntur, ne in optando

quidem ea prorsus abstinuisse. Ita in optativo conditionali Hom. h. Apoll. 51.

Δῆλ', εἰ γάρ κ' ἐθέλοις ἕδος ἔμμεναι ὗιος ἐμοῖο.

et sine conditione Iliad. ζ. 281.

ὥς κέ οἱ αὖθι
γαῖα χάνοι.

Sed Od. ο. 544. de quo loco non recte iudicavi ad hymn. Apoll. 51. scribendum videtur:

Τηλέμαχ', εἰ γὰρ καὶ σὺ πολὺν χρόνον ἐνθάδε μίμνοις,

quo spectat κε in uno codicum Vindob. Hoc dicit: *etiam si tu diutius ibi maneas.*

Proxima optationi est iubendi significatio, quae nunc precatione continetur, ut in Philocteta,

Ὕπν' ὀδύνας ἀδαής, Ὕπνε δ' ἀλγέων,
εὐαὴς ἡμῖν ἔλθοις.

nunc propior imperio est. Iliad. ω. 144. (178.)

κήρυξ τίς οἱ ἕποιτο γεραίτερος.

Odyss. ξ. 407.

τάχιστά μοι ἔνδον ἑταῖροι
εἶεν.

Vide ibidem 496. Il. ξ. 107. ρ. 640. Aeschylus Ag. 953.

ἀλλ' εἰ δοκεῖ σοι ταῦθ', ὑπαί τις ἀρβύλας
λύοι τάχος, πρόδουλον ἔμβασιν ποδός.

Aristophanes Vesp. 1431.

ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

Herodotus VII. 5. *ἀλλὰ τὸ μὲν νῦν ταῦτα πρήσσοις τάπερ ἐν χερσὶ ἔχεις.* Quo tamen loco quidam libri *ἀλλ' εἰ.*

Coniunctissima est voluntatis significatio, quae in

prima potissimum persona elucescit. Od. π. 383. Antinous Telemacho insidias struendas censens, ita loquitur:

ἀλλὰ φθέωμεν ἑλόντες ἐπ᾽ ἀγροῦ νόσφι πόληος,
ἢ ἐν ὁδῷ· βίοτον δ᾽ αὐτοὶ καὶ κτήματ᾽ ἔχωμεν,
δασσάμενοι κατὰ μοῖραν ἐφ᾽ ἡμέας· οἰκία δ᾽ αὖτε
κείνου μητέρι δοῖμεν ἔχειν, ἠδ᾽ ὅστις ὀπυίοι.

Coniunctivi adhortationem continent: occidi enim Telemachum, opesque eius dividi, id est quod iubet. De Penelope vero iam non praecipit quidquam, sed proponit, quid fieri cupiat: *domum matri eius dari velim.* Iliad. ο. 45. Iuno Iovi de Neptuno dicit:

αὐτάρ τοι καὶ κείνῳ ἐγὼ παραμυθησαίμην
τῇ ἴμεν, ἦ κεν δὴ σὺ, κελαινεφές, ἡγεμονεύῃς.

Velim illi suadere. Quod non est ita dubitanter dictum, ut si ἄν esset additum, qua particula conditio aliqua significaretur, ut in eadem oratione v. 39.

σὴ θ᾽ ἱερὴ κεφαλή, καὶ νωΐτερον λέχος αὐτῶν
κουρίδιον, τὸ μὲν οὐκ ἂν ἐγώ ποτε μὰψ ὀμόσαιμι.

Non temere iurarem, nisi vera dicerem. In primis aptum est huic discrimini illustrando illud Theocriti XXIX. 37.

νῦν μὲν κἠπὶ τὰ χρύσεα μᾶλ᾽ ἔνεκεν σέθεν
βαίην, καὶ φύλακον νεκύων πεδὰ Κέρβερον·
τόκα δ᾽ οὐδὲ καλεῦντος ἐπ᾽ αὐλείαις θύραις
προμόλοιμί κε, παυσάμενος χαλεπῶ πόθω.

Aeschines p. 611. (552. §, 218.) *ἐγὼ δὴ οὔτε τὰς Δημοσθένους διατριβὰς ἐζήλωκα, οὔτ᾽ ἐπὶ ταῖς ἐμαυτοῦ αἰσχύνομαι, οὔτε τοὺς εἰρημένους ἐν ὑμῖν λόγους ἐμαυτῷ ἀρρήτους εἶναι βουλοίμην, οὔτε τὰ αὐτὰ τούτῳ δημηγορήσας ἐδεξάμην ἂν ζῆν.* Deesse ἄν putat Bekkerus.

Quum nonnumquam vel propter librorum discrepantiam, vel propter sententiae rationem dubium videri possit, utrum nudus optativus, an idem modus cum particula

ἄν coniunctus, an coniunctivus praeferri debeat, paucis declarabimus, quid hae dicendi formae differant.

Atque ut a coniunctivo incipiamus, is deliberantis est, ut in Eumenidibus **791. 821.**

τί ῥέξω, γένωμαι;

quid agam? quid me fiat? Deliberatio autem quum ad agendum spectet, refertur coniunctivus necessario ad futura, subestque ei haec sententia: *nescio.* Alia est optativi ratio, ut apud Theocritum **XXVII. 24.**

καὶ τί, φίλος, ῥέξαιμι;

quod illic quidem vertendum est, *quid facerem?* Id vero non est deliberantis, sed iudicium exquirentis, subiectamque habet hanc sententiam: *non puto.* Iudicari autem de praesentibus et praeteritis non minus quam de futuris potest. Quare optativi usus nulli est tempori adstrictus. Hinc fit, ut, quum de praeteritis loquimur, necessario sit optativo utendum, quia de his iudicari quidem, sed non deliberari potest. Vt in Aeschyli Supplicum initio:

τίνα γοῦν χώραν εὔφρονα μᾶλλον
τῆσδ' ἀφικοίμεθα;

Patet autem, si rectam orationem restituas, non ubique posse eius verbi, cuius optativum positum videmus, indicativum adhiberi. Vt hoc ipsum τί ῥέξαιμι recta oratione dictum non est τί ἔρεξα, sed τί ῥεκτέον ἦν; Sed si quaeras ποιήσειε τοῦτο; *fecerit istud?* tum vero licebit recta oratione dici, ἐποίησε τοῦτο; Nimirum hic de facto quaeritur; in illo autem exemplo de recte faciendo: ut ibi quoque eiusdem verbi indicativo uti possis, modo sic dicas, οὐκ ὀρθῶς ἔρεξα; Nam illud τί ῥέξαιμι re vera nihil est nisi coniunctivi in oratione obliqua cum optativo commutatio. Tertia ratio est optativi cum particula ἄν coniuncti, ut Iliad. τ. **90.**

ἀλλὰ τί κεν ῥέξαιμι;

quae quod optativum habet ipsa quoque est iudicium ex-

quirentis, sed, quoniam additum est ἄν, de re ex aliqua conditione suspensa, ut sensus sit, *non puto, nisi quadam conditione*, id quod licet etiam sic exprimi, *non puto posse.* Nam quod potest vel non potest fieri, ex conditione aliqua pendeat necesse est. Id igitur recta oratione dicas, ἔρεξα ἄν, ἢ οὔ; *Nempe non fecissem.* Ex his facile coniici potest, nonnumquam his formis omnibus locum esse. Vt in Aristophanis Pluto v. **374.**

ὦ Ἡράκλεις, φέρε ποῖ τις οὖν
τράποιτο; τἀληθὲς γὰρ οὐκ ἐθέλεις φράσαι.

Quo loco si cum cod. Borg. legitur ποῖ τις ἂν τράποιτο, sensus est, *quo quis se vertere possit? wo könnte man sich hinwenden?* Coniunctivus significaret, *quo quis se vertat? wo soll man sich hinwenden?* Vulgata vero hominis est secum cogitantis, quid vel ipse vel quivis statuat de dictis illius, quem tergiversari credit: *quo quem se vertere quis censeat? wo möchte man sich hinwenden?* Eadem ratio est v. **438.**

ἄναξ Ἄπολλον καὶ θεοί, ποῖ τις φύγοι;

ubi qui φύγῃ scribunt, deliberantem faciunt Blepsidemum. Idque etsi non est in libris, tamen aptius illo loco videtur. Sic etiam apud Demosthenem in Lept. p. **492, 21.** quo loco optativi caussa utitur Reisigius, praestat quod ex aliquot codd. dedit Bekkerus: εἰ δὲ μηδ' ἂν εἷς ἐν ἅπαντι τῷ χρόνῳ τοῦτ' ἔχοι δεῖξαι γεγονός, τίνος εἵνεκ' ἐφ' ἡμῶν πρῶτον καταδειχθῇ τοιοῦτον ἔργον; Recte vero apud Sophoclem Ant. **604.** scriptum est,

τεὰν, Ζεῦ, δύνασιν τίς ἀνδρῶν
ὑπερβασία κατάσχοι;

Vbi graviter errarunt, qui κατάσχῃ reposuerunt. Non enim hic deliberationi, sed opinioni locus est. Recte etiam apud Demosthenem in or. ad Phorm. p. **921, 1.** legitur: καὶ ὅσα μὲν εἶπε μετὰ τῆς ἀληθείας, μὴ χρῆσθε τεκμηρίῳ· ἃ δ' ἐψεύσατο τὸ ὕστερον, ἐπειδὴ διεφθάρη, πιστότερα ταῦθ' ὑπολάβοιτε εἶναι; i. e. *haec vos veriora*

existimaturos quis putet? Et apud Andocidem p. 131. (184. §. 36.) *καίτοι οὐ δήπου, ὦ Ἀθηναῖοι, ὀστρακισθῆναι μὲν ἐπιτήδειός εἰμι, τεθνάναι δὲ οὐκ ἄξιος, οὐδὲ κρινόμενος μὲν ἀποφυγεῖν, ἄκριτος δὲ φεύγειν· ὁ δὲ τοσαυτάκις ἀγωνιζόμενος δικαίως καὶ νικήσας πάλιν δόξαιμι δι' ἐκεῖνα ἐκπεσεῖν;* Non mutassent viri docti *ὁ δὲ* in *οὐδέ*, ne quid de Sluiteri conatu dicam, si vidissent, postrema verba per interrogationem proferri. Sed in Erotico Demostheni tributo p. 1404, 17. quod legitur, *τῷ γὰρ εἰκάσειέ τις θνητῶν, ὃ ἀθάνατον τοῖς ἰδοῦσιν ἐργάζεται πόθον;* etsi recte dictum est hoc sensu, *cui comparaturum quis putet?* tamen non contenderim non aut scriptum esse cum particula *ἄν*, aut potuisse scribi.

Multo difficilius iudicium est de iis locis, in quibus sine interrogatione nudus positus est optativus, quod fere tam tenue ac subtile discrimen est, ut non multum intersit, utrum addatur *ἄν* an omittatur. Reisigium quidem in huius rationis explicatione ita a vero aberrasse puto, ut quod de addita particula dici debebat, ad omissam transtulerit. Quam enim conditionem intelligendam existimat, quum omissa est particula, ea non nisi quum additum est *ἄν*, intelligi potest: si quidem omnino hanc vidimus illius particulae naturam esse, ut ad conditionem aliquam referatur. Ita quum illud Moschi I. 6.

ἔστι δ' ὁ παῖς περίσαμος· ἐν εἴκοσι πᾶσι μάθοις νιν,

sic interpretatur: *inter quosvis viginti noscas, si modo noscas:* non animadvertit, id dicendum fuisse *μάθοις ἄν*. Nam si in nudo optativo ea quam vult sententia inesset, plane aliud dixisset Moschus quam volebat. Non enim certissime, sed si fors fert noscitur, qui noscitur, si modo noscitur. Atqui Moschus non *fortasse noscas Amorem*, sed *noscas opinor* dicere voluit. Sed quos in laqueos sese implicuerit Reisigius illa quam proposuit ratione, apertissime cognosci potest ex iis, quae p. 130. dicit, Homericum illud Iliad. *ε*. 303.

μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν,

sic esse intelligendum, *εἴ τινες φέροιεν, δύο γε οὐ φέροιεν*, illud autem Iliad. *α*. 271.

κείνοισι δ' ἂν οὔτις
τῶν, οἳ νῦν βροτοὶ εἰσὶν ἐπιχθόνιοι, μαχέοιτο,

non potuisse omissa particula dici, quia sic aut hoc cogitaretur, *εἴ τις μάχοιτο, οὔτις μάχοιτο ἐκείνοις*, aut hic sensus prodiret, *εἴ τις μάχοιτο ἐκείνοις, οὔτις μάχοιτο ἐκείνοις*, nemo non videt ita disputatum esse, ut, prouti quis velit, aut ex priore loco demonstrare possit, in altero delendam esse particulam, aut ex secundo loco ostendere addendam fuisse in priore. Nam si eodem modo, quo de hoc posteriore loco statuit, priorem interpretari volemus, duas habebimus perversas sententias, aut *εἴ τινες φέροιεν, οὔτινες φέροιεν*, aut *εἰ δύο γε φέροιεν, οὐ δύο γε φέροιεν*· sin posteriorem locum eo modo, quo de priore sentit, explicabimus, recte ille se habebit, evanescetque quam omissione particulae nasci putat perversitatem: *εἴ τις μάχοιτο ἐκείνοις, οὔ τις τῶν νῦν μάχοιτο*. Cur enim quum in altero loco urgeat additum praedicatum *δύο γε*, hic, ubi additum est etiam significantius, *τῶν οἳ νῦν βροτοὶ εἰσὶν ἐπιχθόνιοι*, pro non addito habet? Denique quid talibus fiet, quale hoc est, Iliad. *φ*. 274.

ἔπειτα δὲ καί τι πάθοιμι;

Quod ex ipsius praecepto quum sic interpretandum sit, *εἴ τι πάθοιμι, πάθοιμί τι*, quid id aliud est, quam quod in omnibus verborum modis locum habet? Nam etiam *πάσχω* quid aliud est quam *πάσχω εἰ πάσχω*? Itaque sic potius existimandum est, nudo optativo opinionem sine conditione, optativo cum particula *ἄν* autem suspensam ex conditione aliqua opinionem significari. Idque vidit etiam Matthiae ad Eurip. Hippol. 468. Atque illa quidem forma epici potissimum sunt usi. Homerus Od. *γ*. 231.

ῥεῖα θεός γ' ἐθέλων καὶ τηλόθεν ἄνδρα σαώσαι.

Vide ibidem 319. *ξ*. 122. *π*. 386. Iliad. *κ*. 246. 556. *ο*. 45. 197. *τ*. 321. *φ*. 274. *ω*. 213. Duo huius generis

exempla, quod de iis aliter sentire video Reisigium, ipsis verbis adscribam. Iliad. *β*. **340**.

ἐν πυρὶ δὴ βουλαί τε γενοίατο μήδεά τ' ἀνδρῶν.

quod ille p. **134**. per interrogationis figuram explicandum censet: ea non opus esse, satis docent caetera quae memoravimus exempla. Et Iliad. *ν*. **426**.

οὐδ' ἄρ' ἔτι δὴν
ἀλλήλους πτώσσοιμεν ἀνὰ πτολέμοιο γεφύρας.

quod p. **130**. nescio quo lapsu soloece dictum ratus, fecit ut eo nomine reprehendendum sit *πτώσσωμεν* scribendo. Sed Od. *η*. **314**. scribendum:

οἶκον δέ κ' ἐγὼ καὶ κτήματα δοίην,
αἴκ' ἐθέλων γε μένοις.

Vulgo *δὲ ἐγώ*· codd. nonnulli *δέ τ' ἐγώ*. Sic etiam Od. *λ*. **103**. recte Harl. et unus Vindobonensium:

ἀλλ' ἔτι μέν κε καὶ ὥς, κακά περ πάσχοντες, ἴκοισθε.

ubi vulgo *μέν γε καὶ ὥς*. Particulae *κε καὶ* iunctae reperiuntur etiam alibi, ut Il. *ο*. **235**. *ξ*. **131**. **370**. *ρ*. **546**. Od. *β*. **332**. *ι*. **303**. **334**. et *κεν καὶ λ*. **339**. Vel ex his apparere puto, quod contendit Reisigius p. **123**. omitti *ἄν*, ubi quid hypotheticum ita ponatur, ut ab ipso qui loquitur non certa ratione, sed quodam cogitandi arbitrio sit sumptum, ut est obscurius dictum, ita ne satis quidem verum esse. Exemplorum autem, quibus utitur, alia recte se habent, in quibus opinionem indicat optativus, alia vel optativum optantis habent, vel alias ob caussas ab hac disputatione removenda sunt. Et illa quidem, quae opinionem significant, haec sunt. Aristoph. Eq. **1057**.

ἀλλ' οὐκ ἂν μαχέσαιτο· χέσαιτο γάρ, εἰ μαχέσαιτο.

Pind. Ol. III. 81. *κεινὸς εἴην*. Nam *κεῖνος εἴην*, quod probabat Reisigius, id ut optantis esset, hodie ipsum iam improbare credo. Ol. XI. fin.

τὸ γὰρ ἐμφυὲς οὔτ' αἴθων ἀλώπηξ

οὔτ' ἐρίβρομοι λέον-
τες διαλλάξαιντο ἦθος.

Eurip. Hippol. 468.

οὐδὲ στέγην γὰρ ἧς κατηρεφεῖς δύμοι
καλῶς ἀκριβώσειαν.

Theocr. VIII. 89.

οὕτως ἐπὶ ματέρα νεβρὸς ἄλοιτο·

et 91.

οὕτω καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο.

et hoc postremum quidem mirum est ab Reisigio non magis quam a Poppone in diss. de particula ἄν intellectum esse. Quod si ad γαμεθεῖσα, quod non est idem atque γαμηθεῖσα, attendissent, vidissent sensum esse: *ita puella nuptum expetita doleat.* Idem IV. 11.

πείσαι τοι Μίλων καὶ τὼς λύκος αὐτίκα λυσσῆν.

Ad idem genus etiam illi sunt loci referendi, in quibus quae indicatur opinio cum voluntatis quadam significatione coniuncta est. Theocr. VIII. 18.

σύριγγ' ἂν ἐποίησα καλὰν ἐγὼ ἐννεάφωνον —
ταύταν κατθείην.

hanc oppignerem. Isocr. Paneg. p. 253. C. οὐ γὰρ ἀποκρύψαιμι τἀληθές. Bekkerus optimi codicis auctoritate ἀποκρύψομαι, quod tamen non vacat suspicione manus correctricis. Eurip. Iph. Aul. 1210.

οὐδεὶς πρὸς τάδ' ἀντείποι βροτῶν.

nemo contradicet i. e. velit contradicere. Pind. Pyth. IV. 118.

Αἴσονος γὰρ παῖς ἐπιχώριος οὐ ξεί-
ναν ἱκοίμαν γαῖαν ἄλλων

nolim venisse, quem locum audacissima coniectura ten-

tavit Reisigius in comm. cr. ad Oed. Col. 199. Mosch. III. 114.

τῷ δ' ἐγὼ οὐ φθονέοιμι.

nisi ille scripsit οὐδέ κ' ἐγὼ φθονέοιμι. Theocr. XXII. 74.

οὐκ ἄλλῳ γε μαχεσσαίμεσθ' ἐπ' ἀέθλῳ.

XXVII. 60.

φής μοι πάντα δόμεν· τάχα δ' ὕστερον οὐδ' ἅλα δοίης.

Qui autem loci non debebant afferri, hi sunt: primo ubi optativus optantis est: Soph. Ai. 904. meae ed. Aesch. Ag. 225. Deinde in quibus ἄν idonea codicum auctoritate firmatur, ut in Plat. Theaet. p. 166. A. ubi cod. Bodl. et quattuor ex tredecim Bekkeri libris, et Cratyl. 397. A. ubi idem Bodl. et ex duodeviginti Bekkeri libris sex tuentur ἄν. Tum Soph. Oed. Col. 42. ubi vide quae notavimus. Porro Aristoph. Av. 180. ubi scribendum videtur ὥσπερ εἴπῃ τις. Apud Aeschylum Suppl. 735. facilior est Erfurdtii coniectura,

ἴσως γὰρ ἂν κήρυξ τις ἦ πρέσβυς μόλοι·

quamquam non contenderim non potuisse omitti ἄν. In Eurip. Heracl. 527. particulae δὲ καὶ μᾶλλον faciunt, ut non valde laudandum putem Scaligerum, qui πρέποι pro πρέπει scribendum iudicaverit. De Soph. Antig. 912. vide quae adnotavi ad eum locum v. 903. meae ed. Denique illud valde miror, quod p. 134. a Schaefero in errorem abduci se passus est Reisigius. Nam quod ille ad Posidippi versum in Poesi gnom. p. 195. dicit, in verbis

ποίην τις βιότοιο τάμῃ τρίβον,

ut ex cod. edidit Brunckius, optativum defendi Metrodori parodia,

παντοίην βιότοιο τάμοις τρίβον,

nequaquam verum est. Posidippum enim, ut qui deliberaret, coniunctivo uti necesse erat; Metrodorus autem,

qui iuberet, non potuit non optativum ponere. Quod ibidem affert Schaeferus ex Iliad. δ. 93. η. 48.

ἦ ῥά νύ μοί τι πίθοιο;

non est, ut ipse existimare videtur, dictum omissa, quae addenda fuisset, particula, sed quia conditio abest: *velisne mihi obedire?* Nam ubi inest conditio, ἄν est adiiciendum, ut in eo versu, qui in priore loco statim sequitur,

τλαίης κεν Μενελάῳ ἐπιπροέμεν ταχὺν ἰόν;

Nempe *si quis te roget.* Apud Platonem Euthyd. p. 292. E. libri consensu: καὶ ὅπερ ἔλεγον, τοῦ ἴσου ἡμῖν ἐνδεῖ ἢ ἔτι πλέονος πρὸς τὸ εἰδέναι τίς ποτ' ἐστὶν ἡ ἐπιστήμη ἐκείνη, ἣ ἡμᾶς εὐδαίμονας ποιήσειεν. Sentiebat vitium Heindorfius, qui ποιήσει scriptum malebat, suppleri tamen ad optativum ἄν posse ratus: in quo fallitur. Optativus quidem recte se habet, sed ut sit orationis obliquae, quam sic restitue: καὶ ὅπερ ἔλεγον τοῦ ἴσου ἡμῖν ἐνδεῖν, constructione illa, de qua dictum ad Viger. p. 745. 751. 894.

VI.

De optativo rectae orationis cum ἄν.

Iam denique dicendum est de optativi usu eo, qui adiungi postulat particulam ἄν. Atque ex iis, quae hactenus dicta sunt, satis planum esse putamus, propriam huius constructionis vim esse eam, ut opinio cum conditione coniuncta significetur. Vix ullum huic rationi declarandae aptius exemplum inveniri poterit, quam illud Aeschyli in Ag. 1057.

ἐντὸς δ' ἂν οὖσα μορσίμων ἀγρευμάτων,
πείθοι' ἄν, εἰ πείθοι'· ἀπειθοίης δ' ἴσως.

Dubitanter enim dictum πείθοι' ἄν, quia ex eo pendet, ut placeat Cassandrae obedire: sine conditione autem ἀπειθοίης, quod id putat futurum esse chorus. Alia quaedam

exempla, in quibus diserte addita est conditio, vide apud Reisigium p. 124.

Apparet ex his, optativo cum particula ἄν coniuncto opinionem significari de eo, quod ex aliqua conditione pendeat. Atqui quod sic demum esse putamus, ut non sit nisi conditione aliqua impleta, id apertum est non ut quod vere sit, sed ut quod possit esse cogitari. Eo factum est, ut grammatici particulam illam *σύνδεσμον δυνητικὸν* appellarent. Quod tamen non sic est intelligendum ac si *ποιοῖμ' ἄν* idem sit quod *δύναμαι ποιεῖν*. Nam illud posterius rei verae enunciationem continet, esse mihi potestatem faciendi. Hoc autem *ποιοῖμ' ἄν* opinionem indicat, facturum me esse, si forte impleta sit conditio aliqua, cur faciam. Vt quod est in Prometheo,

ἀλλ' οὔτε σιγᾶν οὔτε μὴ σιγᾶν τύχας
οἷόν τέ μοι τάςδ' ἐστί,

quis ita dicat, *οὔτε σιγῷμ' ἄν, οὔτ' οὐ σιγῷμ' ἄν?* Neque enim quid fortasse facturus sit, dicere vult Prometheus, sed re vera nec tacere se nec non tacere iniuriam qua affectus sit posse. Contra quod posuit Herodotus IV. 195. *εἴη δ' ἂν πᾶν, ὅκου καὶ ἐν Ζακύνθῳ ἐκ λίμνης καὶ ὕδατος πίσσην ἀναφερομένην αὐτὸς ἐγὼ ὥρεον*, nemo non videt, si dixisset *δυνατόν ἐστι*, multo eum confidentius dixisse et detracta opinionis modestia, quam quum, ut fecit, opinari se indicavit, nihil, certis quidem conditionibus, incredibile esse. Et hoc quidem genus ita tritum est ut exemplis non indigeat.

VII.

De optativo cum ἄν pro futuro.

Cum hoc significatu coniunctissimus est alius, isque non minus frequens. Nam quae opinamur impleta aliqua conditione fieri, sive quae possunt fieri, per se ipsa nulli sunt tempori adstricta: sola enim in cogitatione nostra versantur. Itaque nisi diserte ad praesentia vel praeterita referuntur, consentaneum est, ut, quoniam rei vere fa-

ctae notatione carent, ad illud praecipue tempus trahantur, quod natura sua res non factas complectitur, i. e. ad futurum. Ita factum est, ut optativus cum particula ἄν consociatus futuri significationem habere existimetur. Sed hoc quoque ita est comparatum, ut ipsum futurum tempus rem ut certam enunciet, optativus et ἄν autem ut talem, quae videatur futura esse, si impleatur illa ex qua pendet conditio. Ita differunt haec:

ἃ δεῖ γενέσθαι, ταῦτα καὶ γενήσεται.
ὅ τι τοι μόρσιμόν ἐστιν, τὸ γένοιτ᾽ ἄν.

Attici quidem, qui amant omnia dubitantius dicere, prae caeteris hoc optativi usu delectantur. Qui si nonnumquam etiam quum quid certissime futurum dicere volunt, optativum praeferunt, non est ea negligentia existimanda, sed figura etiam aliis in dicendi generibus usitatissima, qua verba dubitationis plena, pronunciata significantius, fortius asseverant.

Hic vero optativi cum particula ἄν coniuncti usus vel per se ipse prodit, cur haud facile quis, ut futura indicet, futuri sit optativo usurus. Quum enim iam γίγνοιτ᾽ ἄν et γένοιτ᾽ ἄν ad res futuras referantur, quid opus est dicere γενήσοιτ᾽ ἄν? Quin si quis ita loqueretur, videretur ille praesentia ac praeterita excludere. Id vero, nisi quaedam plane singularis ratio fieri iubeat, ne recte quidem faciat. Nam quae futuro aliquo tempore fieri possunt, etiam nunc possunt fieri, et ante facta esse. Quare vix puto exempla illius constructionis, quae non mendosa sint, inventum iri. Apud Aristophanem quidem Vesp. 1094. recte iam legitur:

οὐ γὰρ ἦν ἡμῖν ὅπως
ῥῆσιν εὖ λέξειν ἐμέλλομεν τότ᾽, οὐδὲ
συκοφαντήσειν τινὰ
φρόντις, ἀλλ᾽ ὅστις ἐρέτης ἔ-
σοιτ᾽ ἄριστος,

pro ὃς ἄν, ex libris Rav. et Ven. qui ὅστις ἄν habet. Mirum vero apud Lycurgum §. 15. p. 149. Reisk. nullum

editorum ad haec verba offendisse: *εὖ γὰρ ἴστε, ὦ Ἀθηναῖοι, ὅτι ᾧ πλεῖστον διαφέρετε τῶν ἄλλων ἀνθρώπων τῷ πρός τε τοὺς θεοὺς εὐσεβεῖν καὶ πρὸς τοὺς γονεῖς ὁσίως καὶ πρὸς τὴν πατρίδα φιλοτίμως ἔχειν, τούτου πλεῖστον ἀμελεῖν δόξοιτ' ἄν, εἰ τὴν παρ' ὑμῶν οὗτος διαφύγοι τιμωρίαν.* Id scribendum puto *δόξαιτ' ἄν.*

VIII.

De optativo cum ἄν pro praeterito.

Alia vero in temporum ratione dubitatio sese offert, si de praesentibus et praeteritis quaeritur. Nam etsi *πεποιήκοι ἄν* aperte praeteriti temporis notationem continet, tamen hoc quoque non minus ad futurum trahi potest, ut factum quid fore significetur, quam *ποιοῖ ἄν* et *ποιήσειεν ἄν*. Et tamen ista omnia etiam non modo praesentis, sed adeo praeteriti significationem habent. Huius rei ratio sic est animo informanda. Manet sua cuique tempori vis. Et aoristus quidem praeteriti quum proprie id quod aliquando factum sit significet, transfertur ad ea omnia, quae ut iam perfecta cogitari volumus, sive ea ante perfecta sint, sive nunc, sive postero tempore, ita tamen, ut quum de re praesente vel futura dicitur, cogitationem tantum perfectionis contineat, ideoque vel ipse, ut in imperativo vel in optativo cum *ἄν*, cogitationem indicet, vel ex verbo pendeat quo quid cogitari significetur. Quoniam autem quae iam perfecta esse cogitantur, vacua sunt notione durantis facti, consequens est non posse usurpari aoristum, ubi quid ut nondum ad finem perductum, ideoque vel durans adhuc, vel ex eiusdem actionis nondum absoluta repetitione constans cogitari volumus, sed ad ea pertinere, quae vel brevi momento temporis vel semel facta intelligimus. Ita patet, manere propriam aoristi vim in omni eius usu, licet prima specie diversissimo. Hinc illae observationes grammaticorum verissimae: Apollonii de Syntaxi III. 24. p. 251. (253. Bekk.) *ὁ γὰρ ἀποφαινόμενος οὕτω, γρά-*

φε, σάρου, σκάπτε, ἐν παρατάσει τῆς διαθέσεως τὴν πρόσταξιν ποιεῖται, ὡς ἔχει καὶ τό,

βάλλ' οὕτως, αἴ κέν τι φόως Δαναοῖσι γένηαι·

φησὶ γάρ, ἐν τῷ πολέμῳ καταγίνου εἰς τὸ βάλλειν. ὅ γε μὴν λέγων κατὰ τὴν τοῦ παρῳχημένου προφορὰν γράψον, οὐ μόνον τὸ μὴ γενόμενον προστάσσει, ἀλλὰ καὶ τὸ γινόμενον ἐν παρατάσει ἀπαγορεύει, εἴ γε καὶ τοῖς γράφουσιν ἐν πλείονι χρόνῳ προσφωνοῦμεν τὸ γράψον, τοιοῦτόν τι φάσκοντες, μὴ ἐμμένειν τῇ παρατάσει, ἀνύσαι δὲ τὸ γράφειν. Et Etym. Gud. p. **472, 26.** ζήσαιμι, ζήσειας δὲ οὐ λέγουσι, διότι τῇ εὐκτικῇ εὐχὴν δηλοῦσι πράγματος ὀφείλοντος πληρωθῆναι. ὁ γὰρ λέγων γράψειας εὔχεται ὅπως εἰς τέλος ἔλθῃ τοῦ γράψαι· ὁμοίως καὶ τὰ λοιπὰ πληρωθῆναι, ὅπερ οὐ λέγειν δεῖ ζήσειας· ὁ γὰρ τοῦτο λέγων εὔχεται ἵνα ἔλθῃ εἰς τέλος τῆς ζωῆς, καὶ λοιπὸν εὑρίσκεται καταρώμενος ἑαυτῷ· δεῖ δὲ λέγειν ζῴην, ζῴης, ζῴη. Vide eadem in Etym. M. p. **760, 24.** Contraria praesentis ratio est, quod quum natura sua rem fientem nec dum obsolutam significet, optativus eius temporis cogitationem notat rei, quam, quocumque eam tempore fieri sumamus, vel durare eo tempore, vel in facti nondum absoluta repetitione positam intelligimus.

His praemissis exempla afferamus et aoristi et praesentis optativi de re praeterita dicti. Homerus Iliad. δ. **539.**

ἔνθα κεν οὐκέτι ἔργον ἀνὴρ ὀνόσαιτο μετελθών,

ε. **311.**

καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο ἄναξ ἀνδρῶν Αἰνείας,
εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε Διὸς θυγάτηρ Ἀφροδίτη.

et **388.**

καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο Ἄρης ἄατος πολέμοιο,
εἰ μὴ μητρυιὴ περικαλλὴς Ἠερίβοια
Ἑρμέᾳ ἐξήγγειλεν.

μ. **58.**

ἔνθ' οὔ κεν ῥέα ἵππος ἐὔτροχον ἅρμα τιταίνων
ἐσβαίη, πεζοὶ δὲ μενοίνεον εἰ τελέοιεν.

ρ. 70.

ἔνθα κε ῥεῖα φέροι κλυτὰ τεύχεα Πανθοΐδαο
Ἀτρείδης, εἰ μή οἱ ἀγάσσατο Φοῖβος Ἀπόλλων.

398.

οὐδέ κ' Ἄρης λαοσσόος, οὐδέ κ' Ἀθήνη
τόν γε ἰδοῦσ' ὀνόσαιτ', οὐδ' εἰ μάλα μιν χόλος ἴκοι.

Herodotus VII. 180. *καὶ ἔπειτα τῶν ἐπιβατέων αὐτῆς τὸν καλλιστεύοντα ἀγαγόντες ἐπὶ τὴν πρῴρην τῆς νηὸς ἔσφαξαν, διαδέξιον ποιεύμενοι τὸν εἶλον τῶν Ἑλλήνων πρῶτον καὶ κάλλιστον. τῷ δὲ σφαγιασθέντι τούτῳ ὄνομα ἦν Λέων· τάχα δ' ἄν τι καὶ τοῦ ὀνόματος ἐπαύροιτο.* VII. 214. *εἰδείη μὲν γὰρ ἂν καὶ ἐὼν μὴ Μηλιεὺς ταύτην τὴν ἀτραπὸν Ὀνήτης, εἰ τῇ χώρῃ πολλὰ ὡμιληκὼς εἴη.* IX. 71. *ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ φθόνῳ ἂν εἴποιεν.* Haec omnia etiam de re praesente vel futura dici potuissent, si res postularet. Caeterum animadverte, pro solis illis *καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο* et *ἔνθα κε ῥεῖα φέροι* etiam *ἀπώλετο ἄν, ἔφερεν ἄν* dici potuisse, quia opponi potest *ἀλλ' οὐκ ἀπώλετο, ἀλλ' οὐκ ἔφερε.* Sed dictum sine illius oppositionis cogitatione, optativum postulabat, ut caetera, in quibus non potest opponi contrarium.

Contra de re praeterita quae vel diuturnior sit vel saepius repetita, praesentis optativum posuit Herodotus I. 2. ubi quum Persas narrare dixisset, Europam a Graecis quibusdam, quorum ipsi sedem nesciant, raptam esse, addit: *εἴησαν δ' ἂν οὗτοι Κρῆτες. fuerint isti Cretenses.* Sed eadem formula utitur de re praesente II. 6. IV. 195. Idem VII. 184. *ἤδη ὧν ἄνδρες ἂν εἶεν ἐν αὐτοῖσι τέσσερες μυριάδες καὶ εἴκοσι.* Quae scriptura recte est a Schweighaeusero praelata illi, quam Reizius et Schaeferus ex paucis codd. receperunt, *ἤδη ὧν ἂν ἦν.* Non enim potest opponi *ἀλλ' οὐκ ἦν.* Quin potest etiam ut de praesente dicta accipi haec sententia. Idem I. 70. *τάχα δὲ ἂν καὶ οἱ ἀποδόμενοι λέγοιεν ἀπικόμενοι ἐς Σπάρτην, ὡς ἀναιρεθείησαν ὑπὸ Σαμίων.* Intelligitur enim id saepius ab illis esse dictitatum. Et VIII. 136. *τάχα δ' ἂν*

καὶ τὰ χρηστήρια ταῦτά οἱ προλέγοι, συμβουλεύοντα σύμμαχον τὸν Ἀθηναῖόν οἱ ποιέεσθαι. Plura enim id dixerant oracula.

IX.

De optativo cum ἄν in iubendo.

Optativus cum particula ἄν coniunctus quoniam quae possunt fieri significat, usus duos accepit alios, qui cum illa eius potestate sunt coniunctissimi. Eorum alter in iubendo cernitur, lenior ille imperativo, sed tamen, quoniam permittendi speciem habet, ut pro vocis conformatione etiam vel severior vel superbior videri possit, ut in Soph. El. 1491.

χωροῖς ἄν εἴσω σὺν τάχει· λόγων γὰρ οὐ
νῦν ἐστὶν ἀγών, ἀλλὰ τῆς ψυχῆς πέρι.

et in Antig. 444.

σὺ μὲν νομίζοις ἄν σεαυτὸν ἢ θέλεις,
ἔξω βαρείας αἰτίας ἐλεύθερον.

Quae formula quia proprie non iubentis est, sed dicentis quid fieri possit, non habet μή, ubi negatio accedit, sed οὔ. Iliad. β. 250.

τῷ οὐκ ἂν βασιλῆας ἀνὰ στόμ' ἔχων ἀγορεύοις.

Notatu dignum est, hanc rationem loquendi, quae familiaris sermonis speciem prae se fert, in foedere Eleorum ut solemnem formulam pro imperativo usurpari: v. Boeckhii Corpus Inscr. Graec. fasc. I. p. 26. ut συμμαχία κ' ἔα ἑκατὸν ἔτεα, et quae alia ibi plura huiusmodi exstant.

X.

De optativo cum ἄν in optando.

Alter usus in optando positus est, ita quidem ut de eo, quod optamus, quaeratur quomodo fieri possit. Ita-

que nihil frequentius, quam πῶς ἄν, in hoc genere est. Eurip. Suppl. 796.

πῶς ἂν ὀλοίμην σὺν τοῖσδε τέκνοις
κοινὸν ἐς Ἅιδην καταβᾶσα.

Vide ibi Marklandum, et Valckenarium ad Hippol. 208. qui tamen quum, ut solet exquisita captare, Sophoclem fortasse semel tantum πῶς ἂν ita posuisse dicit, fallitur. Vide Brunckium ad Ai. 388. Non solum autem πῶς ἂν ita usurpatur, sed quodvis aliud interrogativum vocabulum, quod quidem rei aptum sit, eam rationem admittit. Vt τίς. Aesch. Ag. 1457.

φεῦ τίς ἂν ἐν τάχει μὴ περιώδυνος
μηδὲ δεμνιοτήρης
μόλοι τὸν αἰεὶ φέρουσ' ἐν ἡμῖν
μοῖρ' ἀτέλευτον ὕπνον;

Vide Soph. Ai. 879.

XI.

De optativo cum ἂν in sententia conditionali.

Reliquum est ut de sententiis conditionalibus et finalibus videamus.

Et in conditionali quidem sententia duplex est particulae ἂν cum optativo constructio, altera propria veterum epicorum, particulam sic adiectam habens, ut magis ad voculam conditionalem, quam ad optativum pertineat: quare cultior sermo ut non necessariam omittit. Iliad. α. 59.

Ἀτρείδη, νῦν ἄμμε παλιμπλαγχθέντας ὀΐω
ἀψ ἀπονοστήσειν, εἴ κεν θάνατόν γε φύγοιμεν.

ε. 273.

εἰ τοῦτω κε λάβοιμεν, ἀροίμεθά κεν κλέος ἐσθλόν.

Quibus in locis ne putes *posse* significari, plurimi obstant alii loci, ut Iliad. ζ. 49.

τῶν κέν τοι χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα,

αἴκεν ἐμὲ ζωὸν πεπύθοιτ᾽ ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.

quae verba etiam κ. 380. et λ. 134. leguntur, sed in hoc postremo loco omissa particula κέν. Adde β. 123. θ. 196. 205. ι. 141. 283. 362. 445. ν. 288. χ. 220. ψ. 346. 592. Hesiod. O. et D. 359. 432. 690. Praeposita est particula Od. ρ. 223.

τόν κ᾽ εἴ μοι δοίης σταθμιῶν ῥυτῆρα γενέσθαι.

iterata apud Hesiod. O. et D. 423.

εἰ δέ κεν ὀκταπόδην ἄπο καὶ σφῦράν κε τάμοιο.

Iliad. α. 549. Wolfius ex coniectura, ut videtur, dedit:

ὃν δέ κ᾽ ἐγὼν ἀπάνευθε θεῶν ἐθέλωμι νοῆσαι,
μήτι σὺ ταῦτα ἕκαστα διείρεο, μηδὲ μετάλλα.

recte fortasse: verum tamen non ut vitiosus putandus sit qui vulgo legitur optativus. Is enim facit ut sensus sit, εἰ δέ κ᾽ ἐγὼν ἐθέλοιμι, quod apodosin postularet talem, οὐκ ἂν γνοίης ταῦτα, pro qua fortior infertur admonitio. Minus etiam probem, ut id hac opportunitate addam, Aristarchum, Iliad. θ. 23. ἐθέλωμι scribentem:

ἀλλ᾽ ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλωμι ἐρύσσαι,
αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ᾽, αὐτῇ τε θαλάσσῃ.

Non enim facturum se id Iuppiter indicat, sed dicit, quid, si velit facere, futurum sit. Rectius, ut in re vere futura, restitutus coniunctivus Iliad. ι. 397.

τάων ἥν κ᾽ ἐθέλωμι, φίλην ποιήσομ᾽ ἄκοιτιν.

Sic etiam Od. τ. 489.

οὐδὲ τροφοῦ οὔσης σεῦ ἀφέξομαι, ὁππότ᾽ ἂν ἄλλας
δμωὰς ἐν μεγάροισιν ἐμοῖς κτείνωμι γυναῖκας.

Hic quoque vulgo optativus legitur.

Diximus hoc genus constructionis epicorum proprium esse, ut vel propterea suspectum esse debeat, quod apud Euripidem Androm. 771. legimus:

εἴ τι γὰρ ἂν πάσχοι τις ἀμήχανον, ἀλκῆς
οὐ σπάνις εὐγενέταις.

At facile codicum quorumdam scriptura *πάσχῃ* monstrare potest, scribendum esse *εὖτε γὰρ ἂν πάσχῃ*.

Altera constructio particulae *ἄν* cum optativo in sententia conditionali ea est, quae particulam cum ipso iungi optativo postulat, facitque ut vel posse quid fieri, vel quidquid etiam sine particula conditionali optativus cum *ἄν* notat significetur. Nam differt hoc genus ab illo, de quo supra dictum, in quo optativus pro rectae orationis coniunctivo positus est. In his enim, de quibus nunc dicimus, nihil nisi particula conditionalis vel finalis ad optativum rectae orationis cum *ἄν* coniunctum accedit. Et *posse* quidem significatur his in locis: Aristophanes Nub. 1184.

εἰ μή πέρ γ' ἅμα
αὐτὴ γένοιτ' ἂν γραῦς τε καὶ νέα γυνή.

Xenophontis Cyrop. III. 55. *τοὺς δ' ἀπαιδεύτους παντάπασιν ἀρετῆς θαυμάζοιμ' ἄν, ἔφη, ὦ Χρυσάντα, εἴ τι πλέον ἂν ὠφελήσειε λόγος καλῶς ῥηθεὶς εἰς ἀνδραγαθίαν ἢ τοὺς ἀπαιδεύτους μουσικῆς ἅσμα μάλα καλῶς ᾀσθὲν εἰς μουσικήν.* Vide Aeschin. de falsa leg. p. 265. Reisk. (§. 94. p. 412. Bekk.) Demosth. p. 44, 29. 196, 20. ubi Bekkerus indicativum sine *ἂν* posuit; 582, 24. 748, 14. 903, 19. 1108, 6. 1206, 21. 1300, 8. 1337, 8. Pro futuro autem, ut in Xenoph. Cyrop. IV. 2, 37. *ἄγετε νῦν, ἔφη, ὦ ἄνδρες, εἴ τινες ὑμῶν τὰ μὲν κακὰ μισεῖτε, ἀγαθοῦ δέ τινος παρ' ἡμῶν βούλοισθ' ἂν τυγχάνειν.* Vide Platon. Protag. p. 329. B. ubi conferendus Heindorfius p. 535. Non recte vero olim iudicavi de Pindari verbis Pyth. IV. 468. (263.)

εἰ γάρ τις ὄζους ὀξυτόμῳ πελέκει
ἐξερείψαι κεν μεγάλας δρυός, αἰσχύνοι τέ οἱ θαητὸν εἶδος.

Videtur ibi *κὲν* in *μὲν* mutandum esse: nam monstruosum *ἐξερείψῃ κεν* habeat sibi qui invenit.

Eadem, quam particula *εἰ* vere conditionalis rationem habet, etiam tum obtinet, quum interrogativa est, *an* significans. Xenophon Cyrop. I. 6, 10. *ἐρωτᾷς, ἔφη, ὦ*

παῖ, εἴ τις ἂν ἀπὸ σοῦ πόρος προσγένοιτο. Sic etiam VIII. 3, 26. et alibi saepissime.

Ad hoc genus constructionis pertinent etiam particulae ὡς et ὅπως, *quomodo* significantes, quae saepissime cum optativo et ἄν coniunguntur. Nam etiam sine illis particulis oratio optativum et ἄν habitura esset. Xenophon. Hist. Gr. VII. 1, 27. ἐκεῖ δὲ ἐλθόντες, τῷ μὲν θεῷ οὐδὲν ἐκοινώσαντο, ὅπως ἂν ἡ εἰρήνη γένοιτο, αὐτοὶ δὲ ἐβουλεύοντο. Vide III. 2, 1. IV. 1, 40. VI. 4, 28. Demosth. p. 195, 27. 345, 11. 932, 22. Platon. Phaedr. p. 231. A. Conferendus ad eum dialogum Heindorfius p. 198.

Addam his aliud genus optativi in sententia conditionali cum particula ἄν consociati, cuius ratio quum lateret viros doctos, tollendum iudicarunt ἄν, ut Thierschius apud Pindarum Nem. VII. 131. εἰ δ' αὐτὸ καὶ θεὸς ἂν ἔχοι. Potest ita accipi etiam illud Xenophontis in initio Agesilai, ubi Schaeferus removendum censebat ἄν: οὐ γὰρ ἂν καλῶς ἔχοι, εἰ ὅτι τελέως ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐγένετο, διὰ τοῦτο οὐδὲ μειόνων ἂν τυγχάνοι ἐπαίνων. Quamquam nihil impedit quin hic locus etiam sic intelligatur: *malum esset, si, quod perfectissimae virtutis vir fuit, ne tenuiorem quidem posset laudationem nancisci.*

Tenendum est autem, quod ad collocationem particulae ἄν in hisce sententiis conditionalibus attinet, nihil interesse, utrum statim post particulam conditionalem, an interpositis aliquot vocibus, an demum post verbum ponatur. Demosthenes p. 115, 9. οἷς ἂν ἐγὼ ληφθείην, ταῦτα πράττων. 167, 17. ὅπως ἄν τις ὀνομάσαι. 168, 24. ὡς ἂν συνταχθείητε. Xenophon Hellen. VI. 1, 9. οἶμαι ἄν, αὐτῶν εἰ καλῶς τις ἐπιμελοῖτο, οὐκ εἶναι ἔθνος, ὁποίῳ ἂν ἀξιώσαιεν. Demosthenes p. 286, 28. ἃ ἂν εὔξαιτο, ποιήσομεν. 473, 26. ἐπειδὴ δ' ἐπράξαμεν πάνθ' ὅσ' ἂν εὐξαίμεθα. 1112, 2. ἐῶ — ὅσ' ἂν ἔχοιμι εἰπεῖν. 815, 7. ὡς ἂν συντομώτατ' εἴποι τις. 1401, 18. ὅν τις ἂν κατάθοιτο. Sed idem p. 73, 5. ἅπερ εὔξαισθ' ἄν.

Plato Phileb. p. 15. C. *ὡς γ᾽ οὖν ἐγὼ φαίην ἄν.* Theocritus XXV. 60.

ἐγὼ δέ τοι ἡγεμονεύσω
αὐλιν ἐς ἡμετέρην, ἵνα κεν τέτμοιμεν ἄνακτα.

XII.

De optativo cum ἄν in sententia finali.

Particula *ἄν* in sententia finali cum optativo, qui non sit pro rectae orationis coniunctivo positus, ibi tantum usurpatur, ubi finis is est, ut possit aliquid fieri. Et sic iam Homerus Od. *β*. 52.

οἱ πατρὸς μὲν ἐς οἶκον ἀπερρίγασι νέεσθαι
Ἰκαρίου, ὥς κ᾽ αὐτὸς ἑεδνώσαιτο θύγατρα,
δοίη δ᾽ ᾧ κ᾽ ἐθέλοι καί οἱ κεχαρισμένος ἔλθοι.

Sic ibi scribendum, non, ut vulgo, *μέν*. Od. *μ*. 156.

ἀλλ᾽ ἐρέω μὲν ἐγών, ἵνα εἰδότες ἤ κε θάνωμεν,
ἤ κεν ἀλευάμενοι θάνατον καὶ κῆρα φύγοιμεν.

π. 295.

νῶϊν δ᾽ οἵοισιν δύο φάσγανα καὶ δύο δοῦρε
καλλιπέειν καὶ δοιὰ βοάγρια χερσὶν ἑλέσθαι,
ὡς ἂν ἐπιθύσαντες ἑλοίμεθα.

Sed *ω*. 530.

ἴσχεσθε πτολέμου, Ἰθακήσιοι, ἀργαλέοιο,
ὥς κεν ἀναιμωτί γε διακρινθεῖτε τάχιστα,

non est cur posthabeatur quod libri nonnulli praebent *διακρινθῆτε*. Sophocles Oenomao apud Aristoph. Av. 1337.

γενοίμαν αἰετὸς ὑψιπέτας,
ὡς ἂν ποταθείην ὑπὲρ ἀτρυγέτου γλαυκᾶς ἐπ᾽ οἶδμα λίμνας.

Quem locum Elmsleius ad Soph. Ai. 1217. quod Atticos

non ita loquutos putabat, Simonidis vel alius lyrici esse suspicabatur. Euripides Iph. T. 1024.

ΟΡ. τί δ' εἴ με ναῷ τῷδε κρύψειας λάθρᾳ;
ΙΦ. ὡς δὴ σκότος λαβόντες ἐκσωθεῖμεν ἄν;

Demosthenes p. 66, 12. *ἔπειθ' ὑμεῖς οἱ καθήμενοι, ὡς μὲν ἂν εἴποιτε δικαίους λόγους καὶ λέγοντος ἄλλου συνείητε, ἄμεινον Φιλίππου παρεσκεύασθε· ὡς δὲ κωλύσαιτ' ἂν ἐκεῖνον πράττειν ταῦτα ἐφ' ὧν ἐστὶ νῦν, παντελῶς ἀργῶς ἔχετε.* Variat ibi scriptura, aliis libris *εἴπητε* et *συνίητε* vel *συνίοιτε* exhibentibus. Nimis breviter Schaeferus: „*συνείητε*, ut oportebat, Bekkerus." Ego quidem cur in priore membro orationis optativi positi sint, fateor me non perspicere. In altero autem membro et res ipsa et collocatio particulae optativum tuetur. Male vero in Sophoclis fragmento apud Stobaeum Serm. XL. 3. legitur:

μή μοι κρυφαῖον μηδὲν ἐξείπῃς ἔπος·
κλεῖθρον γὰρ οὐδέν· ὡς δ' ἂν εὐπετὲς λάβοις,
γλώσσης κρυφαῖον οὐδὲν οὐ διέρχεται.

Scribe *ὡς δ' ἂν εὐστεγὲς λάβῃς*, *quamvis facile celatu acceperis.*

LIBER QVARTVS.

I.

De ἄν cum imperativo.

Dubitatum est, an etiam imperativo iungi possit *ἄν*. Ac fuerunt, quibus id non esset offensioni, in iisque ipse R. Bentleius, cui modeste contradixit Lennepius ad Phalar. p. 310. Nisi egregie fallor, accidit criticis hic quoque, quod saepe, ut viderent verum, sed eo uti nescirent. Nam repugnat sane, cum imperativo, qui modus verbi ita definitus est, ut non videatur conditionem posse adsignificare, particulam conditionalem *ἄν* construi. Verum temere ta-

men ageret, qui, sicubi addita reperitur, statim eiiceret, nec reputaret, posse eam fortasse alio referri. Ac multis id modis fieri potest. In ipso illo Phalaridis loco ep. 107. quum libri habeant *ὃ᾽ ἀνεπαχθέστατον — προσδέχου*, ego quidem non tollendum *ἂν* putem, sed addendum ei *ὡς: σώματος μὲν γὰρ ἀῤῥωστίαν θεραπεύει τέχνη· ψυχῆς δὲ νόσον ἰᾶται θάνατος, ὃν ὡς ἂν ἐπαχθέστατον ἀντὶ πολλῶν καὶ μεγάλων ἀδικημάτων, οὐκ ἀκουσίων ὧν ἐμοὶ προστρέπεις, ἀλλ᾽ ἑκουσίων ὧν αὐτὸς εἴργασαι, προσδέχου*. Apertum est, sic iungi quidem *ἂν* cum imperativo, sed non construi: sensus est enim, *ὡς ἂν ἐπαχθέστατος εἴη*. Magis dubius videri potest Aristophanis locus Ach. 1200. ubi *φιλήσατόν με τὸ περιπεταστὸν κἀπιμανδαλωτὸν ἂν* in edd. vulgaribus scriptum est, sed codd. particulam omittunt. Sunt illa antistrophica, in quibus mirum in modum grassati sunt veteres metrici, quum trimetros voluerunt restituere. Quae verae scripturae sint, ambiguum est, quum propter librorum dissensum, tum quod in antistropha versus excidit. Quod si recte codd. habent,

φιλήσατόν με μαλθακῶς, ὦ χρυσίω,
τὸ περιπεταστὸν κἀπιμανδαλωτόν,

quod sane ita videtur, posteriori huic versui respondet is, qui addito in libris quibusdam *οὖν* quartus strophae est,

ἐκεῖνο δ᾽ οὖν αἰακτὸν ἂν γένοιτο.

Ita quintus versus antistrophae, qui trimeter iambicus fuit, interiit. Et sic exemptum est hoc exemplum iis, quae *ἄν* cum imperativo iunctum habent. Non utilior est Rhesi v. 685. in quo quod scriptum est, *παῖε, παῖε πᾶς τις ἄν*, quum propter alia eius versus vitia, tum eo suspectum est, quod verba *τις ἄν* in quibusdam codd. desunt. Omnino illa scena pessime habita est, vitiata etiam choro in hemichoria distincto, quum singuli potius cantores distinguendi fuerint. Hos quidem versus, qui scenam plane perturbant, sic scribendos coniicio:

ΟΔ. ἴσχε, θάρσει. ΧΟΡ. πέλας ἴθ᾽. ΟΔ. οὐ δή. ΧΟΡ. παῖε, παῖε πᾶς. τίς εἶ;

ἦ σὺ δὴ Ῥήσου; ΟΔ. κατέκτας. ΧΟΡ. ἀλλὰ τὸν κτενοῦντά σε.
ΟΔ. ἴσχε πᾶς τις. ΧΟΡ. οὐ μὲν οὖν. ΟΔ. ἆ, φίλιον ἄνδρα μὴ θενεῖς;

Multum ab his differt illud Platonis in Alcib. I. p. 122. D. εἰ δ' αὖ τι καὶ πλούτῳ προσέχεις καὶ κατὰ τοῦτο οἴει τι εἶναι, μηδὲ τοῦτο ἂν ἡμῖν ἄρρητον ἔστω, ἐάν πως αἴσθῃ οὗ εἶ. Quamquam eam scripturam ex editione Laemariana propagatam esse, a Buttmanno monitum est in praefatione ad IV. dialogorum ed. quartam p. IV. quum neque codices nec priores edd. ἂν habeant. Sed fatendum est tamen, potuisse addi, ut quod non ad imperativum, sed ad μηδὲ τοῦτο pertineat. Plane ita loquutus Metopus apud Stobaeum I. 64. p. 7, 48. τὰ δὲ εἴδεα αὐτᾶς καὶ τὰ μέρεα οὕτως κά τις ἀθρησάτω. Ita editum a Gaisfordio. Cod. A. καί. Vulgo οὕτως ἄν τις. Maximus Tyrius diss. VII. c. 7. p. 116. ed. Reisk. κἂν τοῦτό τις ὑμῶν τὸ πάθος ζηλωσάτω. Male ibi Reiskius coniecit κἀν τούτῳ. Recentiores etiam omisso τοῦτο, ut Ttetzes ad Lyc. 424. σὺ δὲ εἰ τοῦτο μέγα γράφεις, κἂν λέγε ὅτι ἐπεκτάσει Ἀττικῇ μέγα τοῦτο γράφεται· de quo loco monuit Lobeckius ad Phryn. p. 9. Iam iudicari poterit etiam de Xenophontis verbis Anab. I. 4, 8. ἀλλ' ἰόντων ἂν εἰδότες ὅτι κακίους εἰσὶ περὶ ἡμᾶς ἢ ἡμεῖς περὶ ἐκείνους. In quibus Porsonus quantocius tollendum censuit ἄν, quem sequuti sunt alii. Et esset tollendum, si pertineret ad imperativum: sed est ad εἰδότες referendum, quod divisim si haec enunciasset, dixisset ἰόντων καὶ εἰδεῖεν ἄν. Posset defendi etiam infinitivus cum ἂν pro imperativo positus in H. Stephani editione Herodoti III. 155. ἐχόντων δὲ μήτε οἱ πρότεροι μηδὲν τῶν ἀμυνούντων μήτε οὗτοι, πλὴν ἐγχειριδίων· τοῦτο δὲ ἂν ἔχειν. Sed hodie editur, nulla scripturae diversitate adnotata, τοῦτο δὲ ἐᾶν ἔχειν.

II.

De ἄν cum infinitivo.

Infinitivus forma est orationis obliquae, ut qui semper pendeat ex aliquo alio verbo, sive illud additum est, sive mente suppletur. Ex quo consequitur, ubi in recta oratione *ἄν* cum verbi modis, qui rectae orationis sunt, i. e. cum indicativo et optativo construitur, ea oratione per infinitivum in obliquam versa, etiam infinitivo adiici *ἄν*; ubi autem indicativus et optativus non admittunt *ἄν*, ibi ne infinitivo quidem addi posse. Haec res ita plana et aperta est, ut ne opus quidem sit omnia exemplis scriptorum firmare, praesertim quum attulerit iam grammaticus in Bekkeri Anecd. p. 127. Sed rei declarandae caussa hoc ponemus. Quod *ἐποίησα ἄν* simpliciter affirmans diceres, per infinitivum est *φημὶ ἂν ποιῆσαι*. Sic quod *ἐποίουν ἄν, φημὶ ἂν ποιεῖν*; quod *ἐπεποιήκειν ἄν, φημὶ ἂν πεποιηκέναι*. Item quod optativo diceres *ποιήσαιμ' ἄν*, est *ποιῆσαι ἂν οἶμαι*; quod *ποιοῖμ' ἄν, ποιεῖν ἂν οἶμαι*; quod *πεποιήκοιμ' ἄν, πεποιηκέναι ἂν οἶμαι*. Ex his apparet, ubi verbum finitum cariturum esset particula, debere eam etiam in infinitivi suffectione abesse. Xenophon Mem. S. I. 3, 3. *οὔτε γὰρ τοῖς θεοῖς ἔφη καλῶς ἔχειν, εἰ ταῖς μεγάλαις θυσίαις μᾶλλον ἢ ταῖς μικραῖς ἔχαιρον· πολλάκις γὰρ ἂν αὐτοῖς τὰ παρὰ τῶν πονηρῶν μᾶλλον ἢ τὰ παρὰ τῶν χρηστῶν εἶναι κεχαρισμένα· οὔτ' ἂν τοῖς ἀνθρώποις ἄξιον εἶναι ζῆν, εἰ τὰ παρὰ τῶν πονηρῶν μᾶλλον ἦν κεχαρισμένα τοῖς θεοῖς ἢ τὰ παρὰ τῶν χρηστῶν*. Bis hic recte iunctum est *ἂν* infinitivo; recte vero etiam omissum in principio huius loci, in quo errarunt qui addi voluerunt. Neque enim *ἀλλ' ἔχει καλῶς* opponitur, sed *ἀλλ' οὐ χαίρουσι μᾶλλον ταῖς μεγάλαις θυσίαις*. De Elmsleii dubitatione, an verbis *putare* significantibus iungi nequeat infinitivus aoristi sine *ἄν* ad futura pertinens, dixi ad Ai. 1061. ostendique non minus recte id fieri, quam quovis alio cum verbo, quia c. c. *πεσεῖν* est *cadere*, *πεσεῖν ἂν cadere posse*, ut apud He-

rodot. VII. 203. *ὀφείλειν ὦν καὶ τὸν ἐπελαύνοντα, ὡς ἐόντα θνητόν, ἀπὸ τῆς δόξης πεσέειν ἄν.*

Difficilior est quaestio de infinitivo futuri cum ἄν. De eo sic grammaticus ap. Bekk. p. 127. *μέλλοντι ὁ μὲν τῶν γραμματικῶν κανὼν οὐκ ἐπιτρέπει, παρὰ τοῖς ἀρχαίοις δὲ οὐκ ὀλίγα παραδείγματα εὑρίσκεται. Δημοσθένης πέμπτῳ Φιλιππικῶν* (locum frustra quaeras)· *οὐδὲν ἂν τούτων ἡμῖν οἴομαι πολεμήσειν. καὶ ἐν τῷ πρὸς Λεπτίνην* (p. 467, 28.)· *οὐκοῦν πρὸς πολλοῖς οἷς βλάψειν ἂν ὑμᾶς ὁ νόμος φαίνεται. καὶ ἐν πρώτῳ τῶν Φιλιππικῶν· ὡς μηδ' ὁτιοῦν ἂν δεινὸν πείσεσθαι. Ἰσοκράτης ἐν τῷ περὶ τῆς ἀντιδόσεως* (p. 342. D. 436. Bekk.)· *ἡγούμενος ἐκ τοῦ παραινεῖν τήν τε διάνοιαν τὴν ἐκείνου μάλιστα ἂν ὠφελήσειν καὶ τὸν τρόπον τὸν ἐμαυτοῦ δηλώσειν.* Quem hic ex Leptinea Demosthenis locum affert, in eo hodie legitur *οἷς ἂν ὁ νόμος βλάψειν ὑμᾶς φαίνεται.* Vnus autem liber apud Bekkerum omittit ἄν. In Isocratis loco *μάλιστ' ὠφελήσειν* sine adnotatione dedit Bekkerus. Omitti ἂν in cod. Vrb. ex litteris eius scio. Ac liber ille Vrbinas etiam aliis in locis ea particula caret: ut p. 162. C. *ἦν δὲ διὰ τέλους ἀκούσητε μου προσέχοντες τὸν νοῦν, οἶμαι πάντας ἂν ὑμᾶς καταγνώσεσθαι πολλὴν ἄνοιαν καὶ μανίαν τῶν τὴν ἀδικίαν πλεονεξίαν εἶναι νομιζόντων·* et in iis quos Matthiae citavit in Gr. gr. p. 880. qui addit Thucydidem II. 80. extr. *νομίζοντες, εἰ ταύτην πρώτην λάβοιεν, ῥᾳδίως ἂν σφίσι τἆλλα προσχωρήσειν.* Omittunt ἂν duo codd. Sophocles Oed. Col. 1075.

> *ὡς προμνᾶταί τί μοι*
> *γνώμα, τάχ' ἂν δώσειν*
> *τὰν δεινὰ τλᾶσαν.*

Hic Elmsleius litem intendit particulae. Comparari cum his potest, nullius tamen auctoritatis scriptor, scholiastes Pindari ad N. IV. 81. *οὐ φάναι ἂν δώσειν, εἰ μὴ προσομιλήσαι.* Euripides Hel. 455.

> *πικρῶς ἂν οἶμαί γ' ἀγγελεῖν τοὺς σοὺς λόγους.*

Nemo non facile corrigat ἄρ'. Plato Cratyl. p. 391. A.

ἀλλὰ δοκῶ μοι ὧδε ἂν μᾶλλον πεισθήσεσθαί σοι. Multi codd. *πείθεσθαι.* In Xenoph. de rep. Lac. VIII. 3. Aldina: *ὅσῳ γὰρ μείζω δύναμιν ἔχει ἡ ἀρχή, τοσούτῳ μᾶλλον ἂν ἡγήσαντο αὐτὴν καταπλήξειν τοὺς πολίτας.* At Iuntina omisit *ἄν.* Demosthenes p. **776**, **3**. *τί γὰρ ἂν τοῦτον οἴεσθε ποιήσειν λυθέντων τῶν νόμων, ὃς ὄντων κυρίων τοιοῦτός ἐστιν;* Bekkerus e cod. Marc. *ποιεῖν*, caeteris libris *ποιήσειν* tuentibus. P. **1225**, **21**. *ἦν ἐγὼ οὐ πολλὰς ἐλπίδας εἶχον ζῶσαν ἂν καταλήψεσθαι.* Omisit *ἂν* cum aliis libris Bekkerus.

In primis autem commemorari debet hoc p. **860**, **8**. *ταῦτ' ἐμοῦ προκαλεσαμένου πολλῶν παρόντων οὐκ ἂν ἔφη ποιήσειν*, ut scriptum est in cod. Lessing. Caeteri libri *ποιῆσαι*, quod apparet a quibusdam in *ποιήσειν* mutatum esse, quia aperte futuri significationem habet. Et tamen quin *ποιῆσαι* genuina scriptura sit eo minus dubitari potest, quod etiam participium aoristi cum *ἂν* coniunctum de futuro dicitur, in quo deberet aliquanto maior esse offensio. Ex his colligi potest, non magis cum infinitivo futuri construi *ἄν*, quam cum eius temporis indicativo aut optativo. Quod si quid veri est in illa grammatici apud Bekkerum adnotatione, neque is mendosis est libris usus, sic erit existimandum, sicubi *ἂν* in illa constructione positum inveniatur, similiter, ut supra in aliis locutionibus vidimus, cum alio potius aliquo verbo esse brevitate quadam dicendi coniunctum. Sic illa *τάχ' ἂν δώσειν, οὐδὲν ἂν πεισθήσεσθαι, ῥᾳδίως ἂν προσχωρήσειν*, si sunt ab auctoribus illis scripta, studio illo multa paucis complectendi defendi possunt, quod in mente haberent *δώσειν, καὶ τάχ' ἄν· οὐ πεισθήσεσθαι, οὐδὲ ἓν ἄν· προσχωρήσειν, καὶ ῥᾳδίως ἄν·* in quibus omnibus verborum eorumdem optativi *δοίη, πεισθείην, προσχωροίη* intelliguntur.

Caeterum tantum abest ut, quod Werferus fecit in Act. Monac. vol. I. p. **252**. hac constructione uti liceat ad *ἂν* cum indicativo futuri defendendum, ut potius infinitivus huius temporis non possit cum ea particula construi, si idem tempus non patiatur indicativum suum vel optativum ei consociari. De utraque re alibi dictum.

Non dubito quin etiam coniunctivus cum ἄν coniunctus in obliqua oratione in infinitivum converti possit, ut ὅταν δὲ γενέσθαι ταῦτα, τότε ποιήσειν, etsi non habeo exemplum in promptu. Sed illud patet, eam constructionem non posse ferri, si verbum quod infinitivum regit, ipsum ex illa voce conditionali pendet, qualis est hic in plerisque codd. Demosthenis locus p. 95, 24. εἰ γὰρ ἤδη τοσαύτην ἐξουσίαν τοῖς αἰτιᾶσθαι καὶ διαβάλλειν βουλομένοις δίδοτε, ὥστε καὶ περὶ ὧν ἄν φασι μέλλειν αὐτὸν ποιεῖν, καὶ περὶ τούτων προκατηγορούντων ἀκροᾶσθε, τί ἄν τις λέγοι; recteque puto Schaeferum et probare, quod Bekkerus omisit ἄν, et dicere servato scribendum esse φῶσιν.

III.

De ἄν cum participio.

Eadem omnia, quae de infinitivo dicta sunt, quadrant etiam in participium, cui iisdem prorsus conditionibus iungitur ἄν. Nam ποιῶν ἄν est vel ὃς ἐποίει ἄν, vel ὃς ποιοῖ ἄν, nisi quod, ut multiplex est participii usus, non ubique ὅς, sed ὅτε, εἰ, ὅτι, aliasque particulas adhibere, vel etiam participium simpliciter in verbum finitum cum ἄν solvere potes. Vt apud Aeschylum, Choeph. 346.

> λιπὼν ἂν εἴκλειαν ἐν δόμοισιν,
> τέκνων τε κελεύθοις
> ἐπίστρεπτον αἰῶνα κτίσας
> πολύχωστον ἂν εἶχες
> τάφον διαπρεπτίου γᾶς.

I. e. ἔλιπες ἄν. Demosth. Phil. I. princ. et in prooem. p. 1418. εἰ μὲν γὰρ περὶ καινοῦ τινος πράγματος προὐτίθετο, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, λέγειν, ἐπισχὼν ἂν ἕως οἱ πλεῖστοι τῶν εἰωθότων γνώμην ἀπεφήναντο, εἰ μέν ἥρεσκέ τί μοι τῶν ὑπὸ τούτων ῥηθέντων, ἡσυχίαν ἂν ἦγον. Sophocles Oed. R. 523.

> ἀλλ᾽ ἦλθε μὲν δὴ τοῦτο τοὔνειδος τάχ᾽ ἂν
> ὀργῇ βιασθὲν μᾶλλον ἢ γνώμῃ φρενῶν.

Oed. Col. 964.

θεοῖς γὰρ ἦν οὕτω φίλον
τάχ' ἄν τι μηνίουσιν εἰς γένος πάλαι.

Ad utrumque locum vide quae adnotavi.

Ita est autem par participii et infinitivi constructio cum ἄν, ut etiam futuri participium et dubitationes faciat easdem quas eius temporis infinitivus, et, si est usurpatum, non potuerit aliis quam infinitivus conditionibus usurpari. De eo grammaticus Bekkeri p. 128. *μετὰ μέλλοντος Ἰσοκράτης ἐν τῷ περὶ ἀντιδόσεως· οὐχ ὡς οὐχ ἡδέως ἄν τινών μου καταψευσομένων.* At huius quoque generis exempla fere codicum auxilio remota sunt, ut apud Isocratem p. 142. B. apud Demosthenem p. 204, 23. Nec dubium est, quin etiam de futuro tempore usurpetur aoristi participium cum ἄν. Thucydides III. 37. *οἱ μὲν γὰρ τῶν τε νόμων σοφώτεροι βούλονται φαίνεσθαι, τῶν τε ἀεὶ λεγομένων ἐς τὸ κοινὸν περιγίγνεσθαι, ὡς ἐν ἄλλοις μείζοσιν οὐκ ἂν δηλώσαντες τὴν γνώμην.* VII. 42. *καὶ ὁρῶν τὸ παρατείχισμα τῶν Συρακουσίων, ᾧ ἐκώλυσαν περιτειχίσαι σφᾶς τοὺς Ἀθηναίους, ἁπλοῦν τε ὄν, καὶ εἰ ἐπικρατήσειέ τις τῶν τε Ἐπιπολῶν τῆς ἀναβάσεως καὶ αὖθις τοῦ ἐν αὐταῖς στρατοπέδου, ῥᾳδίως ἂν αὐτὸ ληφθέν.* Xenophon Anab. V. 2, 8. *αὐτὸς δὲ διαβὰς σὺν τοῖς λοχαγοῖς ἐσκοπεῖτο πότερον εἴη κρεῖττον ἀπάγειν καὶ τοὺς διαβεβηκότας ἢ καὶ τοὺς ὁπλίτας διαβιβάζειν, ὡς ἀλόντος ἂν τοῦ χωρίου.* Vide, ne plura afferam, Schaeferum in Melet. cr. p. 125. seq. Matthiae gr. Gr. §. 598. b. Sed apud Xenoph. Cyrop. I. 6, 1. quod legitur: *τούτων δὲ φανέντων, οὐδὲν ἄλλο ἔτι οἰωνιζόμενοι ἐπορεύοντο, ὡς οὐδένα ἂν λήσαντα τὰ τοῦ μεγίστου θεοῦ σημεῖα·* quod non est ex Atticorum usu dictum, ad Viger. p. 814. in *λήσοντα* mutandum censui. Idque, nisi placet ἄν deleri, sic erit intelligendum, *ὡς οὐ λήσοντα, καὶ οὐδένα ἂν λάθοι.* Sed aoristi participium non minus de re praeterita dicitur, ut apud Isocratem p. 265. E. *εἰς τοῦτ' ἦλθον οὐκ ἀνοίας, ἀλλὰ μανίας ὥστε πρὸς μὲν τὸν ἐπιστρατεύσαντα καὶ βουληθέντα τῷ μὲν πόλει τούτω παντάπασιν ἀνελεῖν, τοὺς δ' ἄλλους*

Ἕλληνας καταδουλώσασθαι, πρὸς μὲν τὸν τοιοῦτον, κρατήσασαι ῥᾳδίως ἂν αὐτοῦ καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν, εἰρήνην εἰς ἅπαντα συνεγράψαντο τὸν χρόνον. quod est, οὗ ἐκράτησαν ἄν. Mirum vero est apud eumdem Isocratem p. 129. A. sic legi: εἰ δὲ δεῖ καὶ περὶ τῶν ἔξωθεν βοηθειῶν εἰπεῖν, ἡγοῦμαι πολλοὺς ἔσεσθαι τοὺς βουλομένους ἐπαμύνειν ἡμῖν. ἐπίσταμαι γὰρ πρῶτον μὲν Ἀθηναίους, εἰ καὶ μὴ πάντα μεθ' ἡμῶν εἰσίν, ἀλλ' ὑπέρ γε τῆς σωτηρίας τῆς ἡμετέρας ὁτιοῦν ἂν ποιήσοντας· ἔπειτα τῶν ἄλλων πόλεων ἔστιν ἃς ὁμοίως ἂν ὑπὲρ τῶν ἡμῖν συμφερόντων ὡς περὶ τῶν ἑαυταῖς συμβουλευσομένας· ἔτι δὲ Διονύσιον τὸν τύραννον καὶ τὸν Αἰγυπτίων βασιλέα καὶ τοὺς ἄλλους κατὰ τὴν Ἀσίαν δυνάστας, καθ' ὅσον ἕκαστοι δύνανται, προθύμως ἂν ἡμῖν ἐπικουρήσοντας. In his ὁτιοῦν ἄν pro vulgato πάντα habet cod. Vrbinas. Idem ἄν post προθύμως omittit, ut quidem in litteris ad me datis Bekkerus scripsit: nam in editione sua nihil de ea omissione adnotavit. Et ὁτιοῦν ἄν quidem recte se habet, quod hic ἄν non ad participium pertinet. Duo ἄν autem quae sequuntur, nisi deleri placet, requirere aoristi participium videntur, quod quidem etiam isti ὁτιοῦν ἄν addi potuit. Recte scriptum est apud Demosthenem p. 128, 29. πάλαι τις ἡδέως ἂν ἴσως ἐρωτήσων κάθηται. Quae ibi Bremius ex eodem scriptore commemoravit exempla, eorum duo codicum ope liberata sunt illa constructione: de tertio statim dicam. Schaeferus non liquere sibi ait, sed ἂν ἴσως iuncta ex parallelo putat. Id quomodo fieri possit, non video. Sed plana est res, quod simulatque interpungas apparet: πάλαι τις, ἡδέως ἂν ἴσως, ἐρωτήσων κάθηται. Supplendum est enim ἐρωτῶν sive τοῦτο ποιῶν. Ille autem quem modo dicebam alter locus ita vulgo legitur p. 284, 17. ὡς οὐδ' ἂν εἴ τι γένοιτο ἔτι συμπνευσόντων ἂν ἡμῶν καὶ τῶν Θηβαίων. Alterum ἄν a Bekkero est codd. quorumdam auctoritate deletum. Ita recte se habet oratio: ὡς οὐ συμπνευσόντων, οὐδ' ἂν εἴ τι γένοιτο, repetito verbi aoristo, συμπνευσάντων. Recte etiam Lucian. Contempl. 14. T. I. p. 510. ἐν τοσούτῳ δὲ ἐπαιρέσθων, ὡς ἂν ἀφ' ὑψη-

λοτέρου ἀλγεινότερον καταπεσούμενοι. Nam id est ὡς καταπεσούμενοι, ἀλγεινότερον ἂν καταπεσόντες ἀφ' ὑψηλοτέρου. Quamquam nescio an comparativum illud ὡς ἂν quadam negligentia in vitae communis usu etiam de re certa dictum sit, in qua omittendum erat ἄν. Vt apud eumdem Contempl. I. p. 488. ξεναγήσεις γὰρ εὖ οἶδ' ὅτι με ξυμπερινοστῶν, ὡς ἂν εἰδὼς ἅπαντα. Pausanias I. 21, 8. ἵππους πολλὰς ἕκαστος τρέφει, ὡς ἂν οὔτε ἐς ἰδιωτῶν κλήρους τῆς γῆς μεμερισμένης, οὔτε τι φερούσης πλὴν ὕλης ἀγρίας, ἅτε ὄντων νομάδων. Demosthenes p. 519, 10. καὶ θόρυβον καὶ κρότον τοιοῦτον ὡς ἂν ἐπαινοῦντές τε καὶ συνησθέντες ἐποιήσατε. P. 1352, 27. καὶ συνέπινε καὶ συνεδείπνει ἐναντίον πολλῶν Νέαιρα αὕτη ὡς ἂν ἑταίρα οὖσα. Rectius omisit ἂν in iisdem verbis p. 1353, 9. 1354, 8. 1361, 16. 27.

Caeterum non inutile fuerit monuisse, errare qui participium cum ἂν iunctum saepe nihil aliud esse putant quam εἰ cum verbo finito compositum. Nam haec non est particulae vis, sed ipsius participii etiam carentis particula. Vt quod est in Oed. R. 446.

συθείς τ' ἄν, οὐκ ἂν ἀλγύναις πλέον,

dici quidem potuit, εἰ συθείης, sed non propter ἄν· posset enim etiam si abesset ἄν, quod est propter alterum ἂν positum. Itaque fere ubi participio iunctum est ἄν, additum est etiam verbo, quod cum illo participio cohaeret. Quod si dicas, συθείς ἄν, οὐκ ἀλγυνεῖς πλέον, erit id inconcinne dictum, quia non satis commode solvi potest in συθείης ἄν, καὶ οὐκ ἀλγυνεῖς πλέον. Sic apud Antiphontem p. 712. Reisk. (54. §. 16. Bekk.) quum legeretur, ἑλὼν δ' ἂν ἀξιώσεις με ἀποκτεῖναι, mallem Bekkerus ἀξιώσαις dedisset, quo ducit codicis unius scriptura ἀξιώσῃς, quam contra omnes libros mutasset ἂν in αὖ. Quo clarius res pateat, utar illo Isocratis p. 5. D. quod infra aliam ob caussam afferendum erit: ἃ τοῖς ἄλλοις ἂν πράττουσιν ἐπιτιμῴης. Id si sic mutaveris, ἃ τοῖς ἄλλοις πράττουσιν ἐπιτιμᾷς, est id, ἃ τοῖς ἄλλοις, εἰ πράττουσιν, ἐπιτιμᾷς. Pone autem ἃ τοῖς ἄλλοις ἂν

πράττουσιν ἐπιτιμᾷς. Id vero non illud, quod modo dicebam, significabit, sed *facturis*, vel *facere volentibus*, i. e. ἃ πράττοιεν ἄν. Nimirum fallax quaedam ratio istam opinionem peperit, ἄν participio iunctum significare idem quod εἰ cum verbo finito. Nam ubi verbum participio adiunctum cum ἄν consociatum est, sane participium cum ἄν ita verti potest, sed non tamen quia ἄν ei est additum, sed quia, si principale verbum per ἄν conditionalem sententiam praebet, etiam partes eius sententiae tales sunt. Vt in Lysistrata v. 310.

καὶ πολλάκις ἔνδον ἂν οὖσαι
ἠκούσαμεν ἄν τι κακῶς ὑμᾶς βουλευσαμένους μέγα
πρᾶγμα.

Et istud ipsum Isocratis, si sic dicas, ἃ τοῖς ἄλλοις ἂν πράττουσιν ἐπιτιμῴης ἄν. Contra recte cum κἄν, principali verbo sine conditione posito. Soph. Trach. 1107.

ἀλλ' εὖ γέ τοι τόδ' ἴστε, κἂν τὸ μηδὲν ὤν,
κἂν μηδὲν ἕρπων, τήν γε δράσασαν τάδε
χειρώσομαι κἀκ τῶνδε.

Nam sensus est, χειρώσομαι, καὶ ἂν εἰ μηδὲν εἴην καὶ μηδὲν ἕρποιμι, χειρωσαίμην. Non puto autem ἄν participio additum vel nomini, ad quod intelligendum est, sic explicari posse ut coniunctivus substituatur, qui modus, ut supra dictum, non solus per se construitur cum ea particula. Itaque e. c. συθεὶς ἄν non poterit dici pro ἐὰν συθῇς, aut ὁ συθεὶς ἄν, pro ὃς ἂν συθῇ, quia non potest dici εἰ συθῇς ἄν, ὃς συθῇ ἄν. Aliud est ὁτιοῦν ἄν, quod quum Schaeferus apud Demosth. p. 192, 22. in his verbis, εἰ δ' ὑπέρ γε τῶν δικαίων καὶ πολεμεῖν, ἂν τούτου δέῃ, καὶ πάσχειν ὁτιοῦν ἂν οἴεσθε χρῆναι, nisi deleatur, sic explicandum putat ὁτιοῦν ἂν ᾖ, potest id quidem fieri, si verbum illud vere omissum iudicandum est, at veri tamen similius esse arbitror, optativum potius in illa formula intelligi, ὁτιοῦν ἂν χρείη. Sic p. 231. init. πρῶτον μὲν ὑμεῖς οὕτω διέκεισθε, ὥστε Φωκέας μὲν βούλεσθαι σωθῆναι, καίπερ οὐ δίκαια ποιοῦντας ὁρῶντες,

Θηβαίοις δ' ὁτιοῦν ἂν ἐφησθῆναι πάθουσιν. Quod est *πάθουσιν ὁτιοῦν ἂν πάθοιεν.*

IV.

De ἂν omisso verbo.

Quicumque verbi modus cum *ἄν* construi potest, potest etiam omitti, iis quidem conditionibus, quae propriae sunt verborum omissionis, ut vel ex praecedentibus sequentibusve cogitatione repetatur, vel, quia alio modo patet quid supplendum sit, non indicetur iis opus esse. Demosthenes p. **552**, **23**. *χρώμενος ὥςπερ ἂν ἄλλος τις αὐτῷ τὰ πρὸ τούτου*, scilicet *ἐχρήσατο*. **578**, **28**. *οὐδεὶς ὅστις οὐκ ἄν*. Repete ex praecedentibus *παρέσχεν*. **586**, **10**. *δεῖ τοίνυν τούτοις βοηθεῖν ὁμοίως ὥςπερ ἂν αὐτῷ τις ἀδικουμένῳ*, scilicet *βοηθήσειεν*. **659**, **24**. *καὶ μὴν καὶ χρυσοῖς στεφάνοις ἐστεφανοῦτε, οὐκ ἄν, εἴ γ' ἐχθρὸν ἡγεῖσθε*. Repete *ἐστεφανοῦτε*. **749**, **2**. *φέρε γὰρ πρὸς Διός, ἔστιν ὅστις ἂν ἢ πρόεδρός ποτ' ἐψήφιστο ἢ πρύτανις τούτων τι τῶν ἐν τῷ νόμῳ γεγραμμένων, ἐγὼ μὲν οὐδέν' ἂν οἶμαι*, scilicet *ἐψηφίσθαι*. Hic quidem omittunt libri quidam. Euripidis Alc. **181**.

σὲ δ' ἄλλη τις γυνὴ κεκτήσεται,
σώφρων μὲν οὐκ ἂν μᾶλλον, εὐτυχὴς δ' ἴσως.

Vide quae ibi notavit Matthiae. Adde Soph. Philoct. **571**.

πρὸς ποῖον ἂν τόνδ' αὐτὸς Οὐδυσσεὺς ἔπλει.

Vide ibi adnotata. In eadem fabula **493**.

ὃν δὴ πάλαι' ἂν ἐξότου δέδοικ' ἐγὼ
μή μοι βεβήκῃ.

Intellige *εἴη*. Quin etiam coniunctivus omittitur. Eurip. Hippol. **659**.

νῦν δ' ἐκ δόμων μέν, ἔς τ' ἂν ἔνδημος χθονὸς
Θησεύς, ἄπειμι, σῖγα δ' ἕξομεν στόμα.

V.

De ἄν repetito.

Pervulgatum est, ἄν indicativo et optativo iunctum iterari, ut bis terve in eadem sententia positum inveniatur. Eadem ratio cadit etiam in infinitivum et participium, quia hae verbi partes nihil nisi conversam ex indicativo vel optativo orationem continent. Sed id non temere fieri posse, sponte patet. Sunt autem duo modi, quibus repeti ἄν potest, unus, quum pluribus verbis interpositis ab eo verbo quicum coniungi debeat longius avulsum est, quam ut non videatur concinnitas orationis repetitionem requirere, alter qui est longe frequentissimus, quum in parte aliqua sententiae iteratur. Plane enim eadem huius particulae ratio est, quae est negationum. Etenim quemadmodum quum ad totam sententiam pertinet negatio, iterari in partibus quibusdam solet, ut *οὐκ ἔστιν οὐδείς*, sic etiam, quum tota sententia conditionalis est, refertur ea conditio etiam ad partes eius primarias. De ea re dixi ad Viger. p. 814. seqq. Sunt autem partes illae tales, ut addant aliquid, quod illa principalis sententiae ratione afficiatur. Id modo est participium, ut in Oed. R. 828.

> ἆρ᾽ οὐκ ἀπ᾽ ὠμοῦ ταῦτα δαίμονός τις ἂν
> κρίνων ἐπ᾽ ἀνδρὶ τῷδ᾽ ἂν ὀρθοίη λόγον;

modo conditio aliter expressa, ut in Electra v. 333.

> ὥςτ᾽ ἂν εἰ σθένος
> λάβοιμι, δηλώσαιμ᾽ ἂν οἵ᾽ αὐτοῖς φρονῶ·

et in Antig. 466.

> ἀλλ᾽ ἂν εἰ τὸν ἐξ ἐμῆς
> μητρὸς θανόντ᾽ ἄθαπτον ἐσχόμην νέκυν,
> κείνοις ἂν ἤλγουν·

et in Oed. R. 1438.

> ἔδρασ᾽ ἄν, εὖ τοῦτ᾽ ἴσθ᾽ ἄν, εἰ μὴ τοῦ θεοῦ
> πρώτιστ᾽ ἔχρῃζον ἐκμαθεῖν τί πρακτέον.

modo affirmatio maior, ut in Oed. R. 139.

ὅστις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανών, τάχ' ἂν
κἄμ' ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι;

et apud Aristoph. in Thesm. 196.

καὶ γὰρ ἂν μαινοίμεθ' ἄν;

Soph. Oed. R. 1053.

ἦδ' ἂν τάδ' οὐχ ἥκιστ' ἂν Ἰοκάστη λέγοι·

modo negatio, ut in Lysistrata v. 361.

φωνὴν ἂν οὐκ ἂν εἶχον·

et in formula *οὐκ ἂν φθάνοις ἄν*, de qua vide Elmsleium ad Heracl. 721. Alia exempla attulit Reisigius in Coniect. p. 187. Tum quae par est negationi in interrogatione, ut in Oed. R. 772.

τῷ γὰρ ἂν καὶ μείζονι
λέξαιμ' ἂν ἢ σοί;

Aristoph. Pac. 68.

πῶς ἄν ποτ' ἀφικοίμην ἄν;

Denique in divisione sententiae, ut in Oed. R. 857.

ὥστ' οὐχὶ μαντείας γ' ἂν οὔτε τῇδ' ἐγὼ
βλέψαιμ' ἂν οὔνεκ', οὔτε τῇδ' ἂν ὕστερον·

et v. 1227.

οἶμαι γὰρ οὔτ' ἂν Ἴστρον οὔτε Φᾶσιν ἂν
νίψαι καθαρμῷ τήνδε τὴν στέγην.

Harum rationum ubi nulli locus est, non potest iterari *ἄν*. Itaque absurde legebatur in Phaedro Platonis p. 276. B. *ἐφ' οἷς δὲ ἐσπούδακε, τῇ γεωργικῇ ἂν χρώμενος ἂν τέχνῃ, σπείρας εἰς τὸ προσῆκον, ἀγαπῴη ἂν ἐν ὀγδόῳ μηνὶ ὅσα ἔσπειρε τέλος λαβόντα.* Recte multorum fide librorum delevit prius *ἂν* Bekkerus. Neque enim duae hic sunt notiones, sed una, *χρῆσθαι γεωργικῇ*. Vide notata ad Soph. Philoct. 116.

Caeterum haec iteratio particulae in primis usitata est Atticis. Rarius invenitur apud Herodotum, raro apud epicos, ut Odyss. δ. 733.

τῷ κε μάλ᾽ ἤ κεν ἔμεινε.

Sed epici aliud sibi proprium habent, ut coniungant ἄν κεν. Iliad. ν. 127.

ἃς οὔτ᾽ ἄν κεν Ἄρης ὀνόσαιτο μετελθών,
οὔτε κ᾽ Ἀθηναίη λαοσσόος.

Quae patet ob negationis accessionem esse coniuncta. Sic etiam Oppianus Hal. IV. 602.

οὐδέ κεν ἄν τις
ἐσβαίη.

V. 367. οὐδέ κεν ἄν τι
ἀντόμενοι τρέσσειαν.

Scriptor Lithicorum v. 247.

οὐδέ κεν ἂν γνοίης κέρας ἀτρεκὲς ἢ λίθος ἐστίν.

Et πῶς κεν ἄν Maximus v. 277. et καὶ δ᾽ ἄν κε v. 303. Quin etiam cum coniunctivo ita coniungunt ἄν κεν, ut hae particulae pro una sint, quod eo factum puto, quia κε ex καὶ natum est. Homerus quidem in formula ὄφρ᾽ ἂν μέν κεν. Iliad. λ. 187.

ὄφρ᾽ ἄν μέν κεν ὁρᾷ Ἀγαμέμνονα, ποιμένα λαῶν.

Vide Od. ε. 361. ξ. 259. Sic ἤν κε, ἐπήν κε construxerunt Apollonius Rhodius, Theocritus, Manetho. V. Schaefer. ad Theocr. XXVII. 35. Illud ἐπήν κεν restituendum Soloni apud Plutarchum in Vita eius c. 2.

Multum ab his differt geminatum ἄν, quod Elmsleius ad Aeschyli Prom. 768. iure negavit coniunctivo consociari. Cur vero? Quia, ut libro II. ostendimus, hic modus verbi non per se adsciscit ἄν, sed ἄν pertinet ad vocem ex qua pendet coniunctivus. Huius vocis ea particula significatum quum mutet, nihil est in tali sententia

quod repeti possit. Neque enim ad praedicata pertinet ἄν, sed ad ipsam conditionem ex qua pendet sententia, ut ὡς ἄν, ἐάν, ὡς ἄν. Quare etiam quum haec per optativum in obliquam orationem vertuntur, non potest iterari ἄν. Sed est tamen, nisi fallor, quaedam singularis ratio, qua videri potest etiam cum coniunctivo repetitum esse ἄν, etsi re vera non est repetitum. Apud Aristophanem in Eq. 1107. scriptum est,

> ἀνύσατε νῦν, ὅ τι περ ποιήσεθ'· ὡς ἐγώ,
> ὁπότερος ἂν σφῶν εὖ με μᾶλλον ἂν ποιῇ,
> τούτῳ παραδώσω τῆς πυκνὸς τὰς ἡνίας.

Omittit Suidas duobus in locis prius ἄν, quod omitti non potest. Corrigere studuerunt versum Elmsleius in Mus. Crit. III. p. 362. Reisigius Coniect. I. p. 188. Neutrius coniectura mihi satis probabilis videtur. Sed scribendum puto,

> ὁπότερος ἂν σφῶν εὖ με μᾶλλον ἂν ποιῇ.

i. e. ὁπότερος ἄν, ἃ ἂν ποιῇ, μᾶλλον εὖ ποιῇ με. Eodem prorsus modo Thucydides VII. 7. πρέσβεις τε ἄλλοι τῶν Συρακοσίων καὶ Κορινθίων ἐς Λακεδαίμονα καὶ Κόρινθον ἀπεστάλησαν, ὅπως στρατιὰ ἔτι περαιωθῇ τρόπῳ ᾧ ἂν ἐν ὁλκάσιν ἢ πλοίοις ἢ ἄλλως ὅπως ἂν προχωρῇ. Nam hic quoque nihil nisi verbum repetendum est. Audacius hunc locum tentatum arbitror a Schaefero ad Demosth. I. p. 815. Sed vitium repetitae cum coniunctivo particulae eximendum est Maximo v. 598. ubi legitur:

> ὡς δὲ καὶ εἰαρινοῖσιν ἐν ἰχθύσιν αἰθροπολούσης
> εὐκεράου μήνης μόλις οἴσεαι ὅττι καὶ φῶρος
> εἰς παλάμας κεν ἔλοι.

Aberravit ab recta via Dorvillius ad Char. p. 749. (658. ed. Lips.) Scribe ὅττι κε φωρὸς εἰς παλάμας ἔλθῃ.

VI.

De omisso ἂν propter aliud ἄν.

Quemadmodum iteratur ἄν in una sententia, ita in oratione membris quibusdam distincta non raro in uno tantum membro ponitur, in altero autem omittitur. Quod si quaeris qua lege fiat, res ipsa monstrat, sic demum posse, si utrumque membrum ad commune quiddam referri licet, ita ut, si praemittas ἄν, ad utrumque verbum pertineat. Sit nobis pro fundamento huius disputationis illud Xenophontis in Hierone 7, 12. *πῶς γὰρ ἂν τίς ποτε ἐξαρκέσειε τύραννος ἢ χρήματα ἐκτίνων ὅσους ἀφείλετο ἢ δεσμοὺς ἀντιπάσχοι ὅσους δὴ ἐδέσμευσεν, ἢ ὅσους κατέκτανε πῶς ἂν ἱκανὰς ψυχὰς ἀντιπαράσχοιτο ἀποθανουμένας;* Prius *πῶς ἄν* ad duo refertur verba, ideoque recte et ordine factum, ut, sequente deinde divisione, neutri de duobus quae proxima sunt verbis, *ἐξαρκέσειεν* et *ἀντιπάσχοι*, additum sit, etsi potuit addi utrique. Sed quod deinde sequitur *πῶς*, inversa orationis forma novam incipit sententiam, neque est pars praegressae; itaque etiam suum sibi *ἂν* adiici postulat. Nunc videamus alia. In eodem libro 11, 11. scriptum est: *ὥστε οὐ μόνον φιλοῖο ἄν, ἀλλὰ καὶ ἐρῷο ὑπ᾽ ἀνθρώπων· καὶ τοὺς καλοὺς οὐ πειρᾶν, ἀλλὰ πειρώμενον ὑπ᾽ αὐτῶν ἀνέχεσθαι ἄν σε δέοι.* Scilicet id est, *ὥστ᾽ ἂν οὐ μόνον φιλοῖο ἀλλὰ καὶ ἐρῷο.* Altera nova sententia est, novum sibi *ἂν* vindicans, *καὶ δέοι ἄν σε.* Sequuntur prorsus similia: *φόβον δὲ οὐκ ἂν ἔχοις, ἀλλ᾽ ἄλλοις παρέχοις μή τι πάθῃς· ἑκόντας δὲ τοὺς πειθομένους ἔχοις ἄν, καὶ ἐθελουσίως σοῦ προνοοῦντας θεῷο ἄν.* I. e. *φόβον δ᾽ ἂν οὐκ ἔχοις ἀλλὰ παρέχοις.* Sequitur iterum nova sententia cum suo *ἄν*, quae in duas partes divisa, etiam in altera parte habet *ἄν*, quo poterat carere. Paullo difficilius iudicium est de proximis verbis: *εἰ δέ τις κίνδυνος εἴη, οὐ συμμάχους μόνον ἀλλὰ καὶ προμάχους καὶ προθύμους ὁρῴης ἄν, πολλῶν μὲν δωρεῶν ἀξιούμενος, οὐκ ἀπορῶν δὲ ὅτῳ τούτων εὐμενεῖ μεταδώσεις, πάντας μὲν συγχαίροντας*

ἔχων ἐπὶ τοῖς σοῖς ἀγαθοῖς, πάντας δὲ πρὸ τῶν σῶν ὥσπερ τῶν ἰδίων μαχομένους· θησαυρούς γε μὴν ἔχοις πάντας τοὺς παρὰ τοῖς φίλοις πλούτους. Addendum post ἔχοις censuerunt ἄν Schaeferus, Bremius, Reisigius, alii, nec sine probabilitate. Non videtur tamen necessarium esse, quia hoc in mente habebat scriptor, κινδύνου δ' ἂν ὄντος μάλιστα μὲν αὐτοὺς προθύμους ὁρᾷς, θησαυρούς γε μὴν ἔχοις τοὺς αὐτῶν πλούτους. Minus explicate de hoc genere disseruit Matthiae ad Eurip. Hippol. 468. p. 44. qui quum negasset, illam rationem quadrare in haec Sophoclis El. 790.

Π. οὐκοῦν ἀποστείχοιμ' ἄν, εἰ τάδ' εὖ κυρεῖ.
Κ. ἥκιστ'· ἐπείπερ οὔτ' ἐμοῦ καταξίως
πράξειας, οὔτε τοῦ πορεύσαντος ξένου,

vide quae ad eum locum adnotavi. Adde Oed. Col. 997.

τίνοι' ἄν, οὐδὲ τοὔνδικον περιβλέποις.

Sed haec quamvis ingente possim exemplorum multitudine confirmare, satis sit quomodo iudicanda sint indicasse.

VII.

De collocatione particulae ἄν.

Reliquum est ut dicatur de collocatione particulae ἄν, quae nonnullis in generibus loquendi vel insolentior esse vel aliquid videtur perversitatis habere. Quum particula illa sit in iis, quae non possunt in ipso poni orationis principio, quumque natura sua ad aliud verbum referatur cum eoque sit coniuncta, consequens est proprium ei locum esse statim post eam vocem, ad cuius notionem constituendam aliquid confert. Itaque primo, quod ad consociationem eius cum coniunctivo attinet, quoniam ad huius potestatem mutandam nihil confert, non potest post coniunctivum poni, sed ei est voci adiicienda, a qua regitur coniunctivus. Itaque ἐάν, ὅς ἄν, et quaecumque sunt huius generis alia coniunctim ponuntur, nisi quod, quum non in unam illa vocem coalescunt, coniunctio interponi potest,

ut ὃς δ' ἄν, ἵνα γὰρ ἄν, de qua re est libro primo dictum. Cum caeteris autem verbi modis coniunctum ἄν, sequitur eamdem regulam, ut verbo ad quod pertinet subiiciatur, ut εἶχον ἄν, ἔχοιμ' ἄν, ἔχειν ἄν, ἔχων ἄν. Sed horum verborum quoniam ea conditio est, ut plerumque non sola per se sententiam compleant, sed coniuncta demum cum aliis vocibus integram notionem conficiant, perinde est quo loco ponatur ἄν, dummodo locetur post unam earum vocum, ex quibus constat illa quae efficienda est notio. Vt quod est εἶχον ἂν πρόφασιν, licet etiam sic dici, πρόφασιν ἂν εἶχον, vel πρόφασιν εἶχον ἄν, vel εἶχον πρόφασιν ἄν, ut apud Demosth. p. 1105, 2. εἰ μὲν τοίνυν μὴ προεμαρτύρουν τῇ προκλήσει τὴν διαθήκην οὗτοι, λόγον εἶχέ τιν' ἂν τὸ φεύγειν ἐμὲ ἀνοίγειν τὸ γραμματεῖον. Consentaneum est autem, fere post unam ex iis vocibus poni, in quibus maius aliquod momentum est. Vt apud Lycurgum p. 165. (242. §. 39. Bekk.) καίτοι κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους, ὦ ἄνδρες, τίς οὐκ ἂν τὴν πόλιν ἠλέησεν; Maluit sic, quam τίς ἂν οὐκ ἠλέησε, quia non *quis misericors non fuit*, sed *quis immisericors* dicere volebat. Thucyd. II. 11. οὔκουν χρή, εἴ τῳ καὶ δοκοῦμεν πλήθει ἐπιέναι καὶ ἀσφάλεια πολλὴ εἶναι μὴ ἂν ἐλθεῖν τοὺς ἐναντίους ἡμῖν διὰ μάχης, τούτου ἕκενα ἀμελέστερόν τι παρεσκευασμένους χωρεῖν. Demosth. p. 295, 8. τίς οὐχὶ κατέπτυσεν ἂν σοῦ. Pertinet autem ad hoc genus etiam καί, quum quidem haec vocula non est simpliciter copula, sed paullo fortiorem habet vim, ut quasi pro affirmatione quadam sit. Herodotus IV. 118. καὶ ἂν ἐδήλου. Et fortasse Thucyd. VIII. 68. de quo loco v. supra lib. III. c. 4. Sed non cadit hoc in ἀλλὰ apud Sophoclem Antig. 465.

> οὕτως ἔμοιγε τοῦδε τοῦ πόνου τυχεῖν
> παρ' οὐδὲν ἄλγος, ἀλλ' ἂν εἰ τὸν ἐξ ἐμῆς
> μητρὸς θανόντ' ἄθαπτον ἐσχόμην νέκυν,
> κείνοις ἂν ἤλγουν.

Id enim propterea sic dici debuit, quia ἀλλ' ἂν elliptice

dixit pro *ἀλλ᾽ ἦν ἂν ἄλγος*, sed eam ellipsin deinde explet additis *κείνοις ἂν ἤλγουν*.

Sed sunt aliae quaedam loquendi formae, in quibus *ἄν* videri potest extra eam sententiam esse, in qua media poni debebat. Quae formae facile expedientur, si cogitaveris, duas sententias per attractionis figuram quam vocant in unam coniungi. Earum formarum una est, quum *inquiat aliquis* dicere volumus, verba illius afferentes. Plato Hipp. mai. p. 299. A. *μανθάνω ἂν ἴσως φαίη*. Phaedone p. 87. A. *τί οὖν ἂν φαίη ὁ λόγος ἔτι ἀπιστεῖς;* quod est *τί οὖν ἀπιστεῖς, φαίη ἂν ὁ λόγος*. Qualia non sunt interpunctionibus disiungenda, quibus pervertitur constructio. Exempla vide alia apud Heindorfium ad Phaedonis locum p. 135. qui non debebat Sophoclis Oed. R. 937.

τάχ᾽ ἄν
ἥδοιο μέν, πῶς δ᾽ οὐκ ἄν; ἀσχάλλοις δ᾽ ἴσως

huc referre, interpungique iubere *πῶς δ᾽ οὐκ; ἂν ἀσχάλλοις δ᾽ ἴσως*. Hoc enim barbarum foret. Adde vero Demosth. 13, 6. ubi Bekkerus ordinem verborum cum libris quibusdam, sed secus quam usus postulabat, mutavit; 14, 24. 1445, 14. et paullo aliter p. 1097, 8. *ὅτι νὴ Δί᾽ ἂν εἴποι*.

Eiusdem generis est hoc apud Xenoph. Hist. Gr. VI. 1, 9. *ὧν ἐγὼ καὶ τὰ σώματα καὶ τὴν μεγαλοψυχίαν ὁρῶν, οἶμαι ἄν, αὐτῶν εἰ καλῶς τις ἐπιμελοῖτο, οὐκ εἶναι ἔθνος ὁποίῳ ἂν ἀξιώσαιεν ὑπήκοοι εἶναι Θετταλοί*. Huic simile aliud exemplum vide apud Heindorfium.

Vix ulla vero frequentior forma est, quam illa, quod mireris, ignota Porsono, *οὐκ οἶδ᾽ ἂν εἰ πείσαιμι*, quod est *οὐκ οἶδα εἰ πείσαιμ᾽ ἄν*. Exemplis quae Elmsleius ad Med. 911. attulit, adde Demosth. p. 441, 21. 1423, 15.

Alia ratio est, quum inseritur sententiae aliquid, quod proprie non ad eam pertinet, ut apud Aristoph. Pac. 137. appellatio,

ἀλλ᾽ ὦ μέλ᾽ ἄν μοι σιτίων διπλῶν ἔδει.

Ac nescio an eodem referendum sit, quod in Eccles. 218. et libri et Suidas v. χρηστῶς sic scriptum exhibent:

ἡ δ' Ἀθηναίων πόλις
εἰ τοῦτο χρηστῶς εἶχεν, οὐκ ἂν ἐσώζετο,
εἰ μή τι καινὸν ἄλλο περιειργάζετο;

Elmsleius in addendis ad Acharn. 127. coniiciebat οὐκ ἐσώζετ' ἄν. Id quidem minus metri, quam sensus caussa praestat: non enim *num perdita esset*, sed *num non esset salva* dicit. Sed id vide an sic dixerit,

εἰ τοῦτο χρηστῶς εἶχ' ἂν οὐκ ἐσώζετο.

quod est, τοῦτο ἂν χρηστῶς ἔχουσα οὐκ ἐσώζετο; Eoque modo defendi posset, quod legebatur apud Andocidem p. 77. (150. §. 6. Bekk.) ὧν ἕνεκα, ὦ Ἀθηναῖοι, εἰ ἀνθρωπίνως περὶ ἐμοῦ γιγνώσκοντες ἂν εἴητε ἄνδρες εὐγνωμονέστεροι, nisi ibi nunc ex tribus codd. quorum uno ad eum finem iam Schneiderus usus erat ad Xenoph. de Vectigal. 6, 2. editum esset εἴητε ἄν.

Quae de simplice ἂν diximus, cadunt etiam in iteratum. Itaque vehementer erravit Werferus Act. Monac. I. p. 252. quum illud Isocratis p. 5. D. quo supra usi sumus, ἃ τοῖς ἄλλοις ἂν πράττουσιν ἐπιτιμῴης, sic scribi voluit: ἃ τοῖς ἄλλοις, ἂν πράττουσιν, ἂν ἐπιτιμῴης. Paullo melius, certe non ab linguae ratione alienum esset, ἃ τοῖς ἄλλοις ἄν, πράττουσιν ἄν, ἐπιτιμῴης. Sed id significaret: *quae caeteris, si facturi sint, exprobres.* Nunc autem si duplex ἂν ponendum est, cohaerent ἃ τοῖς ἄλλοις ἂν πράττουσιν: itaque quod reliquum est, ἐπιτιμῴης, non potest dici ἂν ἐπιτιμῴης, quia ἂν in principio positum esset, sed dicendum est ἐπιτιμῴης ἄν. Pauca de millenis id exempla docebunt. Demosth. p. 849, 22. ἔτι δὲ τὸ πρᾶγμ' ἂν ἐξελέγξαι ζητῶν ἐξήτησεν ἄν με τὸν παῖδα. 1132, 28. πῶς ἂν οὖν μὴ εἰδὼς ὁ πατὴρ αὐτὸν Ἀθηναῖον ἐσόμενον ἔδωκεν ἂν τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα; 1368, 18. οὓς ἄν τις δεόμενος ἐκ πονηρῶν πραγμάτων εἴπειεν ἄν. Lucian. Hermotim. 55. ὁ Φειδίας ἄν ποτε ἰδὼν ὄνυχα λέοντος ἔγνω ἂν ὅτι λέοντός ἐστιν, εἰ μὴ ἑωράκει ποτὲ

λέοντα ὅλον; Sed alio addito vocabulo quod ad illud verbum pertineat, praeponere poteris verbo particulam, ut, *ἃ τοῖς ἄλλοις ἂν πράττουσι μεγάλως ἂν ἐπιτιμῴης.* Demosth. p. **1159, 14.** *καίτοι πῶς ἂν εἰ μὴ πεπορισμένον τε ἦν καὶ ἐπηγγέλκειν αὐτοῖς, εὐθὺς ἂν ἀπέλαβον;* In eumdem errorem, in quem Werferus, etiam Porsonus, adolescens quidem, inciderat, quum Advers. p. **43.** Antiphanis versus apud Athenaeum p. **3.** F. sic putabat scribendos esse:

*τοῦ δ' ἂν τις ἄλλου πρὸς θεῶν, πάτερ, οὕνεκ' ἂν εὔξαιτο πλουτεῖν εὐπορεῖν τε χρημάτων.**)

---

*) Vulgo, *τοῦ γάρ τις ἄλλου πρὸς θεῶν περ οὕνεκα.* Sed codd. non habent *περ.* Vide Dindorfii addenda ad Athenaeum, ubi quae proposita est coniectura, posthabenda mihi videtur ei, quae in adnotationibus est allata:

τοῦ γάρ τις ἄλλου πρὸς θεῶν ἂν οὕνεκα.

INDEX SCRIPTORVM.

Aeschines p. 107. Reisk. 57
110. 69
153. 64
175. 75
196. 32
244. 72
326. 72
383. 65
430. 121
447. 108
506. 67
542. 35
611. 156
628. 109
Aeschylus Agam. 1057. 164
Choeph. 346. 182
— 437. 121
— 983. 120
Pers. 450. 148
Sept. ad Theb. 344. 103
Suppl. 129. 118
— 735. 163
Τοξοτ. 116
Alciphron III. 21. 103
Andocides p. 11. Reisk. 65
28. 71
38. 153
41. 39
58. 44
73. 25
77. 196
100. 39
131. 159
Antiphanes 197
Antiphon p. 619. Reisk. 104
634. 68
680. 69
688. 68
712. 185
716. 69
718. 68
722. 148
725. 69
768. 27
778. 51
780. 56
Antisthenes rhetor p. 52. 66
58. 34
Apollonius Dyscolus III. 6. 15
III. 28. 76
Archilochus 133
Archytas 47
Aristophanes Ach. 294. 106
873. 41
1200. 177
Av. 180. 163
790. 51
1314. 34
Eccl. 140. 74
151. 66
218. 196
628. 105
750. 105
772. 75
856. 105
Eq. 133. 110
698. 100

Eq. 805. 101
960. 106
1057. 161
1107. 191
1131. 42
Lys. 1025. 26
1098. 26
Nub. 465. 33
1154. 26
1157. 37
1232. 132
1338. 75
Pac. 69. 23
137. 195
437. 101
450. 101
1028. 44
1198. 48
Plut. 374. 158
438. 158
Ran. 175. 133
866. 66
1281. 105
Thesm. 284. 121
814. 37
Vesp. 286. 44
919. 106
942. 36
960. 67
1094. 166
Callimachus h. Dian. 27. 134
Clinias ap. Stob. 47
Cratinus *Πείτοσι* 96
Demosthenes
p. 13, 6. Reisk. 195
15, 8. 42
24, 27. 62
40, 8. 62
54, 29. 67
66, 12. 176
77, 19. 87
95, 24. 182
97, 8. 62
112, 5. 63
128, 29. 184
184, 9. 122
192, 22. 186
196, 20. 173
204, 23. 183
242, 9. 50
260, 1. 57
284, 17. 184
293, 12. 63
353, 22. 70
378, 5. 130
395, 14. 63
467, 28. 180
492, 21. 158
525, 15. 61
19. 91
554, 1. 70
569, 27. 68
747, 13. 145
749, 2. 186
776, 3. 181
780, 7. 137
814, 18. 148
849, 14. 55
860, 8. 181
865, 22. 148
901, 13. 73
921, 1. 158
1017, 21. 62
1055, 2. 117
1105, 2. 194
1106, 28. 27
1109, 7. 70
1169, 9. 92
1225, 21. 181
1229, 22. 55
1352, 27. 185
1374, 24. 45
1404, 14. 94
17. 159
1451, 18. 26
1467, 9. 39
Ecphantes ap. Stob. 47
Epicurus epist. 45. 53. 118
Etym. M. 471, 6. 135
Euripides Alc. 53. 144

Euripides Alc. 337. 112
851. 104
Andr. 179. 115
239. 37
465. 35
771. 172
Bacch. 367. 126
639. 35
1286. 123
1309. 73
Cycl. 558. 131
577. 100
Dict. 115
Electr. 57. 144
485. 34
1121. 38
Hec. 1111. 72
Hel. 455. 180
637. 128
873. 123
Heracl. 249. 125
527. 163
769. 34
Herc. fur. 1401. 127
1417. 88
Hipp. 468. 162
518. 125
Inone 55
Ione 353. 73
Iph. Aul. 538. 104
944. 61
1192. 113
1210. 162
1238. 100
Iph. Taur. 894. 35
1024. 176
Med. 1098. 128
1275. 89
Orest. 237. 111
1218. 104
1354. 104
Phoen. 90. 112
213. 54
Rhes. 50. 123
613. 110
685. 177
Suppl. 451. 83
460. 118
Troad. 395. 72
Gorgias 113. 67
Herodotus I. 2. 169
29. 141
32. 108
42. 51
53. 90
70. 169
82. 109
86. 91
108. 27
119. 151
140. 109
159. 109
187. 73
196. 20. 22
197. 109
198. 109
II. 13. 101
43. 71
III. 25. 62
69. 46
104. 31
150. 26
155. 178
IV. 46. 116
66. 116
118. 7. 194
157. 108
195. 165
V. 43. 92
67. 90
82. 93
VI. 44. 151
82. 108
85. 127
86. 117
86, 3. 92
VII. 5. 155
159. 7
180. 169
184. 169

214. 169
VIII. 18. 102
22. 103
36. 91
67. 91
119. 52
136. 44. 169
IX. 16. 92
71. 169
Hesiodus O. et D. 345. 47
Homerus Iliad. α. 249. 24
271. 160
340. 98
549. 172
β. 250. 170
292. 85
340. 161
γ. 299. 145
409. 29
δ. 93. 164
190. 83
262. 142
343. 142
539. 168
ε. 212. 146
257. 99
303. 159
311. 168
407. 84
η. 48. 164
352. 133
ϑ. 23. 172
ι. 386. 28
397. 172
524. 143
κ. 126. 132
μ. 58. 168
ν. 732. 21
ξ. 484. 40
ο. 39. 156
45. 156
ϱ. 70. 169
398. 169
σ. 307. 81
υ. 426. 161
φ. 274. 160
340. 29
462. 99
576. 99
χ. 86. 99
348. 144
364. 24
369. 24
ψ. 46. 111
150. 154
494. 141
ω. 553. 82
Odyss. α. 316. 39
403. 84
β. 52. 175
86. 39
104. 21
γ. 255. 39
δ. 400. 82
472. 144
546. 25
644. 140
649. 147
ε. 33. 85
141. 86
221. 99
237. 140
417. 29
ξ. 27. 132
286. 142
η. 204. 99
314. 161
ϑ. 147. 85
ι. 208. 5
κ. 532. 86
λ. 103. 161
415. 39
μ. 156. 137
348. 99
ν. 415. 147
ξ. 162. 40
331. 86
402. 146
ο. 544. 155
π. 383. 156

σ. 260. 21
τ. 149. 21
288. 86
489. 172
510. 145
υ. 85. 82
ω. 87. 39
139. 21
253. 143
342. 143
530. 175
Ioannes Apocalyps. 21, 21. 5
Isocrates a grammaticis emendatus 30
p. 5. D. Steph. 185. 196
7. C. 32
79. B. 31
129. A. 184
142. B. 183
162. C. 180
202. B. 36
253. C. 162
342. D. 180
Lucianus
Demon. 10. 27
Dial. meretr. 7, 1. 102
11, 4. 34
Dial. mort. 9, 2. 27
13, 6. 32
Encom. Dem. 39. 22
Fugitiv. 24. 34
Halc. 5. 27
Pisc. 22. 102
Tim. 39. 149
Ver. hist. II. 29. 149
Vit. auct. 11. 149
Lycurgus p. 149. Reisk. 166
164. 72
165. 53. 192
212. 45
Lysias p. 238. Reisk. 130
Maximus v. 598. 191
Maximus Tyrius diss. VII. 7. 178
Menander Thrasyleonte 42
Metopus 178
Moschus I. 6. 159
III. 114. 163
Nicolaus Damasc. p. 245. 122
Oraculum ap. schol. Aristoph. Eq. 91
Orpheus Arg. 1257. 65
Phalaris 177
Pindarus Ol. III. 81. 161
XI. fin. 161
Pyth. IV. 118. 162
468. 173
Nem. VII. 16. 100
100. 31
131. 174
Isthm. V. 54. 32
Plato Alcib. I. 122. D. 178
II. 142. E. 38
Apol. 41. B. 43
Cratyl. 391. A. 180
B. 39
Critone 50. C. 94
Euthydem. 290. D. 37
292. E. 164
Hipp. mai. 299. A. 195
Legum I. 647. A. 38
II. 655. C. 94
IX. 872. E. 107
XII. 947. C. 37
958. D. 97
Menone 89. B. 54
Phaedone 61. C. 33
77. B. 119
D. 120
87. A. 195
101. D. 148
Phaedro 231. D. 94
255. E. 129
256. BC. 43
265. B. 43
276. B. 189
Philebo 15. C. 94
Politico 281. D. 107
Protagora 319. B. 94
Theaeteto 166. A. 163
Plutarchus Aemilio 32. 6
Polybius XXXVIII. 5, 7. 37

Posidippus 163
Pythagorei Galei p. 709. 712. 751. 47
Scholiastes Aristidis 50
Solon 190
Sophocles
Aiace 183. 74
554. 110
741. 103
964. 104
1085 114
1089. 119
1182. 110
Ἀχαιῶν συλλόγῳ 107
Antigona 215. 127
465. 194
604. 158
666. 142
710. 97
1025. 103
Electra 103. 111
223. 111
771. 113
913. 72
1061. 113
1505. 59
Oedipo Coloneo 77. 110
188. 138
404. 138
580. 114
1075. 180
1365. 61
1446. 96
Oedipo Rege 198. 97
255. 60
325. 127
446. 185
834. 111
873. 96
937. 195
1062. 100
1074. 125
1230. 115
1438. 50
1515. 132
Oenomao 175
Phaedra bis 116
Philocteta 300. 89
493. 186
524. 146
610. 140
763. 110
917. 104
1075. 117
1089. 36
1329. 112
Trachiniis 147. 111
251. 114
604. 103
672. 35
945. 104
1107. 186
Tyrone 115
fragm. ap. Stob. XL. 3. 176
Strabo p. 679. 94
Theages ap. Stob. 46
Theocritus IV. 11. 162
VIII. 18. 89. 91. 162
XXII. 74. 163
XXV. 60. 137
XXVII. 24. 157
38. 35
65. 163
XXIX. 37. 156
Thucydides I. 33. 33
II. 11. 194
63. 8
80. 32. 180
III. 44. 149
IV. 63. 41
VII. 7. 130. 191
25. 130
VIII. 27. 149
54. 148
68. 148
Tzetzes ad Lycophr. 424. 178
Xenophon
Agesilao init. 174
Anabasi I. 4, 8. 178
V. 1, 10. 62

Cyrop. I. 6, 1. 183
22. 150
III. 3, 17. 98
50. 96
IV. 3, 3. 64
V. 5, 1. 150
VII. 5, 21. 33
49. 151
VIII. 3, 38. 48. 151
Hierone 7, 12. 192
11, 11. 192
Hist. Gr. VI. 1, 9. 195
Mem. Socr. I, 2. 6. 150
3, 3. 179
II. 7, 10. 60
de rep. Lac. 1, 8. 148
2, 11. 149
8, 3. 181
Sympos. 2, 26. 136
4, 37. 41
Xenophon Ephesius III. 8. 37

INDEX VERBORVM.

Αἰρήσασθαι 37
ἀνὰ 5
ἄν cum *ἦν*, *ἔδει*, et sim. 62
δηλονότι 70
εἴ κε cum indicativo 49
ἐνίστασθαι 53
ἔνστημα 53
ἤϊα 51
ἴσως 10
καί post pronomen apud Hom. 24
καί τε 40. seq.
κε καὶ 161
οἶδ' ὅτι ἄν 52
ὅκκα, *ὅκκαν* 46
οὐ δήπου 69
οὐκ ἄν οἶδ' ὅτι 53
οὐκ οἶδ' ἄν εἰ 195
που 10
praeteritum de re cogitando sumpta 86
τάχ' ἄν 43
τε 10
ὡς ἄν 112. 185

EMENDATIONES COLVTHI.*)

Quod fieri solet, ut, quod quis non statim quum opor- 3
tebat fecerit, de die in diem protrahat, id mihi accidit bis neglecta scriptione dissertationis, quae vitis eorum praemitteretur, qui per annuum spatium ab Ordine Philosophorum essent Philosophiae Doctores et Artium Magistri creati. Incidi autem in has moras eo, quod quaedam nimis impedita obstinatius persequebar, alia autem, ubi inchoassem, longioris vidi disputationis fore, quam quae huiusmodi praefationibus conveniret. Itaque ne tertium deessem officio meo, missis quae in medium afferre destinaveram, subito consilio decrevi, productis simul trium annorum Candidatis, aliquid promere ex eo genere, quod quoniam in solo coniectandi lusu positum est, laboris nihil, terminos autem arbitrarios haberet. Id si qui reprehendent, (reprehendent autem si non alii, certe illi, quibus hoc unum opus est, vituperare) ferendum id erit: et ferendum esset, quidquid scriberem: sed fortasse aliqui minus morosi iudices ne hoc quidem genus scribendi plane contemnent, nihil denique aliud agi intelligentes, quam quod etiam in illis rebus, quae plurimum et doctrinae et laboris poscunt, praecipuum maximeque necessarium existimatur, ut recto quis utatur iudicio, sine quo vel uberrima materiae copia, tamquam iners et rudis moles, caeca

*) Editae sunt a. 1828.

atque inutilis iacet. At enimvero de arte critica tam discrepantes sunt hominum sententiae, quam de arte medicorum. Simillimi enim sunt critici medicis, ac potius nihil ab iis differunt, nisi quod scripta, illi autem corpora curant. Vt illis et cognoscendorum morborum scientia opus est, quam σημειωτικὴν appellant; et rerum, quibus ad medendum utantur cognitione, quam ὕλην ἰατρικὴν dicunt; et componendorum medicamentorum arte, quam φαρμακευτικὴν vocant; et curandorum aegrotorum peritia, quam nominant θεραπευτικήν: sic hi et corruptelarum varias formas caussasque cognovisse, et quae sint atque unde petenda vitiorum remedia tenere, et horum remediorum quae temperamenta sint adhibenda intelligere, et corrupta denique qua ratione sananda sint scire debent. Vt medici alii ad urendum et secandum proni, alii timidi et vel ad levem infirmitatem trepidi sunt, sic etiam ex criticis alii violentas manus iniiciunt, ne sinceris quidem parcentes; alii vix tremulo digiti tactu attrectare affecta audent. Vt medici raro aliquem penitus sanant, aliquando etiam interficiunt, arti victimam oblatam dicentes: sic qui scriptorem, nisi forte unius pagellae terminis comprehensum, in integrum restituerit criticus, nondum repertus est, exstiterunt autem, qui necatorum ab se scriptorum magna cadavera, artem suam iactantes, publice exponerent. Vt medicorum quidam, aliquid saltem de multis profuturum rati, mixturas ex omni genere herbarum, radicum, corticum, metallorum concoctas praebent; quidam autem, sive disciplinae sive ingenii vitio, panaceas venditant, unaque e pyxide omnium depromunt morborum remedia; quidam vero magicis artibus et credendi fiducia divinae opis miracula de caelo devocant: sic etiam e criticorum numero nonnulli, quo penitius menda exstirpent, aliquam ἀντίδοτον ἑκατονταμίγματον admovent; alii contra suas laudant universales medicinas, vel transpositionem verborum, vel eiectionem interpretamentorum, vel palaeographicae curiositatis praepotens theriacum, vel si quid aliud aliquando salutare fuisse cognoverint; alii denique, belli homines et cum lepore quodam daemoniaci, operosum me-

dendi laborem ut sordidum contemnentes, incantationibus quibusdam et praestigiis, dum modo credas, morbida sana, genuinaque spuria esse persuadent. Quin ut nuper exorti sunt medici, qui unius scrupuli infinitesima parte graves morbos profligant, sic etiam critici quidam aliquam norunt ὁμοιοπάθειαν, qui pro persanatis vendunt scriptores, si in Attico ξὺν pro σύν, in Aeolico σδ pro ζ dederint, vel aliquos sibi visos soloecismos, quibus ut feles muribus insidiantur, removerint. Postremo ut medici officium est, nobiles iuxta et ignobiles, divites et pauperes, optimum quemque et pessimum curare: sic etiam critici est, quo-
quo vocetur, non gravate opitulatum ire, nec qui sit quem curare iubeatur, sed an opis sit indigens quaerere. Et hoc quidem mihi spero excusationi fore, Colutho, si possim, salutiferam manum admoventi: qui homo si non scripsisset carmen illud quod habemus, non plus damni fecissent litterae, quam quum scripsit lucri fecerunt. Sed scripsit ille, scriptumque eius pessime nabitum ad nos pervenit: ut, etiam si nihil praemii promittat medelam allaturo, saltem vel misericordia dignus videatur, vel, ut in vili capite, experimenta facere liceat. Vtrumque ei supra quam credi poterat contigit, licet non magno cum fructu. Lennepii enim iuvenilis opera, non digna illa quae in hodierna luce litterarum denuo typis describeretur, sicut illo tempore solitum erat, nec nostro insolens est, magis in expromendis alienis, quam in afferendis quae ad rem pertinerent sese iactabat. Nimirum in familiari hominum consuetudine et circulis qui non quod interrogatus erat respondet, sed alienissima quaeque vel multo laxae orationis flumine profundit, vel cruda cum brevitate fastidiosi supercilii iaculatur, impolitus et stolidus haberi solet: in scriptis autem quo quis plura a proposito abhorrentia, quaeque iam scire nolis congerat, eo multi et doctiorem et eruditiorem esse existimant: quo fit, ut hodie quoque magna edi volumina videamus, in quibus eorum, quae titulus profitetur, admodum nihil, sed quae neque quaeras neque te credas inventurum reperias. Post Lennepium, si leves quosdam conatus et vertentium in alias linguas mirabilem Coluthi ad-

mirationem excipias, primus utilem ei operam praestitit vir doctrina aeque atque usu doctrinae eximius, Imm. Bekkerus, emendatiorem tum ex multo meliore codice, tum comparatione Nonni a Wernikio facta exhibens. Aliquot versionibus et commentario instructum paullo post edidit Stanislaus Iulianus, duobus codd. Parisinis, quorum lectiones iam Lennepius habuit, non solum iterum collatis, sed integris ipsa cum forma litterarum repetitis. Huius editionis qui brevem censuram in Notitiis litt. Gott. a. 1825. m. Sept. P. 155. scripsit V. D. mirum, quod collato libro Mutinensi paucos tantum restare corruptos locos ait. Novissime impressum est carmen illud e recensione Bekkeri cum
6 Tryphiodoro Lipsiae, adiectis scripturis, quas codex Neapolitanus, nullius ille pretii, suppeditarat. Emendandi periculum fecit Fr. Graefius, vir mihi amicissimus, quem propter eximium animi candorem non minus quam propter excellentis ingenii virtutes diligo magnique facio. Is quas Petropoli edidit Observationes criticas in Coluthum et Musaeum, repetitas ad calcem Lennepii editionis Lipsiensis, in iis gavisus sum quum eum quaedam proposuisse vidi, in quae ego quoque incideram: in aliis non paucis diversa mihi sententia est. Adsuevit enim, statuariorum illorum more, qui laesa et truncata antiquae artis monimenta integrare et restaurare conantur, non tam in eo elaborare, ut quas habemus veterum reliquias a mendis quibus obsitae sunt purget, quam ut opera ipsa, qualia quis animo informare possit, perpolita exhibeat: quae mihi quidem ingeniosi potius artificis quaedam sollertia, quam officium esse videtur critici. Itaque in his, quae ipse de Coluthi carmine dicturus sum, praetermittam pleraque omnia, in quibus a Graefio meo dissentio.

Nonni, Nonnique imitatorum, in quibus Coluthus est, partim facilis emendatio est, partim difficilis: facilis eo, quod certo in orbe et sententiarum et verborum et dicendi modorum quasi circumaguntur; difficilis propter genus dicendi inflatum et abundantiam inutilium verborum, in qua si quid corruptum est, fere quae potuerint scribi permulta occurrunt critico, latet autem, pari iure omnium,

quid debuerit. Eo optabilius accidit, si viam aliquam indicat certum genus vitiorum, quo talis scriptor affectus sit. Atque in Colutho praeter menda omnium scriptorum communia tres maxime perturbationis modi reperiuntur, ab ipsis monstrati codicibus, lacunae, transpositiones versuum, et manus correctoris. De lacunis sic statuendum videtur. Quum antiquior caeteris codex Mutinensis septem versus praebuerit, qui non sunt in reliquis libris, omittat autem aliquot versus, qui exstant in illis, v. **129. 135. 139—142. 284. 301. 349.** quarum omissionum plerasque patet ab negligentia librarii repetendas esse, oculis ad paria versuum initia aberrantis, recte poterit colligi, ex uno pervetusto codice, quem situs vitiaverat, et Mutinensem, et aliquanto post, magis etiam lacerato codice illo, eum, quo Bessario est usus, aliosque descriptos esse. Ordo 7 versuum raro variat in codicibus, v. **49. 349.** sed esse nonnulla, quae in omnibus codicibus non suo loco legantur, nimis manifestum est. Id eidem illi deberi videtur vetusto codici, in quo quae lacerata vel evanida legi non posse viderentur, ab alia manu in summis vel imis marginibus adscripta fuerint. Nisi quis forte libros omnes manasse suspicabitur ex repertis ipsius Coluthi chartis, in quibus ille quae commentatus erat expolire coeperit, necdum ad finem perduxerit. Certe de duplici recensione cogitavit Graefius. Mihi quidem, quod tertium eorum quae in Coluthi carmine notabilia essent commemorabam, correctiones, partim propter corrupta, vel, ut v. **23.** male intellecta ab librariis factae, partim non esse omnino correctiones videntur, ut, de quo infra dicam, v. **288.**

Incipit carmen his verbis:

Νύμφαι Τρωϊάδες, ποταμοῦ Ξάνθοιο γενέθλη,
αἳ πλοκάμων κρήδεμνα καὶ ἱερὰ παίγνια χειρῶν
πολλάκι πατρῴῃσιν ἐπὶ ψαμάθοισι λιποῦσαι
ἐς χόρον Ἰδαίῃσιν ἐπεντύνεσθε χορείαις,
δεῦτε, θεμιστοπόλοιο νοήματα μηλοβοτῆρος
εἴπατέ μοι, κελάδοντος ἀπορνύμεναι ποταμοῖο,
ἐξ ὀρέων πόθεν ἦλθεν ἀήθεα πόντον ἐλαύνων,

ἀγνώσσων ἀλὸς ἔργα.

Non credam scripsisse poetam *κελάδοντος ἀπορνύμεναι ποταμοῖο*. Languent enim haec verba, debebatque Coluthus, si eleganter scribere vellet, omissis supra *ποταμοῦ Ξάνθοιο γενέθλη*, dicere, adeste a fluvio, a quo estis prognatae. Scripsit vero,

εἴπατέ μοι, κελάδοντος ἀπορνύμενος ποταμοῖο
ἐξ ὀρέων πόθεν ἦλθεν.

Auctorem habemus ipsum v. 70.

εἴ τινά που Ξάνθοιο παρ' Ἰδαίοιο ῥεέθροις
παῖδα Πάριν Πριάμοιο, τίν' ἀγλαὸν ἠβητῆρα,
Τροίης βουκολέοντα κατ' οὔρεα, τέκνον, ἀκούεις.

Sic illi versus scribendi. *Ἐξ ὀρέων* etsi per se non suspectum est, tamen adeo mira est scriptura cod. Mut. *ἠνορέων*, ut non inepte quis possit coniicere, *κελάδοντος*
8 *ἀπορνύμενος ποταμοῖο ἠϊόνων*. Fallitur enim Buttmannus in Lexilog. vol. II. p. 22. *ἠϊόνας* fluviis tribui negans: v. Apollon. Rh. lib. II. 659.

Sequuntur haec:

τί δὲ χρέος ἔπλετο νηῶν
ἀρχεκάκων, ἵνα πόντον ὁμοῦ καὶ γαῖαν ὀρίνῃ
βουκόλος· ὠγυγίη δὲ τίς ἔπλετο νείκεος ἀρχή,
ὄφρα καὶ ἀθανάτοισι θεμιστεύσωσι νομῆες·
τίς δὲ δικασπολίη· πόθεν ἔκλυεν οὔνομα νύμφης
Ἀργείης· αὐταὶ γὰρ ἐθηήσασθε μολοῦσαι
Ἰδαίης τρικάρηνον ὑπὸ πρηῶνα Φαλάκρης
καὶ Πάριν οἰοπόλοισιν ἐφεδριόωντα θοώκοις
καὶ Χαρίτων βασίλειαν ἀγαλλομένην Ἀφροδίτην.

Horum in principio recte vulgo *τί δέ*, non *τί δαί*, quod aliquot codd. habent. Pessime Wernikius ad Tryphiod. p. 39. *αὐταὶ γὰρ* in *ἀτὰρ αὐταὶ* mutatum volebat, ratione etiam falsa usus, quum Nonni imitatores non continuare spondeos in uno commate putavit. Fecit id Coluthus etiam v. 59. 83. 359. quorum exemplorum tamen

duo, in quibus χρύσεος est, propter primae correptionem dubia sunt: v. Wernik. p. 405. Sed Tryphiodorus, quem in nonnullis rebus ab Nonno discessisse idem Wernikius observavit, duodequinquaginta versus habet, quorum primi duo pedes spondei sunt, duos autem v. 461. 543. quorum ambae primae dipodiae ex spondeis constant; duos denique, in quibus duo contigui sunt diversarum dipodiarum spondei, v. 77. 474. quod genus apud Coluthum invenitur v. 21. 32. 61. 132. 137. 146. 205. 236. 241. 282. 365. 370. Huiusmodi observationes etsi non sunt contemnendae, tamen ne abutendum quidem iis est: id quod accidit Wernikio. Novissimus editor Dionysii Periegetae quum p. 508. faciem istam carminis epici non a Nonno demum fluxisse scripsit, novi luminis iubar ex longinquo ostendit, cui tamen vellemus faustiore auspicio quam Bassaricis Dionysii praelusum esset. Redeo ad Coluthum. Μολοῦσαι si ex Hemsterhusii coniectura in μολούσας mutaretur, antea scribendum erat ἀθανάτῃσι. Sed recte librorum scripturam servavit Iulianus, defenditque censor Heidelbergensis in Annalibus 1824. P. V. p. 501. seq. Neque enim dicit poeta, vos deas a Paride iudicatas vidistis, sed, vidistis iudicem Parim et victricem Venerem. 9

Finito prooemio ipsam rei expositionem aggreditur poeta his verbis:

> ὡς ὃ μὲν ὑψιλόφοισιν ἐν οὔρεσιν Ἀιμονιήων,
> νυμφιδίων Πηλῆος ἀειδομένων ὑμεναίων,
> Ζηνὸς ἐφημοσύνῃσιν ἐωνοχόει Γανυμήδης.
> πᾶσα δὲ κυδαίνουσα θεῶν ἔσπευδε γενέθλη
> αὐτοκασιγνήτην λευκώλενον Ἀμφιτρίτης.

In uno codd. Parisiensium, quorum scripturam repraesentavit Iulianus, legitur ὡς sine accentu: id qui vertendo expressit, Lennepius, merito reprehensus est. Genuinam scripturam quum Iulianus versu 121. confirmari iudicavit, errasse videtur. Habet enim ibi particula iustam rationem, si cum λιγαίνων coniungitur. Hic vero, ubi nihil praecessit, quo referatur illud ὡς, non video, quomodo eo uti potuerit poeta. Nam si Homerus Iliadis li-

brum XII. verbis illis *ὡς ὃ μέν*, et alias rhapsodias similiter incepit, intelligere debuit Coluthus, factum id esse sic, ut praegressa respicerentur. Censor Heidelbergensis p. 509. comparandum fuisse ait Homericum Od. I. 11.

ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες, ὅσοι φύγον αἰπὺν ὄλεθρον,
οἴκοι ἔσαν,

aliaque in medias res rapientia exordia. Horum vellem exempla, quae similia essent, dedisset. Nam de illo in Odyssea etsi Nitzschius, quemque is laudat, Guil. Muellerus rectius quam alii iudicarunt, tamen reliquerunt, quod maxime addendum erat, referri *ἔνθα* ad verba v. 2. posita, *ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσεν*, itaque indicato iam tempore recte dictum esse. Coluthus, nisi fallor, scripserat *τοῖσι μέν*, ut intelligerentur ex re ipsa convivae in nuptiis Pelei. Error fortasse ex eo natus, quod in antiquissimo codice scriptum erat *οἷσι μέν*, omissa littera initiali, quae ut in ipsius narrationis exordio post esset rubro pingenda.

In enumeratione deorum, qui nuptias Thetidis praesentia sua ornaverint, quaedam corrupta, alia turbata sunt. Quod v. 23. legitur,

10 *ἐκ δὲ μελισσήεντος ἀπεσσυμένων Ἑλικῶνος*
Μουσάων λιγύφωνον ἄγων χορὸν ἦλθεν Ἀπόλλων,

correctori debetur: sed is, ut oportebat, *ἐπεσσυμένων* scripserat, quod est in cod. Goth. Pro ea voce genuinam scripturam dedit codex Mut. *ἀπ' εὐόδμου*. Ea mirum est nec Iulianum, qui Nicandrum Ther. 11. eiusque scholiasten attulerit, nec censorem eius Heidelbergensem, qui adnotationem Iuliani tractaverit, uti scivisse. Aliter vidissent *Μελισσήεντος* loci in Helicone nomen esse proprium. His versibus subiiciendi sunt v. 39. 40.

χρυσείοις δ' ἑκάτερθε τινασσόμενος πλοκάμοισι
βότρυς ἀκερσεκόμης Ζεφύρῳ στυφελίζετο χαίτης.

Qui quo iure a plerisque ad Bacchum relati sint, non in-

telligo. Mecum sentit Graefius, cuius perelegans est coniectura,

χρυσείης δ' ἑκάτερθε τινασσομένης πλοκαμῖδος.

V. 26. legitur:

οὐδ' αὐτὴ βασίλεια καὶ ἁρμονίης Ἀφροδίτη
ἐρχομένη δήθυνεν ἐπ' ἄλσεα Κενταύροιο.

Secundus codd. Paris. *καὶ ἁρμοδίης.* Censor Heidelbergensis coniecit *συναρμονίης*, quam vocem Schneiderus in lexicon suum ut valde dubiam nescio unde intulerat. Passovius omisit. Wernikius alium requiri genitivum videns, latere eum in voce *αὐτὴ* putabat. Ita sensit etiam qui *οὐδ' ἀπάτης βασίλεια* coniecit, quod non convenire huic loco recte monuit Graefius. Si genitivis aliis opus est, tale quid scriptum suspicari licebit, *οὐδ' αὐτὴ βασίλεια χοροπλεκέων ὑμεναίων καὶ γλυκεροῖο πόθοιο καὶ ἁρμονίης Ἀφροδίτη.* Sin minus, potuit ille scribere *καθ' ἁρμονίην*, ut *μεθ' ἁρμονίην Ἀφροδίτης* scriptum est v. 375. de quo versu infra dicetur. Sed, si verum fateri oportet, nihil hic certi sine libris inveniri potest.

V. 46. Eridis ira ad epulas non vocatae his verbis describitur:

πολλάκι δ' εὐλάϊγγος ἀπὸ κλισμοῖο θοροῦσα
ἵστατο καὶ παλίνορσος ἐφέζετο· χειρὶ δὲ γαίης
οὐδέ τε κόλπον ἔρυξε, καὶ οὐκ ἐφράσσατο πέτρην.

Permiris haec coniecturis tentata sunt, quarum eam, quae a Lennepio proposita est, admisit Bekkerus, *χειρὶ δὲ γαίης εὐρέα κόλπον ἄραξε.* At, nisi quod grammaticae non repugnat, nihil haec coniectura habet laudabile. Nam 11
ne commemorem ineptum hic epitheton esse *εὐρέα*, quae illa tam singularis ratio est furoris significandi, manu terram percutere? Immo qui ita sunt irae impotentes, solent se ipsos totos in terram fligere et humi volvere. Idque etiam Eridem fecisse dici vel corruptum illud *οὐδέ τε* monere debebat, in quo quis non statim videat *οὔδεϊ* latere? Confirmat hanc emendationem scriptura codicis Mut. *οὐδ'*

ακόλπος ἄραξε. Quod si haec recte coniecimus, relinquitur ut exciderit aliquid vel ante v. 48. vel ante *γαίης*. Nam fortasse non inepte opinabimur hanc ipsam vocem aliquid contulisse, ut omitterentur nonnulla. Quum enim, qui ad tantum desperationis furorem evecti sunt, crines sibi discindere atque evellere soleant, veri simile videtur, id etiam de Eride esse praedicatum: ut v. 47. scriptum fuerit *χειρὶ δὲ χαίτης*, a quibus vocibus ad similes *δὲ γαίης* aberrans oculus librarium in errorem abduxerit.

V. 53. aperte vera est cod. Mut. scriptura:

Ἡφαίστῳ δ' ὑπόεικεν, ἀμαιμακέτη περ ἐοῦσα.

Nam quod apud Tryphiodorum est v. 685.

Ἡφαίστῳ δ' ὑπόεικεν, ἀτυζόμενος χόλον Ἥρης,

id quo pacto defendendae apud Coluthum vulgatae *ἀτυζομένη* adhiberi possit, non video, nisi quis hunc quoque *χόλον Ἥρης* addidisse credat.

V. 60. haec leguntur:

ἔνθεν Ἔρις πτολέμοιο προάγγελον ἔρνος ἑλοῦσα,
μῆλον, ἀριζήλων ἐφράσσατο δήνεα μόχθων.

Haec quum omnino non sunt venuste dicta, tum iure offendit viros doctos nomen Eridis, quam hic, quoniam omnia quae praecedunt de ea sunt dea dicta, non decebat nominatim appellari. Sed ex coniecturis, quae prolatae sunt, duae, quae ferri possunt, Lennepii *ἔνθεν ἄρα*, et Wernikii ad Tryphiod. p. 37. *ἔνθεν δέ*, longius ab librorum scriptura recedunt, nec tollunt aliud, quod in his versibus displicet, *μῆλον* inconcinne positum. Codex Vossianus, qui etiam v. 55. non contemnendam scripturam *κόλπον* praebet, hic habet *ἔριν*, idque etiam in primo Parisinorum supra vulgatam scriptum est. Pro *ἑλοῦσα* autem cod. Mut. *ἰδοῦσα*. Tum quinque codd. *μήλων*. Hinc corrigendum:

12 *ἔνθεν ἔριν πολέμοιο προάγγελον, ἔρνος ἰδοῦσα*
μήλου, ἀριζήλων τ' ἐφράσσατο δήνεα μόχθων.

Sequitur statim v. 62.

χειρὶ δὲ κινήσασα μόθου πρωτόσπορον ἀρχὴν
ἐς θαλίην ἔῤῥιψε.

Quis credat, etiamsi sic loqui licuit poetae, tamen neminem exstitisse qui *δινήσασα* reponeret?

Commemoratis tribus deabus, quae pomum illud sibi dari aequum censuerint: nam post v. 65. intercidisse quae de Minerva scripserat poeta, Lennepius vidit: Iuppiter mandata dedisse dicitur Mercurio v. 68.

Ζεὺς δὲ θεῶν καὶ νεῖκος ἰδὼν καὶ παῖδα καλέσσας
τοῖον ἐφεδρήσσοντα προσέννεπεν Ἑρμάωνα.

Haec et scabra est et vitiosa oratio. Quam, nisi omittendo peccatum est, quod non est verisimile, sic corrige:

Ζεὺς δὲ θεάων νεῖκος ἰδών, ὃν παῖδα καλέσσας,
τοῖον ὑποδρήσσοντα προσέννεπεν Ἑρμάωνα.

Ὑποδρήσσοντα quidem iam Lennepius, sed non sine errore, quoniam *θεῶν ὑπηρέτην* significari voluit. At neque hoc participium fungi potest substantivi officio, nec praesentis participium ad ea referri, quae facturus sit iussu Iovis Mercurius, sed pertinet ad praegressum *καλέσσας: vocanti patri dicto audientem.* In Iovis oratione quod est v. 71. vitium, supra sustulimus. Dubitari fortasse poterit etiam v. 75. de verbo *διακρινθεῖσα*, quod in duobus codd. *διακριθεῖσα* scriptum. Certe non male legeretur *διαπροκριθεῖσα*, ut apud Euripidem in Phoen. 222. est *πόλεος ἐκπροκριθεῖσ' ἐμας.*

V. 82. quae de Venere dicuntur,

καὶ περόνην θυόεντα διαστήσασα κομάων,
χρυσῷ μὲν πλοκάμους, χρυσῷ δ' ἐστέψατο χαίτην,

mutila esse pene persuasit Wernikius comparatione Nonni XXXII. 15. (34. ed. Graef.)

καὶ περόνῃ συνέεργε νέου κληῖδα χιτῶνος,
καὶ πλεκτὴν θυόεντι κόμην ἐδίηνεν ἐλαίῳ.

In cod. Mut. quod legitur, *καὶ πτερὸν ἰθυνθέντα*, etsi videri potest ex *καὶ περόνῃ θυόεντα* corruptum esse, ta-
13 men, ut in loco, in quo sine librorum auxilio nihil certi afferri potest, non omnino spreverim. Nam, ut post *καὶ περόνῃ* exciderint similia illis apud Nonnum, nihil impedit quin deinde tale quid dederit Colluthus,

καὶ πλόκον ἰθυνθέντα διαστήσασα κομάων,

quod ipsum videri potest expressum esse ex Nonni verbis eodem loco v. 12.

πολλάκι δ' ἰσάζουσα καθειμένον ἄχρι μετώπου
πλαζομένης ἔστησε μετήλυδα κόσμον ἐθείρης.

Distinctionem *πλοκάμων* et *χαίτης*, quae est a Colutho facta, recte Hesychio auctore tuitus est Iulianus.

V. 86.

σήμερον ἀγλαΐαι με διακρίνουσι προσώπων.

Quidni potius *διακρινέουσι*?

V. 99. valde languet *ἀεὶ* in his verbis,

καὶ πολέμων βασίλειαν ἀεὶ καλέουσιν Ἀθήνην,

ut non dubitandum videatur, quin genuina scriptura sit *ἐπικλείουσιν*. Quae statim de se praedicat Venus,

μούνη Κύπρις ἄναλκις ἔην θεός. οὐ βασιλήων
κοιρανίην, οὐδ' ἔγχος Ἀρήϊον, οὐ βέλος ἕλκω,

non sunt illa quidem sic dicta, ut valde reprehendi possint: sed tamen huius sectae poeta maluisset *οὐκ ἔγχος Ἀρήϊον* scribere. Duo codd. *οὐδ' εὖχος* praebent: unde quis non facile sibi persuadeat scribendum esse:

οὐ βασιλήων
κοιρανίην οὐδ' εὖχος, Ἀρήϊον οὐ βέλος ἕλκω.

Nam ad *ἔγχος* si adiicitur *βέλος*, nihil id est nisi quod iam dictum erat: regum vero duo praecipua sunt, imperium et dignitas. Pergit sic:

ἀλλὰ τί δειμαίνω περιώσιον; ἀντὶ μὲν αἰχμῆς,

ὡς θοὸν ἔγχος ἔχουσα μελίφρονα θεσμὸν ἐρώτων,
κεστὸν ἔχω, καὶ κέντρον ἄγω, καὶ τόξον ἀείρω,
κεστόν, ὅθεν φιλότητος ἐμῆς ἐμὸν οἶστρον ἑλοῦσαι
πολλάκις ὠδίνουσι καὶ οὐ θνήσκουσι γυναῖκες.

Posui in his θεσμὸν pro δεσμὸν e verissima emendatione Lennepii, quam Nonni usus confirmat. Idem Lennepius, particula μὲν motus, post secundum horum versuum aliquid excidisse putabat Nec mirer, si cui persuadeat, 14
praesertim Nonnum XXXV. 168. comparanti:

ἀπτόλεμος γὰρ
Κύπρις ἀριστεύει πλέον Ἄρεος, οὐδὲ χατίζει
ἀσπίδος, οὐ μελίης ποτὲ δεύεται· ἀμφότερον γάρ,
ἔγχος ἐμὸν πέλε κάλλος, ἐμὸν ξίφος ἔπλετο μορφή,
καὶ βλεφάρων ἀκτῖνες ἐμοὶ γεγάασιν ὀϊστοί·
μάζος ἀκοντίζει πλέον ἔγχεος.

Sed gravius vitium, ut quidem versus Coluthi interpuncti sunt, in tertio versu est, in quo si ἀντὶ αἰχμῆς κεστὸν ἔχω coniungenda sunt, quis non videt inepte adiici καὶ κέντρον ἄγω καὶ τόξον ἀείρω? sin excidit aliquid ante κεστὸν ἔχω, quis non potius teli genus, ut in reliqua parte versus, commemorandum fuisse intelligat? Et tamen, nisi fallor, omnia sincera sunt, modo recte interpungantur:

ἀντὶ μὲν αἰχμῆς,
ὡς θοὸν ἔγχος ἔχουσα μελίφρονα θεσμὸν ἐρώτων,
κεστὸν ἔχω· καὶ κέντρον ἄγω καὶ τόξον ἀείρω
κεστόν.

Pro cuspide, inquit, cingulum, hastae instar foedera amoris habens, teneo: et spiculum agito arcumque tollo cingulum. Sic patet non opus esse ut μὲν habeat particulam respondentem. Non potuit enim inferri δέ, sic conformata oratione: sed deberet inferri, si procederet compositio verborum ita, ut instituta erat: ἀντὶ μὲν αἰχμῆς κεστὸν ἔχω, ἀντὶ δὲ κέντρου, καὶ ἀντὶ τούτου κεστὸν ἔχω· ἀντὶ δὲ τόξου, ὁμοίως. Reliquum est, de quo dicatur, illud, φιλότητος ἐμῆς ἐμὸν οἶστρον, in

quo Bekkero poeta visus est similiter lusisse ut Nonnus XVI. 88.

αὐτὸς ἐμοῖς ὥμοισιν ἐμὴν Νίκαιαν ἀείρων.

At haec valde diversa sunt, quodque apte dixit Nonnus, frigidum esset apud Coluthum. Hunc oportebat gravius quid praedicare de oestro amoris, ut eum non leviora vulnera facere quam Martis tela, sed ea tamen non, ut illius, mortifera, diceret. Ego illa duo verba nihil nisi discrepantiam scripturae esse puto, quum alii scriberent *φιλότητος ἐμῆς οἶστρον*, alii *φιλότητος ἐμὸν οἶστρον*. His in unum coniunctis expulsum est adiectivum. Videtur mihi poeta scripsisse *φιλότητος ἐμῆς βαρὺν οἶστρον ἑλοῦσαι.*

Aperte perturbata sunt, quae v. 110. leguntur:

τοῖς ἐών, σύριγγος ἐς ἤθεα βαιὸς ὁδεύων,
ἀγροτέρην καλάμων λιγυρὴν ἐδίωκεν ἀοιδήν.
πολλάκι δ' οἰοπόλοισιν ἐνὶ σταθμοῖσιν ἀείδων,
καὶ ταύρων ἀμέλησε καὶ οὐκ ἐμπάζετο μήλων,
ἔνθεν ἔχων σύριγγα κατ' ἤθεα καλὰ νομήων,
Πανὶ καὶ Ἑρμάωνι φίλην ἀνεβάλλετο μολπήν.
οὐ κύνες ὠρύοντο καὶ οὐ μυκήσατο ταῦρος.

De multis, quae hic molitus est Graefius, illud aliquam veri speciem habet, quod duplicis recensionis sibi visus est vestigia deprehendisse. Sed tamen, si quid video, faciliore opera res expediri potest. In primo horum versuum cod. Mut. *τοῖος ἐπεί.* Vt videtur, etiam *βαιόν*, quod non praetulerim vulgato. Scribendum videtur:

τοῖος ἐπεὶ σήραγγος ἐς ἤθεα βαιὸς ὁδεύοι,
ἀγροτέρων καλάμων λιγυρὴν ἐδίωκεν ἀοιδήν.

Ἀγροτέρων recte emendavit Graefius: neque enim haec poetarum secta duo coniungit epitheta ornantia. *Σήραγγος* mea est coniectura, in quam quum plurima tentaret etiam Graefius incidit. In quinto versu quod e cod. Voss. affertur *ἔνθεα*, nihil aliud est quam quod in primo Paris. legitur *ἔνθεν* supra scripto *α*. Id si non ut Lennepius *ἔν-*

θα δ', sed *ἐνθάδ'* correxeris, satis bene omnia cohaerebunt. Erit illud *ἐνθάδε* ad montis Idae loca referendum, in quibus degebat Paris, ut iam sequatur quid ille tum egerit, quum ad eum veniret Mercurius. Ante ultimum horum versuum aliquid excidisse vix potest dubitari.

V. 127. de *μεθήσας* videndus Lobeckius ad Phryn. p. 721.

V. 136.

χειρῶν μειδιόωντα δίκης προπάροιθεν ἑλοῦσα
τοῖον Ἀλεξάνδρῳ μυθήσατο μῦθον Ἀθήνη.

Tribus haec affecta sunt vitiis, primo, quod non sunt nexa superioribus; secundo, quod non apparet cur Paris rideat; tertio, quod Minervae personam dedecet hic supplicandi modus. E cod. Mut. scripturis *μειλ ν εντα* et in fine versus *ἐλόσσης* vereor ut aliquid erui possit. Fuit haud dubie pro hoc versu aliud quid scriptum a poeta: ipse versus autem et genuinus est et aptissimus, si in locum suum 16 reponatur post v. 158. ubi de Venere impudentius instante sermo est:

τοῖα δὲ μειδιόωσα προξέννεπε μηλοβοτῆρα,
χειρῶν μειδιόωντα δίκης προπάροιθεν ἑλοῦσα.

V. 144. Nonni sectatorum stilus scribi iubet,

πείθεο, καὶ πολέμους σε καὶ ἠνορέην σε διδάξω.

Libri *πολέμους τε καί*. Sunt haec levia, sed tamen non negligenda. Eiusmodi est pronomen *σέ*, quod v. 148. recte Bekkerus et Wernikius ad Coluth. p. 264. post *πάσης*, non post *Ἀσίης*, ut Lennepius, insertum voluerunt. In eo autem qui antecedit versu verba sic distingui debent:

εἴ με διακρίνων προφερέστερον, ἔρνος ὀπάσσαις.

Immo *εἰ μέ*, inquiant qui apud Tryphiodorum e v. 405. *μὲ καὶ αὐτήν*, aliaque alibi similia procuderunt, quae nobis non videntur esse non appetentis soloecismorum. *Ἦ μ' ἀνάειρ', ἦ ἐγὼ σέ.*

V. 166. haec leguntur:

οὔπω μῦθος ἔλιηεν, ὃ δ' ἀγλαὸν ὤπασε μῆλον,
ἀγλαΐης ἀνάθημα, μέγα κτέρας Ἀφρογενείῃ,
φυταλιὴν πολέμοιο, κακὴν πολέμοιο γενέθλην.

Quorum versuum ultimo nihil fingi potest putidius. Aliquot codd. et edd. vett. *φοιταλιήν*. Scribendum:

φοιταλέην πολέμοιο κακοπτολέμοιο γενέθλην.

V. 176. Quae hic non adiuvisse Iunonem dicitur *σακέων βασίλεια, καὶ εἰ πυρὸς ἔστι τιθήνη*, ut in cod. Mut. pro vulgato *ἐσσὶ* scriptum, ridiculum esset, si aut Minerva esset, ut Lennepio visum: qui enim haec, ubi ipsa vincere volebat, Iunoni conciliasset victoriam? aut adeo, quod censori Heidelbergensi in mentem venit, coniux Vulcani Gratia. Enyo est, quam dicit poeta, facem gestans.

Ab Iunone transit Venus ad Minervam his verbis v. 179.

οἷά τε κυδιάειις ἀνεμώλιος, Ἀτρυτώνη,
ἣν γάμος οὐκ ἔσπειρε καὶ οὐ μαιώσατο μήτηρ,
ἀλλὰ σιδηρείη σε τομὴ καὶ ῥίζα σιδήρου
πατρῴων ἀλόχευτον ἀνεβλάστησε καρήνων.
οἷα δὲ χαλκείοισι καλυψαμένη χρόα πέπλοις,
καὶ φεύγεις φιλότητα καὶ Ἄρεος ἔργα διώκεις,
ἁρμονίης ἀδίδακτος, ὁμοφροσύνης ἀδαήμων.

17 Bekkerus signa exclamandi posuit post Ἀτρυτώνη et post πέπλοις. Ea ratio si vera esset, in quinto horum versuum mente repetendum esset *κυδιάειις*. At tum certe post Ἀτρυτώνη signum illud non recte poneretur. Deberent enim sententiae ita cohaerere: *οἷα κυδιάειις, ὅτι σε γάμος οὐκ ἔσπειρεν· οἷα δέ, ὅτι χαλκέοις ὅπλοις καλύπτῃ.* Sed ne sic quidem omnia recte procederent. Neque enim apte adnexa essent illa, *καὶ φεύγεις φιλότητα*, et quae sequuntur, quae omnino cur ab armis potius, quam ab origine Minervae deriventur, non apparet. Nihil posset reprehendi, si pro altero isto *οἷα* aliud quid, v. c. *ἀμφί*, legeretur. Sed quum minime suspectum sit *οἷα*, positum

autem non possit non ad superius *οἷα* referri, illi autem quod adiectum est *τέ* non bene conveniat, recte mihi videor iudicare, alieno loco intrusum esse hunc versum. Eo hinc reiecto ante primum eorum quos apposui, bene habebit locus, ita nexa oratione:

οἷα δέ, χαλκείοισι καλυψαμένη χρόα πέπλοις,
οἷα σὺ κυδιάεις ἀνεμώλιος, Ἀτρυτώνη.

Nihil vitii est in illis:

ἀγνώσσεις ὅτι μᾶλλον ἀναλκίδες εἰσὶν Ἀθῆναι
τοῖαι, κυδαλίμοισιν ἀγαλλόμεναι πολέμοισι,
κεκριμένων μελέων οὔτ' ἄρσενες οὔτε γυναῖκες.

Quod Graefio, acutissimo leporum et venustatis arbitro, Ἀθῆναι non Minervae, sed urbs Athenarum esse visae sunt, vehementer miror.

V. 189. e. cod. Mut. reponendum *τοῖον*, et v. 197. *ὃς τότε* pro *ὅς ποτε*, quod ineptum est. V. 200.

νῆας, ἃς οὐκ ἐνόησε καὶ οὐκ ἤσκησεν Ἀθήνη.

Wernikius quum ad Tryphiod. p. 43. haud cunctanter *ἄτ'* scribendum dixit, metro melius quam sententiae consuluit. Vacua vitio est Graefii coniectura, deleto *νῆας* scribentis *οἵας*, sed est id languidius. Ego quidem credam Colluthum in hac syllabae mensura Hesiodi exemplum sequutum esse.

Paride navigante *ἐπ' εὐρέα νῶτα γαλήνης* (sic enim iure correxit Lennepius v. 204.) oritur tempestas, quae v. 206. sic describitur:

κυανέη μὲν ὕπερθεν ἀναθρώσκουσα θάλασσα
οὐρανὸν ὀρφναίων ἑλίκων ἐζώσατο δεσμῷ·
ἣ δ' ἄρα μιχθαλόεντος ἀπ' ἠέρος ὄμβρον ἰεῖσα. 18
ἐκλύσθη δέ τε πόντος ἐρεσσομένων ἐρετάων.

Nihil nec varietates scripturae prosunt, nec quae visa viris doctis est lacuna esse ante ultimum verbum. Manet enim, ut alia taceam, duplex perversitas, una in re ipsa, quod mare assurgere dicitur et caelum tortis nubibus cingere,

altera in oppositione per particulas *μὲν* et *δὲ* indicata, quae hic talis esset, ut idem sibi ipsum opponeretur. Nisi fallor, nihil hic deest, sed vitiata est scriptura. Removerit vitia, qui scripserit:

κυανέῃ μὲν ὕπερθεν ἀναθρώσκουσα θύελλα
οὐρανὸν ὀρφναίων ἑλίκων ἐζώσατο δεσμῷ,
εἶθαρ ὁμιχλήεντος ἀπ' ἠέρος ὄμβρον ἰεῖσα.
ἐκλύσθη δ' ὕπο πόντος ἐρεσσομένων ἐρετάων.

Θύελλα etiam Graefio in mentem venit. Vltimum versum ut sic scribendum putem, hanc rationem habeo, quod Coluthus, si scivit quid significaret *δέ τε*, non potuit id scribere. Omninoque apud huius sectae poetas perraro, si usquam, has particulas iungi videas: neque id mirum in hoc stili genere. Quare viderint, qui apud Tryphiodorum v. 530. *οἳ δέ τ' ἔλειφθεν* scribi voluerunt, expulerintne vitium an intulerint. Certe, si *ἐλέλειφθεν* ferre nollent, satius erat *ὑπέλειφθεν* scribere.

V. 233. Bekkerus e cod. Mut. opinor dedit *κυνέῃσιν*. Iulianus ex coniectura non male *κυνέῃφιν*. Vulgata *κυνέῃθεν* si vera est, coniungenda est cum *ἀναστέλλοιεν*.

V. 235. Mirifice lapsi sunt et Iulianus et censor eius Heidelbergensis, qui quod in altero Parisiensium scriptum est *ἀναστῆρων* et supra *κτό*, reponendum iudicarunt *φιλοξείνοιο ἄνακτος*. Nam vel accentus monstrare debebat, scripturam quam supra posuisset in codice illo librarius, non *ἄνακτος* fuisse, sed *ἀνακτόρων*.

V. 242. Dubitationes, quae multae magnaeque de hoc loco motae sunt, praeclare composuit Graefius, *κυσαμένῃ* reponendum monens, modo ne attrectasset praecedentia v. 239. Nihil enim certius quam *παραγνάψας* in medio positum esse, ut sit *deflectens?* ad *Καρνείοιο Ζακίνθου* autem repeti debere *θηεύμενος εἶδος*.

V. 247. Hic quoque recte mihi videtur Graefius di-
19 vinasse, in mendosa cod. Mut. scriptura latere *ἀγχιπόροισι*: quod praeferendum vulgatae.

V. 254. quum *θαλερὸν* pro *θαλερῶν* praebeat cod. Mut. maxime simplex opinor emendatio praestabit,

καὶ θαλάμου προπάροιθεν ὀπιπεύουσα θυράων.

V. 258. Nihil suspecti haberet hic locus, si legeretur *ἄλλοτε μέν*. Quod libri omnes habent *ἄλλοτε δή*, vereor ne scribendum sit *ἄλλοτε δέ*, exciderint autem aliquot versus, in quibus fortasse cum Apolline comparabatur Paris, omissi illi per negligentiam, aberrante oculo ad *ἄλλοτε δὲ* ab *ἄλλοτε μέν*, quod superius positum neglexit.

V. 264. Scribendum videtur *ἐπὶ ξυνοχῇσι καρήνου*. Ita capitis cum cervice iuncturam appellat.

V. 266. Veram esse puto librorum scripturam, sed malim ita distingui:

ξεῖνε, πόθεν τελέθεις ἐρατὸν γένος; εἰπὲ καὶ ἡμῖν.

Est ea blandientis oratio, similem vim habens, ut Homericum illud, *ἵνα εἴδομεν ἄμφω*.

Versum 269. qui e cod. Mut. accessit, quum non commodam sedem tenere animadverteret Iulianus, posuit eum ante v. 268. At ne sic quidem elegantiae consulitur. Mihi ponendus videtur ante v. 273. quo loco eum legi et res et verba postulant.

V. 276.

τοῖα Πάριν ποθέουσα λιγύθροος ἔννεπε νύμφη.

Haec cod. Mut. scriptura minime inepta videbitur reputanti *Πάριν* non cum *ποθέουσα*, sed cum *ἔννεπε* coniungendum esse, quo modo etiam Homerus *εἶπε* cum accusativo construxit.

V. 278. scribendum puto,

εἴ τινά που Φρυγίης ἐπὶ πείρασι γαῖαν ἀκούεις.

Quod libri habent *ἐνί*, si quem ego sensum harum rerum habeo, hac in sede versus *ἐν* dixisset poeta. Idque reddendum existimo etiam Musaeo v. 81. apud quem v. 271. meliorem scripturam duo codd. praebent *παρακάτθεο*.

V. 282. nimis languidum est, quod legitur,

ἔνθεν ἀριστεύων ἐμφύλια πάντα διώκω.

Sed quum non corruptum videatur *πάντα*, deesse ver-
20 sum puto, in quo substantivum erat, virtutes, laudes, decora significans. Sed quamvis multis in locis mutilum sit hoc carmen, tamen post hos versus,

ὧν ὃ μὲν ἡμετέρης δωμήσατο τείχεα πάτρης,
τείχεα μὴ πίπτοντα, Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων,

qui aliquid excidisse putant, eo opinor moti, quod quum *ὃ μὲν* dixerit poeta, deinde Neptuno etiam Apollinem adiungat, nimis rigidas mihi videntur dictioni poeticae leges scribere. Si tamen aliquid excidit, non fuit id aliud, si quid ego video, quam unus versus, de quo nescio an aliquid indicii faciat scriptura codicis Mut. qui pro *μὴ πίπτοντα* exhibet *μαρμαίροντα*. Id Bekkerus iure posthabuit vulgatae, quae multo fortior est. Quid vero si tamen vera est codicis illius scriptura, coniuncta quidem cum vulgata:

ὧν ὃ μὲν ἡμετέρης δωμήσατο τείχεα πάτρης,
τείχεα μαρμαίροντα, Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων,
τείχεα μὴ πίπτοντα . . . . . .

V. 295. Non prorsus abhorret ab usu Graecorum *καί*, quod ad totam sententiam pertineat, collocatum ut hic,

ἧς ἕνεκεν τέτληκα καὶ οἴδματα πολλὰ περῆσαι.

Sed tamen elegantius *δι' οἴδματα* scripsisset. Quum autem Nonni secta amet partitiones per duo *καί* factas, haud scio an perierit versus eadem vocula incipiens, hac sententia: *et tam remotas regiones adire.*

V. 297. scribendum:

εἴ με καταισχύνειας, ἐμὴν καὶ Κύπριν ἐλέγξεις.

Quae sequuntur, ita continuanda sunt:

οὐκ ἐρέω· τί δὲ τόσσον ἐπισταμένην σε διδάξω,

εἰ τοῖαι γεγάασιν ἐν Ἀργείοισι γυναῖκες.

Nam quod de Menelao interpositum est, neque cohaeret cum reliqua oratione, neque decet Paridem. Est ille versus, si quid video, Helenae tribuendus, cuius oratio eo additamento aucta plane respondet Paridis orationi, v. 312.

ἔγρεο νῦν, Σπάρτηθεν ἐπὶ Τροίην με κόμισσον.
ἕψομαι, ὡς Κυθέρεια γάμων βασίλεια κελεύει.
οὐ τρομέω Μενέλαον, ὅτ' ἂν Τροίῃ με νοήσῃ.
οἶσθα γὰρ ὡς Μενέλαος ἀνάλκιδός ἐστι γενέθλης.

V. 316. scribendum puto: 21

νυξ δὲ πόνων ἄμπαυμα μετ' ἠελίοιο κελεύθους
ὕπνον ἐλαφρίζουσα παρῄορον ὤπασεν ἠοῖ
ἀρχομένῃ.

Helenae scilicet nox sub auroram dedit somnum inquietum. De voce illa *παρῄορον*, quam praetulit etiam Graefius, videndus Wernikius ad Tryphiod. 371.

V. 319. Scribendum esse *κεράων δ' ἀπελάμπετο κόσμος*, Homericum illud *χάρις δ' ἀπελάμπετο πολλὴ* ostendit.

V. 337. Scribe, *ἔτι κλαίουσα νοσήσεις.* Arguunt sequentia.

V. 340. recte libri *ἢ τάχα:* sed quae mox sequuntur,

καὶ ἐς λειμῶνα μολοῦσα
ὡράων δροσόεντος ὑπὲρ πεδίοιο θαάσσει,

si integra essent, non possent nisi de celebri quodam apud Spartanos prato Horarum accipi. De eo mihi quidem nihil lectum, neque auditum opinor Colutho, apud quem quum respondeat Hermiona, *οἶδα κελεύθους ἐς ῥόδον, ἐς λειμῶνα*, credibile est excidisse versum, in quo rosetum vel rosae, ornamentum Horarum, commemoratae fuerint. Sequuntur hi versus:

ἢ χρόα πατρῴοιο λοεσσαμένη ποταμοῖο,
ᾤχετο, καὶ δήθυνεν ὑπ' Εὐρώταο ῥεέθροις.

Apertum est scribi debere *λοεσσομένη*. Sed in altero versu

quum plerique libri *ὑπὲρ Εὐρώταο παρ᾽ ὄχθαις* habeant, veram scripturam esse existimo *ἐπ᾽ Εὐρώταο ῥεέθροις*. Eius et *ὑπὲρ* et *παρὰ* explicatio est. Nec profecto apte dici potuit sub undis Eurotae morari Helena.

V. **359**. scribe:

μὴ διερῶν γονόεντος ἐπ᾽ Εὐρώταο ῥεέθρων
νηχομένην ἐκάλυψεν ὑποβρυχίην σε γαλήνη.

Et *διερῶν* quidem Graefium quoque correxisse video, qui etiam *ἐπ᾽* in *ὑπ᾽* mutabat, non male, sed praeter necessitatem, et minus venuste.

In iis, quae v. **363**. seqq. mendosissima leguntur, quamvis acutissima sit Graefii emendatio, tamen ea mihi non, ut ipsi, certissima videtur. Nam quum ita scribi iubet,

ἀνακλίνασκε δὲ δειρὴν
ὕπνος, ἐπεί, θανάτοιο συνέμπορος εἴπερ ἐτύχθη,
22 *ἀμφίς, ἀναγκαίῃ ξυνήϊα πάντα λαχόντα,*
ἔργα παλαιοτέροιο κασιγνήτοιο διώκειν,

primum impeditior haec structura verborum est, quam qua hoc genus poetarum uti solet; deinde autem *ἀνακλίνασκε*, quae verbi forma frequentativa est, abhorret ab huius loci ratione. Quare mihi, quae cum hoc participio cohaerebant verba, deesse videntur. In iis autem quae sequuntur, si praeter *εἴπερ*, quod recte a Graefio restitutum, participium duale reponatur, omnia plana sunt.

ὕπνος ἐπεὶ θανάτοιο συνέμπορος εἴπερ ἐτύχθη,
ἄμφω ἀναγκαίῃ ξυνήϊα πάντα λαχόντε
ἔργα παλαιοτέροιο κασιγνήτοιο διώκειν.

Dixerat, nisi fallor, Hermionam somno oppressam tam alto, ut si mortua esset, iacuisse. Nunc addit: nam si Somnus comes Mortis est, ambos oportet, omnia communia nactos, maioris fratris facere officia.

V. **375**. Hunc versum non suo loco legi apertum est. Neque illud dubium videtur, eius loco aliud quid scriptum fuisse. Hoc vero mirere, quod non animadverterunt VV. DD. isto versu perorationem totius carminis incipere. Quare

etsi nolim pertinacius pugnare cum iis, qui post v. 386. multa deesse putant, tamen non video quid cogat ita statuere. Nam abisse Parim cum Helena supra dixerat v. 325. Inde dolorem Hermionae describit, nec quidquam requirimus amplius. Iam ergo post v. 386. recte perget:

οὕτω καλλικόμοιο μεθ' ἁρμονίην Ἀφροδίτης
παὲρ Κικόνων πτολίεθρα καὶ Αἰολίδος πόρον Ἕλλης
Δαρδανίης λιμένεσσιν ὁ νύμφιος ἤγαγε νύμφην.

Posui *πάρ*, non quo id a poeta profectum significarem, sed quia tali particula haec coniuncta fuisse credibile est. Quis neget enim etiam alia loca, ut supra, commemorari potuisse?

V. 377. recte videtur Graefius vidisse, quod in cod. Mut. legitur *αἰνὰ παθοῦσα*, depravatum esse ex *δεινὰ παθοῦσα*.

V. 389. omnino scribendum:

χρυσέην δ' ἔρρηξε καλύπτρην
Κασσάνδρη θεόφοιτος, ἀπ' ἀκροπόληος ἰδοῦσα.

Hoc *ἀπ'* in neutrius Parisiensium textu legitur, sed in prioris margine.

DE ARCHIMEDIS PROBLEMATE BOVINO.*)

3 Qui eximiam operam epigrammatis Graecorum explicandis impendit, Fr. Iacobsius, ab eo dolemus unum neglectum esse in primis memorabile epigramma, quod Archimedi tributum primus e codice Guelferbytano edidit Lessingius in symbola secunda ad historiam et litteraturam p. 423. seqq. sive Operum vol. XIV. p. 232. seqq. iterum autem vulgarunt ante hos VII. annos Struvii, pater et filius, Altonae, commentariis instructum. Horum tanta fuit lascivia, ut non solum contemptim de eo sentirent, abiudicarentque ab Archimede, sed etiam alteram eius partem ab obscuro quodam homine ad ludificandos mathematicos compositam existimarent. Nimirum illi more multorum, qui antiquitatis monimenta tractant, vituperare et ut inepta reiicere quae ipsis molestiam crearent, quam accurate pervestigare maluerunt. Fugit eos nobile apud veteres fuisse Archimedis *πρόβλημα βοεικόν*, quod est illud ipsum, cuius ratio continetur isto epigrammate. Testem habemus scholiastam Platonis ad Charmidem p. 324. (91. ed. Ruhnk.) qui sic scribit: *λογιστικὴ ἐστὶ θεωρία τῶν ἀριθμητῶν, οὐχὶ δὲ τῶν ἀριθμῶν μεταχειριστική, οὐ τὸν ὄντως*

*) Edita est a. 1828.

ἀριθμὸν λαμβάνουσα, ἀλλ᾽ ὑποτιθεμένη τὸ μὲν ἓν ὡς μονάδα, τὸ δὲ ἀριθμητὸν ὡς ἀριθμόν, οἷον τὰ τρία τριάδα εἶναι καὶ τὰ δέκα δεκάδα· ἐφ᾽ ὧν ἐπάγει τὰ κατὰ ἀριθμητικὴν θεωρήματα. θεωρεῖ οὖν τοῦτο μὲν τὸ κληθὲν ὑπ᾽ Ἀρχιμήδους βοεικὸν πρόβλημα, τοῦτο δὲ μηλίτας καὶ φιαλίτας ἀριθμούς, τοὺς μὲν ἐπὶ φιαλῶν, τοὺς δὲ ἐπὶ ποίμνης· (designantur his problemata in Iacobsii Anthol. Pal. T. II. p. 559. 50. et 549. 4.) καὶ ἐπ᾽ ἄλλων δὲ γενῶν τὰ πλήθη τῶν αἰσθητῶν σωμάτων σκοποῦσα ὡς περὶ τελείων ἀποφαίνεται. ὕλη δὲ αὐτῆς πάντα τὰ ἀριθμητά· μέρη δὲ αὐτῆς αἱ Ἑλληνικαὶ καὶ Αἰγυπτιακαὶ καλούμεναι μέθοδοι ἐν πολλαπλασιασμοῖς καὶ μερισμοῖς, καὶ αἱ τῶν μορίων συγκεφαλαιώσεις καὶ διαιρέσεις, αἷς ἰχνεύει τὰ κατὰ τὴν ὕλην ἐμφωλευόμενα τῶν προβλημάτων τῇ περὶ τοὺς τριγώνους καὶ πολυγώνους πραγματείᾳ· τέλος δὲ αὐτῆς τὸ κοινωνικὸν ἐν βίῳ καὶ χρήσιμον ἐν συμβολαίοις, εἰ καὶ δοκεῖ περὶ τῶν αἰσθητῶν ὡς τελείων ἀποφαίνεσθαι. Multo autem ante, quam edita sunt scholia illa, haec Latine reddita exstabant in Dasypodii versione Nomenclaturarum Heronis Alexandrini, quam ille orationi suae de disciplinis mathematicis adiecit, fol. 16. a. cuius loci indicium debeo C. Br. Mollweidio, collegae quondam meo, eximiae eruditionis viro. Accedit inde fides inscriptioni epigrammatis, quae vel per se ita est comparata, ut non mentiri videatur: πρόβλημα, ὅπερ Ἀρχιμήδης ἐν ἐπιγράμμασιν εὑρών, τοῖς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ περὶ ταῦτα πραγματευομένοις ζητεῖν ἀπέστειλεν ἐν τῇ πρὸς Ἐρατοσθένην τὸν Κυρηναῖον ἐπιστολῇ. Nec dubitandum puto, quin versus ipsi ab Archimede facti sint. Solebant enim talia, quo firmius memoriae mandari possent, versibus comprehendi: nec mirum, si Archimedes in re communi non est patria dialecto usus. Simul autem et res ipsa, et quae scholiastes ille de trigonis et polygonis dicit, argumento sunt, tantum abesse ut altera pars epigrammatis spuria sit, ut maxime genuinam haberi oporteat. Nam prior pars eiusmodi est, ut solutio eius aliquid operae, nihil autem artis requirat; altera vero et digna est ingenio Archimedis, et talis, ut recte provocar

ad eam explicandam potuerint nobilissimi mathematici. Certe id frustra conati sunt et Chr. Leistius, cuius dissertationem dedit Lessingius p. 438. seqq. et I. Struvius. Gaussium quidem, primarium in his litteris virum, solvisse totum problema ab eodem illo Mollweidio accepi: adissemque virum celeberrimum, ut eam rationem vel mecum communicaret, vel publice ederet, nisi persuasum haberem, non eam iustam solutionem esse. Quum enim ille, ut referebat Mollweidius, problema illud, sic, ut et a scholiasta et a caeteris interpretibus constitutum est, intellexerit, fieri non potest, quin, si falsa est interpretatio illa, non Archimedeum illud problema, sed aliud ab illo diversum solverit. Atqui ita esse, videor mihi demonstrare posse: ob eamque caussam hac scribendi opportunitate utendum putavi, ut ostenderem, quae ratio esset illius problematis Ac fortasse, si quis mathematicus viam, qua in hoc genere usus est Archimedes, investigaverit, comprobabitur, quod de illo viro praedicat Plutarchus in Marcello c. 17. *ζητῶν μὲν γὰρ οὐκ ἄν τις εὕροι δι' αὑτοῦ τὴν ἀπόδειξιν, ἅμα δὲ τῇ μαθήσει παρίσταται δόξα τοῦ κἂν αὐτὸν εὑρεῖν. οὕτω λείαν ὁδὸν ἄγει καὶ ταχεῖαν ἐπὶ τὸ δεικνύμενον.* Videndum vero ante omnia erat, quid diceret Archimedes: verbis enim non recte intellectis qui potest de re verbis illis comprehensa recte iudicari? Illustre hoc quoque documentum est, rerum scientiam ex interpretatione verborum pendere. Epigramma emendatum dare visum est, adiectis adnotationibus.

Πληθὺν Ἠελίοιο βοῶν, ὦ ξεῖνε, μέτρησον,
φροντίδ' ἐπιστήσας, εἰ μετέχεις σοφίης,
πόσση ἄρ' ἐν πεδίοις Σικελῆς πότ' ἐβόσκετο νήσου
Θρινακίης, τετραχῇ στίφεα δασσαμένη,
χροίην ἀλλάσσοντα, τὸ μὲν λευκοῖο γάλακτος,
κυανέῳ δ' ἕτερον χρώματι λαμπόμενον·
ἄλλο γε μὲν ξανθόν, τὸ δὲ ποικίλον· ἐν δὲ ἑκάστῳ
στίφει ἔσαν ταῦροι πλήθεσι βριθόμενοι,
συμμετρίης τοιῇσδε τετευχότες· ἀργότριχας μὲν

κυανέων ταύρων ἡμίσει ἠδὲ τρίτῳ
καὶ ξανθοῖς σύμπασιν ἴσους, ὦ ξεῖνε, νόησον·
αὐτὰρ κυανέους τῷ τετράτῳ τε μέρει
μικτοχρόων καὶ πέμπτῳ, ἔτι ξανθοῖσί τε πᾶσιν.
τοὺς δ' ὑπολειπομένους ποικιλόχρωτας ἄθρει
ἀργεννῶν ταύρων ἕκτῳ μέρει ἑβδομάτῳ τε
καὶ ξανθοῖς αὖτις πᾶσιν ἰσαζομένους
θηλείαισι δὲ βουσὶ τάδ' ἔπλετο· λευκότριχες μὲν
ἦσαν συμπάσης κυανέης ἀγέλης
τῷ τριτάτῳ τε μέρει καὶ τετράτῳ ἀτρεκὲς ἶσαι.
αὐτὰρ κυάνεαι τῷ τετράτῳ τε πάλιν
μικτοχρόων καὶ πέμπτῳ ὁμοῦ μέρει ἰσάζοντο
σὺν ταύροις· πάσης δ' εἰς νομὸν ἐρχομένης
ξανθοτρίχων ἀγέλης πέμπτῳ μέρει ἠδὲ καὶ ἕκτῳ
ποικίλαι ἰσάριθμον πλῆθος ἔχον τετραχῇ.
ξανθαὶ δ' ἠριθμεῦντο μέρους τρίτου ἡμίσει ἶσαι
ἀργεννῆς ἀγέλης ἑβδομάτῳ τε μέρει. 6
ξεῖνε, σὺ δ' Ἠελίοιο βοῶν πόσαι ἀτρεκὲς εἰπών,
χωρὶς μὲν ταύρων ζατρεφέων ἀριθμόν,
χωρὶς δ' αὖ θήλειαι ὅσαι κατὰ χρῶμα ἕκασται,
οὐκ ἄϊδρίς κε λέγοι', οὐδ' ἀριθμῶν ἀδαής·
οὐ μήν πώ γε σοφοῖς ἐναρίθμιος· ἀλλ' ἴθι φράζευ
καὶ τάδ' ἔτ' ἄλλα βοῶν Ἠελίοιο πάθη.
ἀργότριχες ταῦροι μὲν ἐπεὶ μιξαίατο πληθὺν
κυανέοις, ἵσταντ' ἔμπεδον ἰσόμετροι
εἰς βάθος εἰς εὐρός τε· τὰ δ' αὖ πέρι μήκεα, πάντῃ
πίμπλαντο πλίνθου Θρινακίης πεδία.
ξανθοὶ δ' αὖτ' εἰς ἓν καὶ ποικίλοι ἀθροισθέντες
ἵσταντ', ἀμβολάδην ἐξ ἑνὸς ἀρχόμενοι,
σχῆμα τελειοῦντες τὸ τρικράσπεδον, εἴτε προσ-
όντων
ἀλλοχρόων ταύρων, εἴτ' ἐπιλειπομένων.
ταῦτα συνεξευρὼν καὶ ἐνὶ πραπίδεσσιν ἀθροίσας,
καὶ πληθέων ἀποδοὺς, ὦ ξένε, πάντα μέτρα,
ἔρχεο κυδιόων νικηφόρος, ἴσθι τε πάντως
κεκριμένος ταύτῃ γ' ὄμπνιος ἐν σοφίῃ

Scholion in codice additum est epigrammati hoc. *Τὸ μὲν οὖν πρόβλημα διὰ τοῦ ποιήματος ὁ Ἀρχιμήδης ἐδήλωσε σαφῶς ἰστέον δὲ τὸ λεγόμενον, ὅτι τέσσαρας ἀγέλας εἶναι δεῖ βοῶν· λευκοτρίχων μὲν μίαν ταύρων καὶ θηλειῶν· ὧν τὸ πλῆθος ὁμοῦ συνάγει μυριάδας διπλᾶς ιδ', καὶ ἁπλᾶς ,φπβ, καὶ μονάδας ,ζτξ· κυανοχρόων δ' ἄλλην ὁμοῦ ταύρων καὶ θηλειῶν, ὧν τὸ πλῆθός ἐστι μυριάδων διπλῶν ἐννέα, καὶ ἁπλῶν ,ηωλ, καὶ μονάδων ω'· μιξοτρίχων δ' ἄλλην ταύρων καὶ θηλειῶν, ὧν τὸ πλῆθός ἐστι μυριάδων διπλῶν η', καὶ ἁπλῶν ,ϛϡλα, καὶ μονάδων υ'. τῆς δὲ λοιπῆς ἀγέλης τῶν ξανθοτρίχων συνάγει τὸ πλῆθος διπλᾶς μυριάδας ζ', καὶ ἁπλᾶς ,ϛψη, μονάδας δὲ η'· ὥστε συνάγεσθαι ὁμοῦ τὸ πλῆθος τῶν δ' ἀγελῶν μυριάδας διπλᾶς μ', καὶ ἁπλᾶς ,γριβ, καὶ μονάδας ,ϛφξ. καὶ ἡ μὲν ἀγέλη τῶν λευκοτρίχων ταύρων ἔχει μυριάδας διπλᾶς η', καὶ ἁπλᾶς ,βϡλα, καὶ μονάδας ,ηφξ· θηλειῶν δὲ μυριάδας διπλᾶς ε', καὶ ἁπλᾶς ,ζχν, καὶ μονάδας ,ηω· ἡ δὲ ἀγέλη τῶν κυανοχρόων ταύρων ἔχει μὲν μυριάδας διπλᾶς ε', καὶ ἁπλᾶς ,θχπδ, καὶ μονάδας ,αρκ· θηλειῶν δὲ μυριάδας διπλᾶς γ', καὶ ἁπλᾶς ,θρμε, καὶ μονάδας ,θχπ· ἡ δὲ ἀγέλη τῶν ποικιλοτρίχων ταύρων ἔχει μὲν μυριάδας διπλᾶς ε', καὶ ἁπλᾶς ,ηωξδ, καὶ μονάδας ,δω· θηλειῶν δὲ μυριάδας διπλᾶς β', καὶ ἁπλᾶς ,γρκς, καὶ μονάδας ,εχ· ἡ δ' ἀγέλη τῶν ξανθοχρωμάτων ταύρων ἔχει μὲν μυριάδας διπλᾶς γ', καὶ ἁπλᾶς ,γϙλε, καὶ μονάδας ϡξ· θηλειῶν δὲ μυριάδας διπλᾶς δ', καὶ ἁπλᾶς ,γφιγ, καὶ μονάδας ,ζμ· καὶ ἔστι τὸ πλῆθος τῶν λευκοτρίχων ταύρων ἴσον τῷ ἡμίσει καὶ τρίτῳ μέρει τοῦ πλήθους τῶν κυανοχρόων ταύρων καὶ ἔτι ὅλῃ τῇ τῶν ξανθοχρωμάτων ἀγέλῃ· τὸ δὲ πλῆθος τῶν κυανοχρωμάτων ἴσον τῷ τετάρτῳ καὶ πέμπτῳ μέρει τῶν ποικιλοχρόων ταύρων καὶ ὅλῳ τῷ πλήθει τῶν ξανθοχρωμάτων· τὸ δὲ πλῆθος τῶν ποικιλοτρίχων ταύρων ἴσον τῷ ἕκτῳ καὶ ἑβδόμῳ μέρει τῶν λευκοτρίχων ταύρων καὶ ἔτι τῷ πλήθει ὅλῳ τῶν ξανθοχρωμάτων ταύρων· καὶ πάλιν τὸ πλῆθος τῶν λευκῶν θηλειῶν ἴσον τῷ τρίτῳ καὶ τετάρτῳ μέρει ὅλης τῆς ἀγέλης τῶν κυανοχρόων· τὸ δὲ τῶν κυανοχρόων ἴσον τῷ τετάρτῳ καὶ πέμπτῳ μέρει τῆς ὅλης ἀγέλης τῶν ποικιλο-*

τρίχων· τὸ δὲ τῶν ποικιλοτρίχων ἴσον τῷ πέμπτῳ καὶ ἕκτῳ μέρει τῆς ὅλης τῶν ξανθῶν βοῶν. πάλιν δὲ τὸ τῶν ξανθῶν θηλειῶν πλῆθος ἦν ἴσον τῷ ἕκτῳ καὶ ἑβδόμῳ μέρει τῆς ὅλης ἀγέλης τῶν λευκῶν βοῶν· καὶ ἡ μὲν ἀγέλη τῶν λευκοτρίχων ταύρων καὶ ἡ τῶν κυανοχρόων ταύρων συντεθεῖσα ποιεῖ τετράγωνον ἀριθμόν· ἡ δ' ἀγέλη τῶν ξανθοτρίχων ταύρων μετὰ τῆς ἀγέλης τῶν ποικιλοχρόων συντεθεῖσα ποιεῖ τρίγωνον, ὡς ἔχει τὰ τῶν ὑποκειμένων κανόνων καθ' ἕκαστον χρῶμα. Huius scholiastae sic demum idonea auctoritas esset, si totum solvisset problema: nunc neque quomodo alteri taurorum greges quadratum, alteri triquetrum numerum efficerent ostendit, neque aliis quibusdam in rebus explicatio eius cum verbis epigrammatis conspirat. Tamen eum et Leistius et Struvii sequuti sunt, miro lubitu etiam qui nigri et badii boves dicendi erant, caeruleos et flavos appellantes. Calculi quidem istius scholiastae prout ille epigramma interpretatus est, si a quadrato et triquetro discesseris, recte computati sunt. Nam quum taurorum qui minimi inveniri possunt numeri, alborum sint **2226**, nigrorum **1602**, maculosorum **1580**, badiorum **891**, his ita ille usus est, ut numeros conficeret taurorum vaccarumque hosce, quos litteris colorum initialibus notatos haec tabula exhibet:

Α.	*τ.*	8,2931,8560			8
	β.	5,7650,8800	=	7 M.	
		14,0582,7360		12	
Μ.	*τ.*	5,9684,1120			
	β.	3,9145,9680	=	9 *Στ.*	
		9,8830,0800		20	
Στ.	*τ.*	5,8864,4800			
	β.	2,8126,5600	=	11 *Ξ.*	
		8,6991,0400		30	
Ξ.	*τ.*	3,3195,0960			
	β.	4,3513,7040	=	13 *Α.*	
		7,6708,8000		42	

Vniversorum autem gregum haec summa est, **40,3112,6560.** [a]) Qui haec eruit, in eo quidem magis probandus videtur, quam Struvii, qui quod viderent albos nigrosque tauros in unum coniunctos debere numerum quadratum efficere, hunc quaerendum censuerunt, eoque invento numeros posuerunt taurorum vaccarumque ad eamdem rationem exactos, sed multo maiores, et tamen sine fructu, quia ultima parte problematis non expedita nihil profecerunt. Quare satis erat minimos ponere numeros omnes, quos facile quis postea eo numero multiplicaret, in quo inveniendo unice laboratur. Eaque via sapienter ab ipso erat Archimede monstrata.

Sed veniendum est ad id, quod supra dicebam, verbis non recte intellectis aliud agi, atque Archimedes proposuerat. Id factum est duobus in locis. Et primum quidem v. **24.** ubi Leistius et Struvii inconsiderate scholiastae rationes sequuti, removendum duxerunt verbum τετραχῇ. Quod quum in ἀτρεκὲς mutari voluerunt, metro intulerunt vitium, cui excusando imperitioribus non deest machina: scriptori epigrammatis non esset excusabile visum. Cur vero damnemus vocem illam? Tantum abest enim, ut numeri non congruant, si quadraginta quattuor pro undecim tricesimis partibus ponantur, ut non solum aliquanto minores fiant, sed etiam impediatur, ne secus quam na-
9 tura et mos fert, taurorum maior sit quam vaccarum multitudo. Scilicet quoniam ex minimis taurorum numeris **2226**, et **1602**, et **1580**, et **891**, eruendus est vaccarum numerus, invenies albarum multitudinis vaccarum quae detractis $\frac{143}{1200}$ partibus reliquae sunt partes $\frac{1057}{1200}$ hisce aequiparari taurinorum gregum partibus:

$$\frac{7\ 1602}{12} + \frac{21.\ 1580}{80} + \frac{77.\ 891}{200} + \frac{143.\ 2226}{1200}$$

---

a) Censor in Diurn. Ien. a. 1829. m. Martio fol. 49. quod sic scriptus est hic numerus, et non 4,031,126,560, et similiter etiam qui praecedunt, typographi errore factum putat. At consulto ita divisi, ut, qui scholiastae verba compararet, ab millenariis numeris myriades, a myriadibus duplices myriades discretas inveniret.

Quos numeros in unum collectos quum dividi oporteat numero **1057**, qui constat ex elementis **7** et **151**, satis est eos maiore horum elementorum multiplicari, quia alterum nihil turbat. [b]) Sic inveniuntur numeri hice:

$$\begin{array}{lll} \Lambda. & \left\{\begin{array}{ll} \tau. & 336126 \\ \beta. & 335580 \end{array}\right. & = \quad 7\,M. \\ \hline & \quad 671706 & \quad 12. \end{array}$$

$$\begin{array}{lll} M. & \left\{\begin{array}{ll} \tau. & 241902 \\ \beta. & 333378 \end{array}\right. & = \quad 9\,\Sigma\tau. \\ \hline & \quad 575280 & \quad 20 \end{array}$$

$$\begin{array}{lll} \Sigma\tau. & \left\{\begin{array}{ll} \tau. & 238580 \\ \beta. & 502260 \end{array}\right. & = \quad 44\,\Xi. \\ \hline & \quad 740840 & \quad 30 \end{array}$$

$$\begin{array}{lll} \Xi. & \left\{\begin{array}{ll} \tau. & 134541 \\ \beta. & 207909 \end{array}\right. & = \quad 13\,\Lambda. \\ \hline & \quad 342450 & \quad 42 \end{array}$$

Ita taurorum omnium ad vaccas omnes haec est proportio: **6299**: **9133**$\frac{44}{151}$: in scholiastae autem computatione: **6299**: **4521**$\frac{342}{4657}$ [c]).

---

b) Nescio quo errore, quum scriberem hanc dissertationem, hos numeros elementis 11. 13 = 143, propter divisiones, quibus in singulorum gregum magnitudine computanda opus esset, multiplicandos dixi. Ea multiplicatione non opus esse, postea intellexi, monuitque censor Ienensis. Itaque nunc numeros posui non multiplicatos isto elemento.

c) Censor Ienensis:

$$\begin{array}{lll} \Lambda. & \left\{\begin{array}{ll} \tau. & 48572559882 \\ \beta. & 48493659060 \end{array}\right\} & 97066218942 \\ M. & \left\{\begin{array}{ll} \tau. & 34956532314 \\ \beta. & 48175454646 \end{array}\right\} & 83131986960 \\ \Sigma\tau. & \left\{\begin{array}{ll} \tau. & 34476480060 \\ \beta. & 72580085820 \end{array}\right\} & 107056565880 \\ \Xi. & \left\{\begin{array}{ll} \tau. & 19442116287 \\ \beta. & 30044305863 \end{array}\right\} & 49486422159 \end{array}$$

$(\Lambda + M.)\ \tau. = 83529092196 = 289014^2$

Sed multo maioris momenti est interpretatio versuum **35—40**. In his scriptum erat *τὰ δ' αὖ περιμήκεα πάντῃ πίμπλαντο πλίνθου Θρινακίης πεδία*. Mirum, ne dicam ineptum epitheton est arvorum *περιμήκεα*, multoque magis friget additum *πάντῃ*. Non ego credam sic ista scripsisse Archimedem. Quare posui *τὰ δ' αὖ πέρι μήκεα, πάντῃ πίμπλαντο πλίνθου Θρινακίης πεδία·* quorum verborum hic sensus est: latera autem circumcirca ab omni parte quod attinet, laterculis implebantur campi Thrinaciae. *Μήκεα* constat latera dici quadratorum. *Πλίνθος* recte explicata a Struviis. *Πλινθίδας* communi sermone vocant numeros *ἰσάκις ἴσους ἑλαττονάκις*. Hinc patet, non de toto quadrato, sed de singulis eius lateribus sermonem esse: invenirique debere numerum quadratum, cuius singula latera hanc rationem habeant: a^2. $(a - b)$.

Gravius etiam erratum est in explicatione verborum, quae v. **39**. sic scripta legebantur: *σχῆμα τελειοῦντες τὸ τρικράσπεδον, οὔτε προσόντων ἀλλοχρόων ταύρων, οὔτ' ἐπιλειπομένων*. Hic profecto nimis secure scholiastam sequuti sunt interpretes. At sive ille ipse computare rationes istas conatus est, sive ab alio accepta retulit, illud apertum est, nihil ab eo allatum esse, quod difficillimam partem problematis explanaret, sed satis eum habuisse, mentem Archimedis, et id quoque negligenter, indicare: nisi quis ostendat, qui positi ab eo sunt numeri, quomodo per fractiones et quadratum, qui requiritur, et triquetros efficiant. Nobis quidem, qui ipsum epigramma ante oculos habeamus, hoc potius, quam interpres iste, audiendum est. At quid hoc est: badiorum et variorum taurorum greges coniuncti numerum triquetrum praebent, neque adnumeratis alius coloris tauris, neque relictis? Quod Struvii volunt, *οὔτ' ἐπιλειπομένων* abundanter additum esse, id est iniuriam facere scriptori epigrammatis. Nam ista quidem non solum inepta, sed plane absurda

---

At nihil prodest quadratus, nisi etiam triquetri, quorum is intervallum sit, indicantur.

oratio esset. Nec quae illi similia, ut ipsi putant, exempla attulere, huius generis sunt. Paullo aptius commemorare potuerant illud Homeri Iliad. *μ*. 14.

πολλοὶ δ' Ἀργείων οἳ μὲν δάμεν, οἳ δ' ἐλίποντο.

quo in loco non sane necessaria sunt illa *οἳ δ' ἐλίποντο*, sed tamen ne absurde quidem addita. In Archimedis autem versibus pervertit istud additamentum illam ipsam sententiam, quam interpretibus visus est enunciare scriptor voluisse. Quod si, ut par est, non temere et inutiliter adiecta sunt verba illa, alia rursum offensio est in duplici negatione. Quis enim sic potius dicat, *numerus iste triquetrus est, neque adnumeratis neque relictis caeteris tauris*, quam *et adnumeratis et relictis?* Quae quum ita sint, non dubitavi scribere *εἴτε προσόντων ἀλλοχρόων ταύρων, εἴτ' ἐπιλειπομένων.* Ea vero re pa- 11
tet totius problematis aliam esse rationem, quam visa est interpretibus. Itaque ut paucis complectar, hoc voluit Archimedes: coniunctos greges alborum et nigrorum taurorum praebere numerum quadratum, cuius singula latera ex laterculo facta sint; badiorum autem et variorum taurorum coniunctos greges efficere numerum triquetrum, sive accedant ad eos albi et nigri tauri, sive non accedant. Atque ut haec notis illis, quibus supra usus sum, brevi conspectu comprehendam, posterior pars problematis hanc rationem habet:

$$\Lambda.\ \tau. + M.\ \tau. = (a^2.\ (a-b))^2 = 3828x.$$

$$\Sigma\tau.\ \tau. + \Xi.\ \tau. = \frac{c.\ (c+1)}{2} = 2471x.$$

$$\Sigma\tau.\ \tau. + \Xi.\ \tau. + \Lambda.\ \tau. + M.\ \tau. = \frac{d.\ (d+1)}{2} = 6299x$$

Ergo $\frac{d.\ (d+1)}{2} - \frac{c.\ (c+1)}{2} = (a^2.\ (a-b))^2$. Haec quomodo computaverit Archimedes, mathematicis quaerendum relinquimus. Viderint illi, casune factum sit, an consilio, ut, qui numerus pro quadrati elemento positus est, 3828, triquetrus sit $\frac{87.\ 88.}{2}$. Credam ego quidem, Archimedem

rationem illam putasse numeris fractis, quorum pervagatus apud veteres illos usus fuit. Et quum duo numeri differentia sua multiplicati, si alter de altero detrahitur, quadratum differentiae relinquant: veri simile est, numeros illos, qui triquetri esse debent, **2471** et **6299**, differentia sua, quae est **3828**, multiplicatos, triquetros factos esse, distantes quadrato tali, qualem designavit Archimedes, cuius singula latera sint laterculi. Vt exemplis rem declarem, $15\frac{1}{6}$ et $9\frac{1}{6}$ differentiam habent **6**: qua multiplicati isti numeri praebent triquetros **91** et **55**, quorum differentia est quadratus **36**. Vel $13\frac{3}{5}$ et $3\frac{3}{5}$ differunt numero denario: quo si multiplicantur, exsistunt triquetri **136** et **36**, distantes ab se invicem quadrato **100**. Sed ille, quem Archimedes requirit, quadratus permagnus est. Nam qui minimus est numerus, **3828**, ex his elementis constat: **3. 4. 11. 29.** quae, ut supra dictum, mul-
12 tiplicanda sunt hoc: **151.** ita ut latus quadrati minimum habeat elementa **3. 4. 11. 29. 151.** Sed horum quaedam geminanda erunt, ut latus illud efficiat laterculum.

HERMESIANACTIS ELEGI. *)

Quod Athenaeus lib. XIII. p. 597. conservavit Herme- 3
sianactis elegorum insigne fragmentum, eius pulcritudinem tantopere admirati sunt homines eruditi, ut certatim menda, quibus illud plurimis contaminatum est, tollere, pristinumque ei reddere nitorem studerent. Sed tamen ad hunc usque diem, ut ingenue confiteamur, nihil videtur effectum esse, nisi ut, persanatis non multis locis, plerique tentati sint potius, quam correcti, nonnulli etiam magis depravati. Id cogitanti mihi quo pacto evenisset, duae maxime visae sunt res esse, quae viros doctos, sicut in aliis multis veterum scriptis, ita etiam in illis Hermesianactis versibus ab recta via abduxissent. Earum una in eo est posita, quod nonnulli ad unum aliquod verbum dictumve animum attendentes totius orationis vim sententiarumque omnium complexum negligunt; altera autem cernitur in eo, quod dicendi genera distinguere non adsueti,

*) Edita est a. 1828. Censuram eius scripsit Guil. Ern. Weberus in Diurnis scholasticis a. 1829. Part. II. mense Aprili n. 42. in quibus eodem anno mense Ianuario n. 2. 3. de Rigleri et Axtii editione sententiam dixerat. Novissime tractavit hoc carmen Nic. Bachius in Philetae, Hermesianactis atque Phanoclis reliquiis, quae prodierunt a. 1829. Halis Saxonum. Idem quaedam monuerat in censura Athenaei a G. Dindorfio editi in Iahnii Annalibus vol. IX. fasc. III.

carum vocum formularumque usum et potestatem non respiciunt, quae quod pervulgatae sunt, nihil vitii continere putantur, et tamen, quia loco non suo sunt scriptae, nec debent nec possunt ferri. Sed etsi utrumque genus ita est comparatum, ut vitari possit, si quis caute satis circumspecteque procedat, tamen vel sic in Hermesianactis quidem elegis nonnulla relinquentur, quae, nisi codicum meliorum ope, sanari nequeant, iis praesertim in locis, in quibus vel res hodie ignotae respiciuntur, vel hominum locorumve nomina inveniuntur mendosa. Quin in caeteris etiam non pauca sunt, in quibus non ultra opinionem et veri similem coniecturam progredi liceat. Quare si ego quoque quantum quidem possim ad huius constitui carminis emendationem conferre, sic velim existimari, viam me potius corrigendi aliquam in plerisque locis voluisse ostendere, quam certa putare corruptorum remedia reperisse, gavisurumque potius esse, si meliora quis afferat, quam ipse quae invenerim defensurum. *Μόνη γὰρ ἔμοιγε δοκεῖ ἴασις ἁμαρτίας, ὁμολογεῖν τε ἁμαρτόντα καὶ δῆλον εἶναι ἐπ' αὐτῷ μεταγινώσκοντα.**) Nam sua inventa omnibus modis tenere non solum vel ineptae vanitatis, vel inopis superbiae, vel stolidae pervicaciae, vel turpis invidiae, sed omnino dementiae esse arbitror. Sed de Hermesianactis versibus quo commodius dici possit, ipsum placet fragmentum sic, ut in antiquissimis libris scriptum est, supra ponere, iis tantum receptis emendationibus, quae omni sint dubitatione vacuae.

Οἴην μὲν φίλος υἱὸς ἀνήγαγεν Οἰάγροιο
Ἀγριόπην, Θρῇσσαν στειλάμενος κιθάρην,
ἀῤῥόθεν, ἔπλευσεν δὲ κακὸν καὶ ἀπειθέα χῶρον,

---

*) Arrian. de exped. Alex. VII. 29.

3. Suspectum habeo *ἀπειθέα χῶρον*. Quantum intersit, utrum *χῶρος* an *Ἅιδης* dicatur *ἀπειθής*, nemo non videt. Malim *ἀπευθέα*, sive is ignorabilis intelligendus, sive ex quo nulla venit fama.

ἔνθα Χάρων ἀκοὴν ἕλκεται εἰς ἄκατον
ψυχὰς οἰχομένων· λίμνη δ' ἔπι μακρὸν ἀΰτεῖ,
ῥεῦμα διὲκ μεγάλων ῥυομένη δονάκων.
ἀλλ' ἔτλη παρὰ κῦμα μονόζωστος κιθαρίζων
Ὀρφεύς, παντοίους δ' ἐξανέπεισε θεούς·
Κωκυτόν τ' ἀθέμιστον ἐπ' ὀφρύσι μειδήσαντα
ἠδὲ καὶ αἰνοτάτου βλέμμ' ὑπέμεινε κυνός,

---

4. Tam elegans est atque usitatum, quod Lennepius coniecit κοινήν, ut non mirer probatum esse ab omnibus.[a]) Sed tamen librorum scriptura facit, ut dubitem an exquisitiora amans poeta ἄκατον illam potius ἀόκνην dixerit.

5. Quod in cod. Ven. est, λίμνηι, non debebat nominativis litem movere. Si quid suspectum in hoc loco, est id ῥυομένη, inusitata, sed propria tamen significatione positum, ut non videatur mutandum esse. Si tamen, συρομένη praestaret aliis coniecturis.

7. Μονόζωστος pro μονόζωστον, Ruhnkenio debetur: sed et hic et alii non παντοίους tentare debebant, sed ἐξανέπεισε, quod verbum non solum propter aoristum pro imperfecto positum, sed magis etiam propter totius loci rationem vitiosum esse, versus 13. docet. Poeta Orpheum dixerat securum inter inferni horrores omnium celebrasse laudes deorum. Id ille, nisi fallor, significaverat verbo ἐξανέλισσε, quo refertur postea ἔνθεν ἀοιδιάων: ab universorum genere deorum exorsus, infernos exoravit reges.

9. Hic locus luculentum praebet illius quam supra notavi duplicis criticorum perversitatis exemplum, quum ad verba tantum attenti ὑπ' ὀφρύσι μειδήσαντα coniecerint, non reputantes, si illuc, ut ipsis videbatur, ὑπέμεινε referendum est, ridentem sustinere non adeo difficile esse; non offenderint autem in ἠδὲ καί, cuius ut paullo minor pravitas, elegantia non maior est, quam illius inscriptioni Crissaeae iterum iterumque frustra obtrusi καί τε. Ἀθέμιστον dici Cocytum quum aegre ferret Ruhnkenius, cur non aegrius etiam tulit ὑπ' ὀφρύσι μειδήσαντα, quod vix lyrico concedendum videtur? Immo *flumine languido Cocytus errans* aliter, opinor, testificatus est se Orphea testudine commotum esse. Itaque sic potius scripsisse poetam existimem: Κωκυτόν τ' ἀνέθιστον ἐπ' ὀφρύσιν οἰδήσαντα εἶδε, καὶ αἰνοτάτου βλέμμ' ὑπέμεινε κυνός.[b])

---

a) Sed tamen Göttlingius apud Weberum ἀκαλήν, Blomfieldius autem, satis mirabili coniectura, ὠχρήν, quae a Bachio in ipsum est textum recepta.

b) Bachius quum ἠδὲ καί, quod *atque adeo* significaret, defendit,

ἐν πυρὶ μὲν φωνὴν τεθοωμένου, ἐν πυρὶ δ' ὄμμα
σκληρὸν τριστοίχοις δεῖμα φέρον κεφαλαῖς.
ἔνθεν ἀοιδιάων μεγάλους ἀνέπειρεν ἄνακτας
Ἀγριόπην μαλακοῦ πνεῦμα λαβεῖν βιότου.
οὐ μὴν οὐδ' υἱὸς Μήνης ἀγέραστον ἔθηκε
Μουσαῖος, Χαρίτων ἥρανος, Ἀντιόπην,
ἥ τε πολὺν μύστησιν Ἐλευσῖνος παρὰ πέζαν
εὐασμὸν κρυφίων ἐξεφόρει λογίων,
Ῥάριον ὀργίων ἀνέμῳ διαποιπνύουσα
Δήμητρα· γνωστὴ δ' ἐστὶ καὶ εἰν Ἀΐδῃ.
φημὶ δὲ καὶ Βοιωτὸν ἀποπρολιπόντα μέλαθρον
Ἡσίοδον, πάσης ἥρανον ἱστορίης
Ἀσκραίων ἐρικέσθαι ἑκόνθ' Ἑλικωνίδα κώμην·
ἔνθεν ὅγ' Ἡοίην μνώμενος Ἀσκραϊκὴν
πόλλ' ἔπαθεν, πάσας δὲ λόγων ἀνεγράψατο βίβλους,
ὕμνων ἐκ πρώτης παιδὸς ἀνερχόμενος.

---

17. Libri *πολυμνήστησιν*. Hoc bene correxerunt novissimi editores Riglerus et Axtius.[c])

19. *Ῥάριον* carere spiritu aspero monent scholiastae ad Hom. Iliad. α. 56. Scribendum puto *Ῥάριον ὀργειῶνι νόμῳ διαποιπνύουσα Δημήτρα.*[d])

21. Veterrimi codd. *μέλαθραν*, alii *μέλαθρον*, Schweighaeuserus *μέλαθρα*. Mihi quidem, quum *μέλαθρον* vix aliter quam de sede Cumana intelligi possit, parum apte Boeotus dici videtur Hesiodus. Requiri hic *Κυμαῖον ἀποπρολιπόντα μέλαθρον* novissimi editores viderunt.

23. Codices *ἔχων*. Vera videtur Dalecampii emendatio *ἑκόνθ'*, aptior illa, si quis Hesiodi dictorum meminerit, quam quod aliis placuit *ἐρῶνθ'*, inutile propter sequentem versum.

---

non cogitavit vehementer id in poeta languere. Webero obscurum fuisse videtur, quo sensu *ἀνέθιστον ἐπ' ὀφρύσιν οἰδήσαντα* dictum esset. Illud est, *praeter solitum ad ripas intumescentem.*

c) Multo ante eos Blomfieldius in Diatribe de Antimacho. V. Diar. class. fasc. VII. p. 233.

d) Blomfieldii *Ῥάριον ὀργειῶνα νόμῳ διαποιπνύουσα* non intelligo. Incredibilia commentus est I. H. Vossius ad Hom. h. Cer. p. 130. Bachii *Ῥάριον ὄργι' ἀνὰ τέμενος* propter productionem syllabae, qualem non licet imputare Hermesianacti, admitti nequit. Io. Casp. Orellius apud Weberum: *Ῥάριον ὀργίων ἀνὰ λείμακα ποιπνύουσαν Δήμητρι.*

αὐτὸς δ' οὗτος ἀοιδός, ὃν ἐκ Διὸς αἶσα φυλάσσει,
ἥδιστον πάντων δαίμονα μουσοπόλον,
λεπτὴν εἰς Ἰθάκην ἀνετείνετο θεῖος Ὅμηρος
ᾠδῇσιν πινυτῆς εἵνεκα Πηνελόπης·
ἣν δία πολλὰ παθὼν ὀλίγην ἐσενάσσατο νῆσον,
πολλὸν ἀπ' εὐρείης λειπόμενος πατρίδος·
κλαῖεν δ' Ἰκαρίου τε γένος καὶ δῆμον Ἀμύκλου,
καὶ Σπάρτην, ἰδίων ἁπτόμενος παθέων.
Μίμνερμος δέ, τὸν ἡδὺν ὃς εὕρετο πολλὸν ἀνατλὰς
ἦχον καὶ μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πενταμέτρου,
καίετο μὲν Ναννοῦς, πολίῳ δ' ἐπὶ πολλάκι λώτῳ

---

28. Codd. Ven. Pal. *μουσοπόλον*. Edd. vett. *μουσοπόλων*. Vtrumvis ferri posset, modo *δαίμονα* satis recte dictum esse constaret. Nihil eo confert Ammiani *τέχνης ῥητορικῆς δαίμων λευκοφόρος*, de quo Iacobsius ad Anthol. vol. X. p. 137. Ambigique potest etiam de eo, utrum haec verba appositio sint, an constructa cum *φυλάσσει*. Nam si distinguitur post *φυλάσσει*, simpliciter aeternum esse Homerum dicit poeta; si non distinguitur, suavitate eum in omne tempus principem servari. Gravior mihi digniorque prior ratio videtur. Quare sic poetam scripsisse suspicor: *ἥδιστον πάντων δαίμονα μουσοπολῶν ᾠδῇσιν*· haec enim verba coniungenda sunt: *dulcissimum deorum* Amorem *carminibus colens*. Recordabatur, nisi fallor, quod Hesiodus dixit, *ἠδ'* Ἔρος, *ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσιν*. Non habeo aliud exemplum verbi *μουσοπολεῖν*, sed exemplis in hoc genere non opus. Eodem modo, nisi quis forte id hic quoque praeferat, *μουσοποιεῖν* dixit Aristophanes Nub. 334. Versu 29. δ' post *λεπτὴν* delevit novissimus editor Athenaei.

33. Libri *ἔκλαιεν δ' Ἰκάρου*. Mira socordia criticorum, quorum nullus hoc emendaverit.

35. Nullo pacto fieri potest, quod Ruhnkenio videbatur, ut *πολλὸν ἀνατλὰς* coniungatur cum *καίετο μὲν Ναννοῦς*. Alia haec mala, quam amoris curas, fuisse crediderim: ac mox graves inimici memorantur Hermobius et Pherecles. Quod Philetae verba apud Stobaeum LXXXI. 4. attulit Ruhnkenius, *ἀλλ' ἐπέων εἰδὼς κόσμον, καὶ πολλὰ μογήσας μύθων παντοίων οἶμον ἐπιστάμενος*, fecit more illius temporis, quo sibi, ut etiamnum nonnulli, in similiter dictorum comparatione viri docti placebant. Nihil iste locus ad Hermesianactem, praesertim quum Philetas, si quid video, *μὴ πολλὰ μογήσας* scripserit.

37. Cod. Ven. *πολλιῷ*, Pal. *πολίῳ*, edd. vett. *πολιῷ*. Tum

κνημωθεὶς κώμους σίχε συνεξαμύη
ἤχθεε δ' Ἑρμόβιον τὸν ἀεὶ βαρύν, οὐδὲ Φερέκλην
ἐχθρὸν μισήσας τοιάδ' ἔπεμψεν ἔπη.
Λυδῆς δ' Ἀντίμαχος Λυκηΐδος ἐκ μὲν ἔρωτος
πληγείς, Πακτωλοῦ ῥεῦμ' ἐπέβη ποταμοῦ·

Venetus *πολλάκι λώτῳ*, vel *λωτῷ*, Pal. *πολλάκι μώτω*, edd. *πολλὰ κιμώτῳ*. In sequente versu autem omnes *κνημωθείς*, et post Venetus et Laurentianus *σίχε συνεξαμύη*, Palatinus cum edd. vett. *σίχε συνδραμίη*. Quum Mimnermus tibicen ipse tibicinam amaverit Nanno, *λωτῷ* recte scriptum videtur. *Πολιῷ*, nisi forte *σκολίῳ* scripsit, exquisitius dictum de senili tibia, ut *πολιῷ γυῖα δεδεὶς καμάτῳ* Phaniae, quod Ruhnkenius attulit, in Anthol. Pal. vol. I. p. 283. ep. 294. Vide quae dixi ad Eurip. Med. 876. Denique in *στεῖχε* Ruhnkenius, in *συνεξανύειν* incidit Ilgenius. Elegans erit et sententia et dictio, si scripserimus: *πολιῷ δ' ἐπὶ πολλάκι λωτῷ κνημωθεὶς κώμους στεῖχε συνεξανύειν.*[e]) *Κνημωθεὶς* est *φορβειᾷ* vinctus: vide schol. Aristoph. ad Eq. 1147. *Συνεξανύειν* autem, quod tibicinam ipse tibia canens sequebatur.

39. Cod. Ven. *ἠδ'* habet ante *ἤχθεε*, Laurentianus *ἦ*. Casaubonus, quum *ἠδὲ Φέρεκλον* scribi voluit, *ἤχθεε* videtur ab *ἀχθέω* derivasse. At id aeque inusitatum ut *ἐχθέω*. Ruhnkenius aliique, probantes illud Casauboni *ἠδέ*, ne attenderunt quidem ad insolentem verbi formam. In pentametro Pal. cum edd. *τοιάδ'*, Laur. *τοῖανδ'*, Ven. *τοίαν* vel *τ' οιαν*. Si, ut par est, non pueriliter in vocabulis sensu carentibus ludere, sed id quaerere volumus, quod dicere poeta vel potuerit vel debuerit, apertum esse arbitror, hanc in verbis illis sententiam requiri, amore constrictum odium abiecisse Mimnermum inimicorum, cum quibus antea graves iras exercuisset. Similiter Hermesianax in fine fragmenti Aristippum ab solitis disputationibus refugisse dicit. Quare sic scribendum videtur: *δήχθη δ', Ἑρμόβιον τὸν ἀεὶ βαρὺν ἠδὲ Φερεκλῆν ἐχθρὸν μισήσας οἷ' ἀνέπεμψεν ἔπη.* Poenituit eum, inquit, carminum, qualia effuderat, quum semper sibi gravem Hermobium, inimicumque Phereclem odio persequeretur.

41. Ven. et Laur. *Λυσηΐδος*. Pal. et edd. vett. *χρυσηΐδος*, Non improbabilis videtur Ruhnkenii coniectura, insolentius nomen gentile restituendum putantis, *Λύδης Λυδηΐδος*, ob similem Asclepiadae locum, *Λύδη καὶ γένος εἰμὶ καὶ οὔνομα.*

---

e) Sic iam ad Orph. Argon. 1293. correxi. Postea etiam Blomfieldius *κνημωθείς*. Iacobsius apud Weberum, *κηλωθείς*, *κώμους ἕκλυσιν εἶχ'* (vel *εὖρ'*) *ἀνίης*.

Λαρδάνη δὲ θανοῦσαν ὑπὸ ξηρὴν θέτο γαῖαν
καλλιωναιζαον δ' ἦλθεν ἀποπρολιπὼν
ἄκρην ἐς Κολοφῶνα· γόων δ' ἐνεπλήσατο βίβλους,
ἱράς, ἐκ παντὸς παυσάμενος καμάτου.
Λέσβιος Ἀλκαῖος δὲ πόσους ἀνεδέξατο κώμους,
Σαπφοῦς φορμίζων ἱμερόεντα πόθον,

---

43. Veri simillimum puto esse, quod Lennepius coniecit, *Σαρδιανὴν* legendum esse pro eo quod Ven. et Laur. habent *δαρδάνη*, in edd. vett. *δαρδάνην*, in Pal. *περδάνη* scriptum. Si ita est, nescio synizesin poeta, an insuetam correptionem praetulerit. f)

44. Ven. *καλλιωναΐζαον*. Laur. *καλλιωναιζαον*, deinde ambo *διῆλθεν*. Pal. edd. vett. *καλλίον' ἵζαον δῆθεν*. Ilgenii coniecturae, *κλαίων, αἰάζων δ' ἦλθεν*, et novissimorum editorum *αἴλινον αἰάζων δ' ἦλθεν*, obstat non eleganter adiectum alterum participium *ἀποπρολιπών*, quod quum aliquem accusativum requirere videatur, praestaret quod Heinrichio in mentem venit *καλλίναον ποταμόν*, nisi longius ab litterarum vestigiis recederet. Permirum vero, quod partem corruptae scripturae tueri videtur Hesychius, apud quem hae nimium quantum diversae eiusdem vocis interpretationes prostant: *αἰζαόν, τὴν μέσην ὥραν*, et *αἰζάων, ὀρῶν ὑψηλῶν*. Poterunt haec tamen in concordiam adduci, quum, si *αἰζάων* recte interpretatus est grammaticus, veri simile sit, quae ad *αἰζαὸν* adscripsit, ab librariis corrupta esse ex *τὴν μετέωρον*. Fuerit ergo, si etiam accentui aliquid apud Hesychium tribuendum est, adiectivum *αἰζαός*, excelsum significans, mutatoque accentu substantivum *αἴζαον*, vertex montis, similiter ut ex *αἶπυς* dictum est oppidum Messeniae *Αἶπυ*. Haec quamvis incerta, tamen monent ne temere expellamus illud *αἴζαον* ex Hermesianactis versu. Certe suspicari licet, sic ab eo scriptum esse: *Τμώλιον αἴζαον δ' ἦλθεν ἀποπρολιπών*. Egregie cum his concinunt Strabonis verba lib. XIII. p. 928. B. (625. Casaub.) *ὑπέρκειται δὲ τῶν Σαρδέων ὁ Τμῶλος, εὐδαίμον ὄρος, ἐν τῇ ἀκρωρείᾳ σκοπὴν ἔχων καὶ ἐξέδραν λευκοῦ λίθου, Περσῶν ἔργον, ἀφ' οὗ κατοπτεύεται τὰ κύκλῳ πεδία.*

45. Scripsi *ἄκρην*. Ven. Laur. *ἄκρον*. Pal. cum edd. *ἄκραν*.

47. Recte Mitscherlichium ad Hom. h. Cer. p. 225. emendasse puto *ἀνεδείξατο*, *dedicavit*.

---

f) *Λαρδανίην δέ, θανοῦσαν ὅτ' ἐν ξήρῃ θέτο γαίῃ, κάλλιον ἀείδων ἦλθεν ἀποκρολιπὼν ἄκραν ἐς K.* Göttling. ap. Weberum, qui *Λαρδανίης* coniicit, et elegantius putat *ὅτι ξήρῃ θέτο γαίῃ*. cf. Osann. ad Apulei. de orthogr. p. 23. et Schellenberg. ad Antimach. p. 12.

γιγνώσκεις· ὁ δ' ἀοιδὸς ἀηδόνος ἡράσαθ' ὕμνων,
Τήϊον ἀλγύνων ἄνδρα πολυφραδίῃ.
καὶ γὰρ τὴν ὁ μελιχρὸς ἐφωμίλησ' Ἀνακρείων,
στελλομένην πολλαῖς ἄμμιγα Λεσβιάσιν.
φοίτα δ' ἄλλοτε μὲν λείπων Σάμον, ἄλλοτε δ' αὐτὴν
οἰνηρὴν δοῦριν κικλιμένην πατρίδα,
Λέσβον ἐς εὔοινον· τὸ δὲ μυρίον εἴγιδε Λεκτὸν

---

49. Invenustissime Ruhnkenius, distinctione posita, ὕμνων cum πολυφραδίῃ iungi voluit. Cod. Ven. ὑμνῶν.

51. Edd. Ἀνακρείων. MSS. Ἀνακρέων, quod praeferrem, si ἐφωμίλησεν plene scriptum invenirem. Valde enim insolenter penultima sub ictu versus producitur, et facillime id evitare potuerat poeta, si scripsisset, καὶ γὰρ τὴν ὁ μελιχρὸς Ἀνακρείων ἐφίλησεν.

52. Στελλομένην, ne quis στεργομένην coniiciat, exquisitiora amans poeta dicere videtur τὴν μεταπεμπομένην, ad quam multa miserit carmina Anacreon.

54. Edd. vett. et ut videtur etiam codices MSS. praeter Pal. in quo est δοῦχιν, habent δοῦριν, quod Casaubonus in δουρὶ mutavit. At neque hoc propter metrum ferri potest, nec, si quis δούρει scribat, sicut δόρει dicitur, facile inveniat, quo id exemplo defendi possit. Sed praestat tamen altero, quod nullo pacto admittendum.

55. Libri τὸ δὲ μυρίον. Casauboni inventum, τὸ δὲ δὴ ῥῖον nimis facilem a viris doctis assensum impetravit. Certissimum est, Hermesianactem dedisse, τὸ δ' ὁμούριον εἴγιδε Λεκτόν. g)

---

g) Schaeferus ad Plutarch. vol. V. p. 149. „Λεκτοῦ. Sic τονωτέον. V. Strabo XIII. 1. 2. T. II. p. 438. Cor. In Athenaeo p. 598. C. perperam dederunt Λέκτον, ubi μυρίον in Μύσιον nuper probabiliter mutavit Guil. Ferd. Wenschius in libello scholastico (Viteberg. 1829) p. 17. Nam quod Hermanno in mentem venit ὁμούριον tantum abest ut certum sit (ipsi est certissimum), ut ne umbram quidem habeat probabilitatis. Quippe repugnat rationi dicere contermina quae disterminat mare interiectum. Talia, si forte, dici possunt πλησιόχωρα, non possunt dici ὅμορα." Rationi ego quidem atram bilem parum amicam esse video. Ne dicam, cui vacuus cupiditate animus sit, non tam exili diligentia poetas interpretaturum esse, ut neget, quae πλησιόχωρα prosa oratione aut a poeta, qualis Io. Tzetzes fuit, dici credibile est, ὅμορα potuisse dici, malitque propterea Troadis promontorium Mysiae adscribi: quis nescit et ὅμορα et *contermina*, quam vocem Tacitus aliique sequioris aevi scriptores prosae orationis acceptam a poetis amarunt, saepe nihil aliud quam *vicina* significare? Sed ne ratione, cuius usum saepe vitio nobis vertit vir doctis-

πολλάκις Αἰολικοῦ κύματος ἀντιπέρας.
Ἀτθὶς δ' οἷα μέλισσα πολυπρήωνα κολώνην
λείπουσ' ἐν τραγικαῖς ἥδε χοροστασίαις
Βάκχον καὶ τὸν ἔρωτ' ἀγειραιθειαρειδος . .

---

57. Libri *αὖθις* et *πολυπρίωνα κυδώνην*. Lennepius *πολυπρήωνα Κολωνόν*. Ruhnkenius *Ἀτθὶς* et *κολώνην*.

59. Codd. Ven. et Laur. *ἀγειραιθειαρειδος*. Pal. et vett. edd. *ἀγεῖραιθ' ἀρειδός*. Vix credibile est, Lennepii suspicionem, latere in his nomen Theoridis, quam Sophocli iam seni amatam esse Athenaeus testatur p. 592. A. B. Ruhnkenio parum probabilem visam esse, ut adeo post hoc distichon aliud, quo nominatim appellaretur Theoris, omissum esse putaverit. Quum Sophocles propter suavitatem carminum apis vocitatus sit, patet *οἷα* non ad *Ἀτθὶς μέλισσα* referendum esse, ut sit *Atticae apis instar*; sed coniungi verba debere hoc modo, *οἷα ἥδε Βάκχον*. Itaque recte Schweighaeuserus in iis quae exciderunt verbum quale est *γιγνώσκεις* vel *οἶσθα* positum fuisse iudicavit, motus similibus locis v. 49. 73. 75. Veri simile est hos versus ad hunc fere modum scriptos fuisse:

Ἀτθὶς δ' οἷα μέλισσα, πολυπρήωνα Κολωνὸν
λείπουσ', ἐν τραγικαῖς ἥδε χοροστασίαις

---

simus, quam exemplis, quibus ipse plurimum tribuere solet, defendere malle, quod diximus, videamur: fatebitur, credo, inter *ὅμορα* aliquid interiectum esse posse, si haec consideraverit: Strabo XVI. p. 738. init. (vol. VI. p. 246. ed. Tzschuck) *ἡ δ' Ἀτουρία τοῖς περὶ Ἀρβηλα τόποις ὅμορός ἐστι, μεταξὺ ἔχουσα τὸν Λύκον ποταμόν.* Id Epitome dicit *πλησίον Ἀρβήλων*. Scholiastes Apoll. Rh. I. 419 *καὶ Νίκανδρος ἐν τρίτῃ Αἰτωλικῶν ἐκ τῆς ἐν Αἰτωλίᾳ Ὀρτυγίας φησὶ τὴν Δῆλον ὀνομασθῆναι γράφων τάδε· οἳ δ' ἐξ Ὀρτυγίης Τιτηνίδος ὁρμηθέντες, οἱ μὲν τὴν Ἔφεσον· οἳ δὲ* (Cod. Par. *ἄλλοι δὲ*) *τὴν πρότερον Δῆλον καλουμένην· ἄλλοι δὲ* (Cod. Par. *οἱ δὲ*) *τὴν ὁμοτέρμονα Σικελίας* (Cod. Par. *Σικελίην*) *νῆσον, ὅθεν Ὀρτυγίαι πᾶσαι βοῶνται.* Ex his fragmenta Nicandri haec eruas:

οἳ δ' ἐξ Ὀρτυγίης Τιτηνίδος ὁρμηθέντες,
οἱ μὲν ἴτην Ἔφεσον·

(sequebantur, ut videtur, duorum nomina virorum) et:

ἄλλοι δ' ὁμοτέρμονα νῆσον
Σικελίης, πᾶσαι τόθεν Ὀρτυγίαι βοόωνται.

Non hic certe de eo videtur tempore haec scripsisse, quo ponte vel aggere iuncta Syracusis est Ortygia. Quod de accentu, quo *Λεκτόν*, non *Λέκτον* scribendum sit, dicit Schaeferus, non Strabo erat afferendus, apud quem neque de accentu quidquam, neque constanter *Λεκτὸν* scriptum legitur, sed scholiastes Homeri ad Iliad. ξ. 284 ita probans *ὀξύτονον*, ut fuisse qui aliter scriberent appareat.

60 . . . . . *Ζεὺς ἔπορεν Σοφοκλεῖ.*
φημὶ δὲ κἀκεῖνον τὸν ἀεὶ πεφυλαγμένον ἄνδρα
καὶ πάντων μῖσος κτώμενον ἐκ συνοχῶν
πάσας ἀμφὶ γυναῖκας, ὑπὸ σκολιοῖο τυπέντα
τόξου, νυκτερινὰς οὐκ ἀποθέσθ' ὀδύνας.
65 *ἀλλὰ Μακηδονίης πάσας κατενίσσατο λαύρας*
Αἰγείων μέθεπεν δ' Ἀρχελέω ταμίην,
εἰσόκε . . δαίμων Εὐριπίδῃ εὕρετ' ὄλεθρον,

Βάκχον, καὶ τὸν ἔρωτ' ἀνέγειρε Θεωρίδος, . .
. . . . . Ζεὺς ἔπορεν Σοφοκλεῖ.

Lacuna quid continuerit, plane incertum: sed tamen, opinor, aut, cuiusmodi quid suspicatus est Ilgenius, *arte ab Iove accepta*, ut *τεχνοσόφῳ φρενί*, *τήν*, aut de senectute, ut *καὶ γεραιῷ γὰρ ἐρᾶν*, utrumvis, si in fine hexametri *οἶσθα* fuit.

62. Quod in libris est, *καὶ πάντων μῖσος κτώμενον ἐκ συνοχῶν*, ego quidem sic corrigendum puto: *καὶ σπανίων μῖσος κτώμενον ἐκ συνόδων*. Moschopulus in Vita Euripidis: *σκυθρωπὸς δὲ τὸ ἦθος ἦν καὶ ἀμειδὴς καὶ φεύγων τὰς συνουσίας· ὅθεν καὶ μισογύνης ἐδοξάσθη.*

66. Librorum scriptura, *Αἰγείων*, si accentu mutato *Αἰγειῶν* reponatur, iungaturque ea vox cum praecedentibus verbis, per se nihil habet, quod improbari possit, siquidem urbs Aegea Macedonici regni sedes fuit. Non inepte tamen critici, quoniam caeterorum amicas eruditorum hominum omnes nominatim poeta memorat, hic quoque mulieris nomen, quam Euripides amaverit, latere sunt suspicati. Sed id quale fuerit, quis certo dicat? In Vita Moschopuli haec tantum relata sunt: *ἕτεροι δὲ ἱστόρησαν, οὐχ ὑπὸ κυνῶν, ἀλλ' ὑπὸ γυναικῶν αὐτὸν διασπασθῆναι, πορευόμενον ἀωρὶ πρὸς Κράτερον τὸν ἐρώμενον Ἀρχελάου. καὶ γὰρ σχεῖν αὐτὸν καὶ περὶ τοὺς τοιούτους ἔρωτας. οἱ δέ, πρὸς τὴν γαμετὴν Νικοδίκου τοῦ Ἀρεθουσίου.* Eadem apud Suidam prostant, ubi hic Nicodicus Nicodemus vocatur.

67. MSS. *εἰσόκε δαίμων*. Edd. inter has voces *τοι* inserunt Quod servans Porsonus *Εὐριπίδῃ* vocativo causu scribi volebat. Idque omnino et elegantius est, quam si quis scribi vellet *εἰσόκε τις δαίμων Εὐριπίδῃ*, et, nisi fallor, etiam rectius propter verbum medium *εὕρετο*, quod praebent codd. Ven. et Laur. pro Pal. et editionum scriptura *εὗρεν*. Caeterum severioris grammaticae ratio *εἰσότε* potius, quam *εἰσόκε* requirit. Permultis tamen locis apud recentiores poetas *εἰσόκε* cum indicativis praeteritorum constructum invenitur, ut iure dubitari possit, librariisne imputari

ἀμφὶ βίου στυγνῶν ἀντιάσαντι κυνῶν.
ἄνδρα δέ, τὸν Κυθέρηθεν ἀνετρέψαντο τιθῆναι
Βάκχου καὶ λωτοῦ πιστότατον ταμίην
Μοῦσαι, παιδευθέντα Φιλόξενον, οἷα τιναχθεὶς
ὠργῇ ταύτης ἦλθε διὰ πτόλεως,
γιγνώσκεις, ἀΐουσα μέγαν πόθον, ὃν Γαλατείης
αὐτοῖς μηλείοις θήκαθ' ὑπὸ προγόνοις.
οἶσθα δὲ καὶ τὸν ἀοιδόν, ὃν Εὐρυπύλου πολιῆται
Κῶοι χάλκειον θῆκαν ὑπὸ πλατάνῳ,
Βιττίδα μολπάζοντα θοήν, περὶ πάντα Φιλητᾶν

---

ea scriptura debeat, an male Homeri usum interpretatis Alexandrinis grammaticis.

68. Languet *ἀμφὶ βίου*, etiam si de vita luctatum cum canibus dici Euripidem credas. Quare *Ἀμφιβίου* scriptum fuisse puto. Moschopulus eum hominem Lysimachum vocat.

69. Non plane contemnendum, quod habet Laur. *ἄνδρα τε*. Eodem versu Athenaei edd. *ἀνετρέψαντο*. Ex codd. nihil enotatum. Ruhnkenius tacens dedit, quod iam Latinus interpres expresserat, *ἀνεθρέψαντο*. Interpretes *τὸν* pro *ὃν* dictum putant. Elegantius scriberetur, *ἄνδρα δὲ τὸν Κυθέρηθεν, ὃν ἐθρέψαντο*.

71. Non recte intellexerunt interpretes hoc distichon, quantum ex eorum adnotationibus colligi potest. *Παιδευθέντα* significat *castigatum:* respicit enim poeta poenam, qua affectus a Dionysio fuerat Philoxenus: unde ille *τιναχθείς*, vehementer commotus, *ὠργῇ*, magno cum eiulatu per urbem Colophonem transiit, quum se in patriam Cythera reciperet.

73. Libri MSS. *γιγνώσκει καὶ οὖσαν μέγαν*. Edd. vett. *καὶ οὐσαμέγαν* vel *καίουσα μέγαν*. Emendavit Ruhnkenius. Alloquitur poeta Leontium, amicam suam, cui hoc carmen scriptum est.

74. Libri *μηλίοις*. Correxit Heringa, male tamen interpretans. Tibicina illa fuit, amata Dionysio, ut ex Athenaeo p. 6. 7. compertum habemus. Eam Hermesianax dicere videtur primum oves pavisse, eoque iam tempore amore incendisse Philoxenum.

77. Libri *Βιττίδα*. Id quum Graecum nomen esse docuit Ruhnkenius, non refutavit Scaligerum, qui Ovidii duobus locis adductus *Βαττίδα* scribendum censuit. Non est enim credibile, nomen, quod ex ipsius Philetae carminibus notum esset, ab aliis aliter esse scriptum. Itaque nisi in Ovidii locis peccasse librarios ostendetur, corrigendus erit Hermesianactis versus.

ῥήματα καὶ πᾶσαν ῥυόμενον λαλιήν.
οὐδὲ μὲν οὐδ' ὁπόσοι σκληρὸν βίον ἐστήσαντο
ἀνθρώπων, σκολιὴν μαιόμενοι σοφίην,
οὓς αὐτὴ περὶ πικρὰ λόγοις ἐσφίγξατο μῆτις
καὶ δεινὴ μύθων κῆδος ἔχουσ' ἀρετή,
οὐδ' οἳ δεινὸν ἔρωτος ἀπεστρέψαντο κυδοιμὸν
φαινόμενον, δεινὸν δ' ἦλθον ὑφ' ἡνίοχον.
οἴη μὲν Σάμιον μανίη κατέδησε Θεανοῦς
Πυθαγόρην, ἑλίκων κομψὰ γεωμετρίης
εὑρόμενον, καὶ κύκλον, ὅσον περιβάλλεται αἰθήρ,
βαιῇ ἐνὶ σφαίρῃ πάντ' ἀποτασσόμενον.

---

78. Scribendum videtur *τρυόμενον*.

80. Perelegans est et nescio an vera Heinrichii coniectura *σκοτίην*.

81. *Αὐτὴ* vix erit qui pro sano habeat. Scribendum puto *αὐή*, *quos anhelans cura disputando de rebus amoris macilentos reddidit*. *Πικρὰ* vel amori opposita, vel acuta intellige, ut Platoni *πικρὸς ἔρως* dictus, si sic scripsit, apud Athen. p. 589. C.

82. Pal. et edd. *κῦδος*. Cod. Ven. *κῆδος*, quod ego quidem non dixerim male scriptum, ut Ruhnkenio visum propter illud Theognidis v. 900. *κυδίστην ἀρετὴν τοῖς συνιεῖσιν ἔχει*. Hic quoque verba ille comparavit, de mente consilioque scriptorum securus. Certe non minus apte, nisi aptius etiam curam in dicendo suam ponens, quam gloriam dicendi nacta exsangues reddere sophistas dicitur gravis illa virtus.

83. Codd. Ven. Laur. *οὐδ' οἶδεν ὅν*. Pal. *οὐδ' οἱ δὲ τόν*. Ald. *οὐδ' οἳ δεινόν*. Id usui epicae dictionis congruum, ut apud Homerum, *οὐδὲ μὲν οὐδ' οἳ ἄναρχοι ἔσαν*. Itaque male Westonus, *οὐδ' οἶδ' αἰνόν*, quod probabat Porsonus. Deinde Ven. et Laur. *ἀπεστρέψαντο*. Sed quum pateat, non dici illos non aversatos esse bellum Amoris, sed propulsare nequivisse, probabilior est Pal. et edd. vett. scriptura, *ἀπετρέψαντο*.

84. Scripsisse poetam puto, *φθανόμενοι δεινὸν δ' ἦλθον ὑφ' ἡνίοχον*. Id aptissimum praegressis.

88. Vulgo *βαιῇ τ' ἐν σφαίρῃ*. Quod servans Hemsterhusius eleganter coniecit *πάντ' ἀπομασσόμενον*. Servari posse videtur *ἀποτασσόμενον*, quod proprie est *distribuentem*. Sic eo verbo usus Diophantus in Brunckii Anal. T. II. p. 307. Initio versus codices *βίης ἐν*. Recte Dindorfius *βαιῇ ἐνὶ σφαίρῃ*.

οἵῳ δ' ἐχλίηνεν, ὃν ἔξοχον ἔχρη Ἀπόλλων
ἀνθρώπων εἶναι Σωκράτη ἐν σοφίῃ,
Κύπρις μηνίουσα πυρὸς μένει· ἐκ δὲ βαθείης
ψυχῆς κουφοτέρας ἐξεπόνησ' ἀνίας,
οἰκί' ἐς Ἀσπασίης πωλεύμενος· οὐδέ τι τέκμαρ
εὗρε, λόγων πολλὰς εὑρόμενος διόδους.
ἄνδρα Κυρηναῖον δ' εἴσω πόθος ἔσπασεν Ἰσθμοῦ
δεινός, ὅτ' ἀπιδανῆς Λαΐδος ἠράσατο
ὀξὺς Ἀρίστιππος, πάσας δ' ἠνήνατο λέσχας
φεύγων οὐδαμένον ἐξεφόρησε βίῳ.

---

89. Heringae debetur ἐχλίηνεν ὃν pro ἐχλειημένον, Porsono autem reliquorum emendatio, quae in codd. Ven. Laur. sic scripta sunt, ἐχρῆν πολλῶν δ' ἀνθρώπων εἶναι, in Pal. et edd. vett. ἐχρῆν * εἶναι πολλῶν δ' ἀνθρώπων.[h])

92. Codd. Ven. Laur. κουφοτέρας. Pal. edd. vett. κουροτέρας. Ἐξεπόνησε non mutaverim propter insolentius addita ἐκ βαθείης ψυχῆς. Nam quum ex profunda mente leviores curas elaborasse Socrates dicitur, in his eum curis mentem suam, alias in rebus gravissimis occupatam, exercuisse significat poeta.

94. Recte libri λόγῳ. Hoc enim dicit poeta, non potuisse facto finem invenire Socratem, quum tamen verbis ubique se expedire didicisset. Non male legeretur, οὐδέ τι τέκμαρ εὗρ' ὁ λόγῳ πολλὰς εὑρόμενος διόδους.

95. Libri MSS. omittunt δ'. Ex quo apparet, veram scripturam esse, quam etiam alia commendant, ἄνδρα δὲ Κυρηναῖον ἔσω πόθος ἔσπασεν Ἰσθμοῦ δεινός. Δεινὸς correctio est Ruhnkenii pro δεινόν. Sed idem quod ἀπιδανῆς mutari voluit in εὐπιθάνης, recte monuit Schweighaeuserus, contrarium dicendum fuisse. Scribendum ἀπιθάνης, non quod Aristippus eam magna pecunia conduxerit, sed quod florida aetate difficilis aditu fuit, de qua re scriptum apud Athenaeum XIII. p. 570. B. C. 585. D.

98. Hic quoque Ruhnkenius, quum ἠνήνατο φεύγων coniungebat, Oppiani usus verbis Cyneg. III. 375. εἰ δὲ κ' ἀνηναμένῃ φεύγῃ φιλοτήσιον εὐνήν, non cogitavit, frigidius apud Hermesianactem additum fore φεύγων. Quae sequuntur, corruptissime in libris scripta, οὐδαμένον ἐξεφόρησε βίῳ, in his vix dubitari potest, quin partem veri viderit Porsonus, quum coniecit ἐξ

---

h) Ἔχρη etiam I. C. Orellius apud Weberum, ante edita Porsoni Miscellanea.

Ἐφύρης ἐβίω. Primam ille vocem non attigit. Quam enim Riglerus et Axtius ei coniecturam tribuerunt, Ilgenii est. Quid res exigat, non obscurum videtur. Aeginam enim cum Laide petere consueverat Aristippus, teste Athenaeo p. 588. E. *Ἀρίστιππος δὲ κατ' ἔτος συνδιημέρευεν αὐτῇ ἐν Αἰγίνῃ τοῖς Ποσειδωνίοις.* Nec solo id Neptuniorum tempore factum esse, idem Athenaeus indicat p. 544. D. *διέτριβε δ' ὁ Ἀρίστιππος τὰ πολλὰ ἐν Αἰγίνῃ τρυφῶν.* Hinc litterarum vestigia sequenti facilis se offert coniectura: *φεύγων ἐυλιμένων ἐξ Ἐφύρης ὁρίων.*

Descriptis iam a typographo hisce adnotationibus venit in manus nostras censura novissimae editionis in Diariis litterariis Halensibus fol. 204. in qua quaedam similia nostris invenimus: de caeteris cur dissentiamus, quoniam exponere serum est, coniiciendum lectoribus relinquimus.

DE
AESCHYLI
PROMETHEO SOLVTO
DISSERTATIO. *)

De Aeschyli Prometheis contentione maiore quam fructu disputatum esse, inter omnes constat. Nam quum et Igniferum Prometheum et Vinctum et Solutum Aeschylus scripserit, visus est Hemsterhusio ad Pollucem IX. 156. omnem historiam Promethei tribus tragoediis esse complexus. Aliter statuerat G. Canterus Nov. Lectt. VII. 21. qui Prometheum *πυρφόρον* et *πυρκαέα*, quae fuit fabula satyrica, unum eumdemque esse putabat. Nuper Hemsterhusii sententia defensa est, ita quidem, ut tres illae tragoediae una fuisse trilogia coniunctae perhiberentur. Quod verumne an falsum sit, dubitari vehementer, ad liquidum perduci vix potest. Interea operae pretium est, quo in statu res sit cognoscere, ut in arripiendo cupiditas, in reiiciendo temeritas arceatur. 3

In indice fabularum Aeschyli tres Promethei numerantur, *δεσμώτης, πυρφόρος, λυόμενος*. Ex argumento Persarum compertum habemus, Phineum, Persas, Glaucum Potniensem, Prometheum una tetralogia comprehen-

*) Edita est a. 1828.

sos fuisse. Hic igitur Prometheus, cuius cognomen nullum apposuit scriptor argumenti, satyricus fuit. *Πυρκαέα* vocatum esse, ex Polluce IX. 156. X. 64. constat. Ex *πυρφόρῳ* quae perpauca afferuntur, incertum relinquunt, tragoediane an fabula satyrica fuerit. Satyricam qui fuisse existimant, similitudine nominum moti, ab aliis *πυρφόρον*, ab aliis *πυρκαέα* appellatam credunt, eoque factum putant, ut *πυρκαεὺς* nullus sit in indicem fabularum relatus. Contrariam sententiam qui defendunt, indici illi non multum tribuendum esse monent, nominum autem significatus differre volunt, ut *πυρφόρος* sit, qui *fraude mala gentibus intulerit ignem aetheria domo subductum*, *πυρκαεὺς* autem qui accenderit. Et factum id esse in *πυρκαεῖ* ex Plutarcho in libro de utilitate ex hostibus capienda
4 p. 86. F. cognitum est. Patet his argumentis non multum effici. Nam indici isti ut non temere fidendum, ita ne deneganda quidem fides temere est: qui autem accendit ignem primus, idem infert in vitam et usum hominum.

Sed addunt rationes alias: Vinctum Prometheum et Solutum una in trilogia coniunctos fuisse testari scholiastam ad Vincti v. 510. unde veri simile esse, totam trilogiam in rebus Promethei esse versatam, praesertim quum consueverit Aeschylus argumenta per tres tragoedias continuare. Veri simile esse, nemo infitiabitur: quamquam ipsi, qui illam sententiam defendunt, frustra conati sunt ostendere, quomodo raptus a Prometheo ignis aptum tragoediae argumentum praebuerit. Sed fuerit illa tragoedia: satis enim fecundum erat Aeschyli ingenium, ut etiam ex iniqua materia tragoediam sciret componere, praesertim tam simplicem, quam sunt illae antiquiores. At illud certe non debebant afferre, consuevisse Aeschylum trilogiis suis aliquam rerum continuitatem explicare. Tres tragoedias, quibus succederet fabula satyrica, coniunctim productas in scenam esse, neminem latet, etsi nec quis id primus instituerit, nec quae caussa eius instituti fuerit scimus. Probabiliter Dahlmannus in commentatione de primordiis et successibus veteris comoediae p. 22. morem hunc e brevitate antiquissimarum tragoediarum repetendum censet.

Illi vero arcanam rationem domi habent, qui etiam Iliadem, ipso mirante quid nescius scripserit Homero, trilogiam esse, ad eiusque exemplum suas invenisse Aeschylum trilogias sciunt. At eas finxerunt ipsi. Nam duas tantum eius generis trilogias Aeschyli certo cognitas habemus, Oresteam, superstitem adhuc, et Lycurgiam. Fuerunt fortassis etiam aliae: sed omnes ad eum modum compositas fuisse nec traditum a quoquam veterum accepimus, nec per se simile veri est. Non tenuerunt certe alii poetae istam rationem, atque ipse adeo Aeschylus uno complexu iunxit Phineum, Persas, Glaucum Potniensem, addito Prometheo satyrico. Neque enim opus esse arbitror, quae de horum argumentorum cohaerentia prolata sunt refutare. Omnino autem perpaucae trilogiae, quae in unius argumenti perpetuitate constiterint, memorantur: de qua re disseruit Süvernius in egregia commentatione, quam scripsit de dramatis indole historica, p. 38. 43. 45. Itaque ista ratione nihil assequuti videntur, nisi ut potuisse tres Prometheos comprehendi una trilogia concedatur.

Sed habent aliud. Philosophum fuisse aiunt Aeschylum, qui quod profundam illam sapientiam, quae antiquis de Prometheo fabulis contineretur, explicare voluerit, non in parte eius aliqua potuerit consistere, sed comprehendere totam debuerit. Hoc quum dicunt, idem mihi videntur facere, quod olim grammatici quidam in Homero fecere, quum Iovem aetherem, Iunonem aërem inferiorem, atque alios deos alia esse contenderunt. Non nego quidem ego, quiqui illam fabulam vel invenerunt vel amplius exornarunt, non id temere aut stulte fecisse: immo et video et fateor sollertissime esse et sapientissime excogitatam: de qua re haud paullo consideratius quam alii scripsit Baurus in Annalibus litt. Heidelbergensibus a. 1826. fasc. VI. p. 691 seqq. sed aliud longe est fabulae rationem exponere, aliud explicare consilium poetae, praesertim scenici, qui non docere, sed placere populo, aut, si docere, non docere per aenigmata abstrusae cuiusdam sapientiae, sed per viva constantiae, fortitudinis, animi magnitudinis exempla velit. Ab eo trilogiam factam credere,

ut istiusmodi doctrinae philosophicae satisfaceret, alienissimum a sana ratione est, neque utilius, quam quaerere, (et quaesiverunt quidam) quomodo in Iovis persona crudelissimi tyranni exemplum proponere potuerit. Neque habuerunt ista apud Graecos offensionem, nec potuerunt habere, ut in religionibus, quae totae ex huiuscemodi fabulis essent compositae. Immo illud admirari oportet, quod, quum de singulis diis indignissima quaeque crederent, tamen, ubi sine certo nomine deum dicebant, immunem ab omni vitio, summaque sanctitate praeditum intelligebant. Illam igitur Iovis saevitiam ut excusent defensores trilogiae, et iure punitum volunt Prometheum, eaque caussa miro modo interpretantur illud v. **266.**

ἑκών, ἑκὼν ἥμαρτον, οὐκ ἀρνήσομαι,

et in sequente fabula, reconciliato Iove, restitutam arbitrantur divinam iustitiam: quo invento vereor ne non optime dignitati consuluerint supremi deorum, quem decuerat potius non saevire omnino, quam placari ea lege, ut alius Promethei vice lueret.

6 Sed progredior ad aliud. Nam quum libri quidam personis Vincti Promethei Tellurem et Herculem inserant, ea nomina mansisse putant ex eo, quod in aliquo vetusto codice, qui Soluti quoque Promethei partem continuerit, simul omnes utriusque fabulae personae fuerint enumeratae. Quam coniecturam ut confirment, incredibili levitate Agamemnonis personarum indicem afferunt, in quo ex Choephoris accesserint Orestes, Electra, nutrix. Nam eas personas non codex ullus, sed Adr. Turnebus adiecit, quod, uti tum quidem Agamemno et Choephori in unam fabulam coaluerant, deesse eas existimabat. In Prometheo Vincto codices pauci Telluris, Robortelli editio Herculis, utrumque nomen editio Aldina addunt. Fluxit id, ut mihi quidem videtur, ex aliqua argumenti enarratione, in qua praeter personas, quae in scenam prodirent, etiam illae fuerunt nominatae, quas poeta non introduxisset quidem agentes, sed commemorasset tamen ut cum fatis Promethei coniunctas. Illi, qui de communi personarum in-

dice cogitarunt, cur non dixerunt, comprehendisse eum omnes totius trilogiae personas, praemissumque fuisse primae tragoediae: inde, quum separatim describeretur Prometheus Vinctus, negligentius repetitum esse, non deletis omnibus, quae omittenda fuissent, nominibus? Sed patere arbitror, hoc quoque quam exigui ac potius nullius sit ponderis. Alia sciens praetereo, ut de quibus alibi dixerim. Neque opus est, quae utcumque defensa per se cadere necesse est, iterum refutare.

Tantum abest igitur, ut demonstratum sit, tres Prometheos una fuisse trilogia coniunctos, ut id vel maxime dubium manere videatur. Et quis non miretur, quod nullus scriptor Prometheidem Aeschyli memoravit? Etenim si Agamemno, Choephori, Eumenides nomen habuerunt Oresteae; Edoni autem, Bassarides, Neanisci, cum Lycurgo, Lycurgiae: multo magis consentaneum erat, tres fabulas, quae omnes essent Promethei nomine inscriptae, Prometheidem esse appellatam. Sed casu factum dicent, quod illud nomen non invenitur. Fortasse: modo fuerit illa Prometheis. At fateantur tamen necesse est, si nulla fuit, non mirandum esse, quod ne nomen quidem est usurpatum.

Accedit aliud. Quod Hyginus scripsit in Poet. Astron. II. 15. p. 456. *Prometheum autem in monte Scythiae nomine Caucaso ferrea catena vinxit: quem alligatum ad triginta millia annorum Aeschylus tragoediarum scriptor ait*, id ad Prometheum Igniferum pertinere scholiastes ad Vincti v. 94. monstrat: *ἐν γὰρ τῷ πυρφόρῳ τρεῖς μυριάδας φησὶ δεδέσθαι αὐτόν.* Haec, si Ignifer pars trilogiae fuit, aperte repugnant iis, quae in Vincto dicit Prometheus, tertia decima hominum generatione se solutum e vinculis iri, qui sunt anni circiter quadringenti. Scio duobus modis removeri hanc repugnantiam posse: uno, si finitum numerum pro infinito nominatum statuamus: veluti *τρισμυριετῆ χρόνον;* altero, si destinata quidem poenae putemus ab Iove triginta millia annorum, sed remissam maximam eius spatii partem esse, quum Chiro Centaurus in Orcum abire decresset. Sed tamen prius illud non est credibile: vidissent enim, qui legebant fa-

bulam illam, non proprie intelligenda esse verba, sicuti viderunt, quem in Vincto dixit *μυριετῆ χρόνον*, infinite esse dictum. Alterum autem quantum quaevis hariolatio valet. Caeterum Caucasi mentionem non urgebo, quia ex Hygini verbis non certo colligi potest, nominatum eum montem in Ignifero Prometheo esse. Nec si nominasset Aeschylus, repugnaret sibi, ut qui in Soluto tamen ibi affixum fecerit Prometheum.

Sed ne Solutum quidem Prometheum ut una cum Vincto in scenam productum credamus, eas habemus rationes, quae dubitatione vacuae sint. Nam argumenti quidem continuitas quam speciosa, tam eadem fallax est: quod quum satis demonstraverit Süvernius in illa quam dixi dissertatione p. 45 seq. non opus est id a nobis repeti. At, inquient, in ipsa superstite fabula sunt, quae sequuturam esse solutionem Promethei ostendant. Profecto: et primum quidem v. 176.

πρὶν ἂν ἐξ ἀγρίων
δεσμῶν χαλάσῃ, ποινάς τε τίνειν
τῆσδ' αἰκίας ἐθελήσῃ.

Dein eo loco, ad quem scholiastae adnotationem protulimus, v. 510.

οὐ ταῦτα ταύτῃ μοῖρά πω τελεσφόρος
κρᾶναι πέπρωται, μυρίαις δὲ πημοναῖς
δύαις τε καμφθείς, ὧδε δεσμὰ φυγγάνω.

8 Et mox, postquam Iovi quoque fatum metuendum esse significaverat, v. 521.

ἄλλου λόγου μέμνησθε, τόνδε δ' οὐδαμῶς
καιρὸς γεγωνεῖν, ἀλλὰ συγκαλυπτέος
ὅσον μάλιστα· τόνδε γὰρ σώζων ἐγὼ
δεσμοὺς ἀεικεῖς καὶ δύας ἐκφυγγάνω.

Et postquam apertius dixit illa de filio, quem Iuppiter suam ipse in perniciem geniturus esset, de sua liberatione loquens, v. 874.

τοιόνδε χρησμὸν ἡ παλαιγενὴς

μήτηρ ἐμοὶ διῆλθε Τιτανὶς θεῶν.
ὅπως δὲ χὤπῃ, ταῦτα δεῖ μακροῦ λόγου
εἰπεῖν.

Et iterum v. 912.

τοιῶνδε μόχθων ἐκτροπὴν οὐδεὶς θεῶν
δύναιτ' ἂν αὐτῷ πλὴν ἐμοῦ δεῖξαι σαφῶς.
ἐγὼ τάδ' οἶδα, χὠ τρόπῳ.

Referunt eo etiam Mercurii verba, v. 949.

μηδέ μοι διπλᾶς
ὁδοὺς, Προμηθεῦ, προσβάλῃς,

rediturum in proxima fabula Mercurium indicari rati. Denique quae idem dicit v. 1025.

τοιοῦδε μόχθου τέρμα μή τι προσδόκα,
πρὶν ἂν θεῶν τις διάδοχος τῶν σῶν πόνων
φανῇ, θελήσῃ τ' εἰς ἀναύγητον μολεῖν
ἄδην κνεφαίᾳ τ' ἀμφὶ ταρτάρου βάθη·

quibus Chironem respicit, qui ultro exuta immortali natura pro Prometheo ad Orcum abierit. Ac negari nequit, esse haec omnia ita comparata, ut, quoniam cum liberatione Promethei coniuncta sunt, non possint non ad Solutum Prometheum spectare, si is copulatus cum Vincto fuit. Sed mutemus rem, aut invertamus: sumamus nullum scriptum esse Solutum Prometheum, aut tempore priorem fuisse Vincto: num qui minus eadem illa dicta esse credemus? Nam liberationis quidem necessario facienda erat mentio, ne Io, cuius ex posteris sospitator Promethei exstiturus esset, inutilis persona videretur. Connubium Iovis autem multo minus praeteriri poterat, quia curandum erat, ut finem iustum haberet fabula, nec spectatores, quem ad multa saecula saxis affigi vidissent, deserere ibi pendentem, suisque immiserabilem relinquere malis cogerentur: quod quum esset ita instituendum, ut nec poenae atrocitas, quae vel maxime in diuturnitate vinculorum posita esset, minueretur, nec repugnaretur com-

muni famae, quae longissimum tempus in rupibus pependisse Prometheum tradidisset: utrumque scite devitavit poeta eo, quod de exitioso Iovi connubio vaticinari Prometheum, et quum de eo apertius dicere recusaret, ipsa cum rupe in tartarum detrudi fecit, rediturum olim in lucem iisdem adhuc vinculis constrictum. Ita iustum finem accepit fabula, neque est quod iam amplius requirant spectatores: qui etsi audiverunt gravioribus olim poenis affectum iri Prometheum, tamen eas nunc quidem non exspectant, quia dictum erat v. 999.

μακρὸν δὲ μῆκος ἐκτελευτήσας χρόνου,
ἄψορρον ἥξεις ἐς φάος.

Itaque non debebam dicere in dissertatione de compositione tetralogiarum, non ita finiri fabulam, ut spectatores non quid porro futurum esset requirerent. Non magis Mercurii verba alteram fabulam successuram esse demonstrant. Nam ille quod rogat, ne sibi iterum veniendi necessitatem Prometheus afferat, consuetudini tribuendum videtur familiaris sermonis. Accedit quod in hoc dicto aliquid comminationis inest, quasi altera legatione atrociora etiam, quam nunc, denunciaturo. At in Soluto Prometheo si rediit, paciscendi potius caussa missum esse credibile est. Illa autem, quod non ante liberatum iri Prometheum dicit, quam quum alius pro eo deus in Orco vivere voluerit, quodque satis ei dandum pro tantis cruciatibus indicatur, ex eo genere sunt, ex quo plurima apud tragicos inveniuntur. Amant enim futura secundum communem famam, potissimeque circa finem fabularum, praedicere. Et de vicario quidem aptissime sic est dictum, ut Prometheo, non speranti quemquam pro se moriturum, aeternae poenae portendi videantur.

Quod si ne his quidem efficitur, ut Solutum Prometheum cum Vincto copulatum credi oporteat, solum relinquitur scholiastae testimonium, quod sane eo minus est contemnendum, quia hunc in tota hac caussa unicum te stem habemus. Is ad v. 510. ita scribit: *ἐν γὰρ τῷ ἑξῆς δράματι λύεται· ὅπερ ἐμφαίνει Αἰσχύλος.* Inserta for-

tasse haec verba sunt ab alio, quam qui reliquam adnotationem ad istum locum scripsit: desunt enim in bono atque antiquo codice: aliis in libris postrema tantum, ὅπερ ἐμφαίνει Αἰσχύλος, sunt omissa. Non intercedam, quin haec veteris et docti grammatici adnotatio esse credatur, nec dubitabo, dicatne τὸ ἑξῆς δρᾶμα quod in trilogia eadem, an quod in codice suo proximum sit: verum illud tamen nescio an haud satis certum sit, aliorum eum testium fide hoc scripsisse, et non sua quadam coniectura ductum, quoniam poetam, ut ait, id indicare opinaretur. Quare etsi minime reiiciendam eius auctoritatem arbitror, tamen ei non tantum tribuerim, ut dubitationi non putem locum relictum esse, quum praesertim scholiastis illis adeo ignotum fuisse Solutum Prometheum videam, ut ne ad versum quidem 1026. ubi maxime exspectes, de Chirone aliquid se inaudivisse prodant.

Scholiastam si missum facimus, sunt quaedam, quae suadere videantur, ut Solutum Prometheum non coniunctum cum Vincto fuisse coniiciamus. Eorum unum est, idque, ut mihi quidem videtur, non leve putandum, quo me iam in dissertatione illa, quae est de compositione tetralogiarum, non mediocriter commotum esse significavi. Nam quum veri simillimum sit, in trilogiis condendis id spectavisse poetas, ut ipsa inventione inter se dissimiles essent fabulae, duo illi Promethei, quantum colligere possumus, tanta fuerunt similitudine, ut vix appareat, quomodo consociari sine quadam offensione potuerint. Etenim ut Vincti maxima propemodum pars descriptiones locorum regionumque, quas Io vel peragraverit, vel posthac sit pervagatura, continet, sic in Soluto prolixe de Herculis expeditionibus expositum esse patet, in utroque autem etiam de inventis, quibus Prometheus vitam hominum adiuvisset, copiose fuit explicatum. Quae narrationes ut vel maxime animos audientium retineant, rerumque admirabilium novitate oblectent, tamen per duas fabulas continuatae mirum ni aliquid satietatis afferre debuerint.

Deinde etsi minime necesse est temporis continuitatem in tragoediis rerum ordine cohaerentibus spectari, ta-

men nescio an illud, ne dicam parum apte, certe valde
11 audacter fieri putandum sit, si spectatores, quem modo ad immensum aevi spatium rupibus affigi cognoverunt, eum paullo post liberari longo illo cruciatu videant. Multum enim interest, utrum quae incerto ignotoque tempore disiuncta fuerunt, an quae multis seculis disterminata esse et sciamus et iterum iterumque audiverimus, coniuncta in scenam proferantur. Et in Vincto quidem Prometheo spatium illud, neque id uno loco, designatum est luculentissime. Intelligebat enim poeta, temporis diuturnitatem, in qua praecipue cerneretur Promethei poenae crudelitas, nullam vim ad animos movendos habituram, nisi quanta esset notis quibusdam et quasi in sensum cadentibus spatiis definiretur. Itaque quum Prometheus primo liberatorem suum tertia decima generatione ex Ionis prole exstiturum dixisset, post alio loco distinctius ab Epapho, quem paritura sit Io, quintam generationem Argos reversuram vaticinatur, ex eaque nasciturum regium apud Argivos genus, quo de semine oriturum illum audacem iaculatorem, a quo hisce ex vinculis se solutum iri in fatis sit. Ita termino poenae post multas hominum generationes veluti per nebulam ostenso tam alte imprimitur animis cruciatuum illorum longissima diuturnitas, ut pene aegre laturi videamur, si subito tot seculis quasi saltu quodam superatis ad ipsum illorum malorum finem adducamur.

Est denique etiam de loco quaedam dubitatio. In secunda enim fabula ad Caucasum alligatum fingi Prometheum certis testimoniis constat: in superstite autem non solum nusquam indicat poeta in Caucaso locum illum esse, sed diserte etiam procul esse Caucaso in Scythia Europaea quum in principio fabulae et v. **301**. significat, tum apertius etiam prodit v. **422**. ubi Caucasum in circumiacentibus, sed aliquantum tamen remotis regionibus memorat; apertissime autem v. **718**. quo loco Io rapidi fluminis cursum persequi iubetur,

πρὶν ἂν πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃ.

Quae verba iam inter antiquos interpretes adverterunt eum,

qui in argumento et ad v. 1. scripsit: *ἰστέον δὲ ὅτι οὐ κατὰ τὸν κοινὸν λόγον ἐν Καυκάσῳ φησὶ δεδέσθαι τὸν Προμηθέα, ἀλλὰ πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ, ὡς ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν Ἰὼ λεγομένων ἔξεστι συμβαλεῖν.* Quae tametsi verissime dicta sunt, tamen quibusdam falsa sunt visa, unius codicis scriptura addu- 12
ctis, quae haec est: *ἰστέον ὅτι ἐν τῷ Καυκάσῳ φησὶ δεδέσθαι τὸν Προμηθέα, πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις μέρεσι δὲ τοῦ Ὠκεανοῦ, καὶ οὐκ ἀλλαχοῦ, ὡς ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν Ἰὼ λεγομένων ἔνεστι συνιδεῖν.* Patet vero, eo in scholio aut negationem omissam esse, aut scripsisse scholiastam *τοῦ Καυκάσου* pro *τοῦ Ὠκεανοῦ*. Et hoc suadet scholion MS. ad v. 563. in quo de Ione dicitur: *κατήντησε καὶ ἔνθα ἦν ὁ Προμηθεὺς δεδεμένος πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις μέρεσι τοῦ Καυκάσου, καὶ ὁρᾷ αὐτὸν ἐκεῖσε προσηλωμένον ἐν ταῖς πέτραις τοῦ ὄρους.* Ex his intelligitur, hunc scholiastam, quod in Caucaso alligatum esse Prometheum crederet, sane quidem eo quo isti volunt modo locum illum interpretatum esse, quod fecit etiam alius scholiastes ad v. 717. at quae tandem malae potest aperteque verbis poetae repugnantis interpretationis esse auctoritas? Nihilo minus eam sententiam defendere nuper conatus est Hermannus Reinganum in Iahnii Annalibus litterariis a. 1828. vol. II. fasc. III. p. 329. qui quum *αὐτὸν Καύκασον* de summo vertice iugi illius, cuius alia in parte alligatus fuerit Prometheus, dictum statuit, idque confirmari putavit verbis, quae sunt v. 846.

Νείλου πρὸς αὐτῷ στόματι καὶ προσχώματι,

ipse, quam diversa confudisset, animadvertere potuerat, si cogitasset, illo in versu non *Νείλου πρὸς αὐτοῦ στόματι* esse scriptum. Certum igitur, minimeque dubium est, in fabula superstite Prometheum non in Caucaso, sed in Scythiae parte ea, quae remotior a Caucaso sit, vinctum dici. Neque obscurum est, cur id finxerit Aeschylus. Loco enim opus erat propius ad Oceanum sito, ut mallei ictibus ex antris suis excitari possent nymphae Oceanides, ipseque ex abdita sede sua pater evocari Oceanus.

Iam mirum, ac potius absonum esse dicunt, eam rupem, in qua haerebat Prometheus, in proxima fabula e Scythia in Caucasum esse translatam: quapropter, quum in Soluto Prometheo dubitari de Caucaso non posset, perversas interpretationes in Vincto invenerunt. Stat vero nec removeri potest illa discrepantia. Quod si coniunctae fuerunt hae tragoediae, nihil relinquitur, nisi ut rupem, quae deiecta in tartarum fuerat, alio loco emersisse dicamus. Est id sane mirum: sed si mutandum esse locum iudicavit
13 poeta, non sine caussa fecit: nam in Caucaso liberatum esse Prometheum fama ferebat: et dixit fortasse etiam aliquid de ea re. Expedita vero sunt omnia, si tragoediae illae diversis sunt temporibus scriptae. Disiunctis enim, neque obstabat quidquam, quo minus poeta in Prometheo Soluto sequeretur quod caeteri tradidissent; in Vincto autem inveniret, quod Oceani numinibus advocandis videretur accommodatius. Quod si longius progredi coniectando licet, tempore prior factus esse Solutus videri poterit. Quum enim, qui primo aliquod argumentum tractat, facilius in communi fama acquiescat, neque erit quod de Scythia cum Caucaso commutata queramur, nec perturbabimur illis triginta annorum millibus, ut positis quum nondum de Inachi filia ad Prometheum adducenda esset cogitatum.

Opposui dubiis dubia, incertis incerta, non alio consilio, quam ne temere pro veris venderentur, quae possent etiam non vera esse. Addam his unum, magis etiam dubium, sed opportunum fortasse trilogias rerum perpetuitate cohaerentes amantibus, si Ignifer Prometheus non fuerit tragoedia. Nam etsi neque in indice Aeschyli fabularum Io adscripta est, neque ab aliis scriptoribus memorata, tamen, qui alias Aeschyli tragoedias Latinas fecit, Attius, Ionem scripsit, ut saltem non absurdum videatur, eam ex eodem fonte petitam suspicari.

Igitur de Prometheo Soluto nihil compertum habemus, quam in principio fabulae Titanes peragrata magna parte orbis terrarum ad Caucasum adesse, cruciatum visuros vincti atque aquilae morsibus laniati fratris; post eo-

dem venire Herculem, cui Prometheum labores, qui eum exspectarent, in iisque pugnam cum Liguribus praedicere, postquam vel ipsi vel choro de meritis suis in genus humanum exposuisset; inde liberari Prometheum e vinculis, confixa Herculis sagittis aquila; cuius in facti explicatione mentionem factam esse coronae, quod genus ornamenti in honorem Promethei homines recepissent. Longius, nisi temere hariolari placeat, non licet progredi. Nec quae praeter has, quas diximus, in hac fabula personae fuerint traditum est. In quibus si matri Terrae aliquis concedendus est locus, quod eam Vincti personis libri quidam inserunt, cavendum saltem, ne quis eamdem, quoniam *πολ-* 14
λῶν ὀνομάτων μορφὴ μία in superstite fabula vocatur, bis praesentem fuisse, simulque et in scena et inter Titanes in orchestra stetisse sibi persuadeat. Chironem tamen partes suas in hac tragoedia habuisse valde est veri simile: de quo Apollodori verba infra dabimus. De Mercurio quam anceps coniectura ex illo *μηδέ μοι διπλᾶς ὁδοὺς προσβάλῃς* petatur, supra dictum. Non magis aut opus videtur aut operae pretium, de choro Titanum dicere, quem fuit qui ex duodecim Titanibus, maribus et feminis, compositum fuisse contenderet. Satius erit, opinor, quod usus postulabat, quindecim; quod ratio commendabat, omnes mares; quod artis poeticae lex suadebat, nullis distinctos nominibus propriis in orchestram ingressos existimare.

Titanes igitur anapaestis fabulam sunt exorsi. Arrianus in Periplo Ponti Euxini p. 19. *καί τοι Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ λυομένῳ τὸν Φᾶσιν ὅρον τῆς Εὐρώπης καὶ τῆς Ἀσίας ποιεῖ. λέγουσι γοῦν αὐτῷ οἱ Τιτᾶνες πρὸς τὸν Προμηθέα ὅτι*

> *Ἥκομεν —*
> *τοὺς σοὺς ἄθλους τούσδε, Προμηθεῦ,*
> *δεσμοῦ τε πάθος τόδ' ἐποψόμενοι.*

ἔπειτα καταλέγουσιν ὅσην χώραν ἐπῆλθον,

> *τῇ μὲν δίδυμον χθονὸς Εὐρώπης*
> *μέγαν ἠδ' Ἀσίας τέρμονα Φᾶσιν.*

Ed. Bas. *πῇ μὲν* et *πῇ δέ*. Ac vulgo *τῇ δ'*. Eadem

scripta fuerunt in Periplo Ponti Euxini et Maeotidis paludis p. 1. ubi primis verbis recisis superest *σμοῦ τε πάθος* et quae sequuntur, in quibus recte scriptum est *ἠδ'*. Cod. Pal. apud Bastium Ep. crit. p. 12. vers. Lat. *πῇ μὲν — πῇ δ'*, et ad *τέρμονα Φᾶσιν* addit *ποταμόν*. Procopius Hist. Goth. IV. 6. p. 336, 11. *ἀλλὰ καὶ ὁ τραγῳδιοποιὸς Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ τῷ λυομένῳ εὐθὺς ἀρχόμενος τῆς τραγῳδίας τὸν ποταμὸν Φᾶσιν τέρμονα καλεῖ γῆς τε τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης.* Toupius ad Suid. I. p. 94. temere ordinem verborum mutabat, *ἥκομεν ἄθλους τοὺς σοὺς τούσδε.* Iacobsius in censura ed. Schütz. in Diurnis litt. Halens. a. 1822. fol. 72. p. 569. *ἥκομεν αὐτοὶ* coniiciebat, otioso vocabulo. Non dubitandum videtur, quin *ἥκομεν*, ut *ἥκω* in Hecuba, primum fuerit fabulae verbum. Adiectum ei fuisse credibile est, Titanes esse qui loquerentur, idque fortasse copiosius exornatum: quare omisit Arrianus. Blomfieldius praefat. ad Pers. p. 14. quo loco de choris metro anapaestico tragoedias exordientibus, non recte intellecta Aristotelis definitione prologi, disseruit, *τῆς μὲν διδύμου χθονός, Εὐρώπης μεγάλης τ' Ἀσίας τέρμονα, Φᾶσιν* scribendum censuit, quae prosae orationi quam poesi convenientior est dicendi ratio.

Quum Periplis illis testibus Titanes exposuerint, per quantos sibi terrarum tractus eundum fuerit, facile intelligi potest, ad eamdem narrationem pertinere, sed non ut ipsos illos quos attulimus versus exciperet, quae I. H. Vossii opinio erat, insigne fragmentum, quod Strabo servavit lib. 1. p. 33. (58) *ὅ τε γὰρ Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ λυομένῳ φησὶν οὕτω·*

φοινικόπεδόν τ' ἐρυθρᾶς ἱερὸν
χεῦμα θαλάσσης,
χαλκοκέραυνόν τε παρ' Ὠκεανῷ
λίμναν παντοτρόφον Αἰθιόπων,
ἵν' ὁ παντόπτας Ἥλιος αἰεὶ
χρῶτ' ἀθάνατον καματόν θ' ἵππων
θερμαῖς ὕδατος
μαλακοῦ προχοαῖς ἀναπαύει.

In his *φοινικόπεδον* nemo non videt non de maris aequore, sed de terra mare illud cingente dictum esse. Confirmatque vulgata apud veteres opinio. Stephanus Byz. v. *Ἐρυθρά· Οὐράνιος δ' ἐν Ἀραβικῶν δευτέρᾳ, ἀπὸ τῶν παρακειμένων ὀρῶν, ἃ ἐρυθρὰ δεινῶς εἰσὶ καὶ πορφυρᾶ, καὶ ἐπὴν βάλλῃ εἰς αὐτὰ ὁ ἥλιος τὴν αὐγήν, καταπέμπει εἰς τὴν θάλασσαν σκιὰν ἐρυθράν· καὶ ὄμβρῳ δὲ κατακλυσθέντων τῶν ὀρέων κάτω συῤῥέοντι εἰς θάλασσαν οὕτω γίγνεται ἡ θάλασσα τὴν χρόαν.* Alios auctores ibi indicavit Berkelius; multo plurium testimonia attulit Relandus in diss. de mari rubro p. 70. sq. In sequentibus libri *παντεπόπτας ἠέλιος*, aliaque mendosa, *παντοστρόφον*, *παντοστρόφων*: tum codd. *τ'* addunt post *προχοαῖς*, ex quo coniici potest, fuisse qui *θέρμαις* legerent. His scripturis nihil adiuvamur ad expedienda, quae in hoc loco explicatione indigent. Patet ea contineri vocibus *παντοτρόφον* et *χαλκοκέραυνον*. Quarum alteram Lobeckius et Erfurdtius metri caussa in *πάντων τροφὸν* mutandam censebant: v. Friedemannum ad Strab. lib. I. p. 315. sed de metro qui-16 dem exempta dubitatio a Gaisfordio ad Hephaest. p. 280. et me in Elem. d. m. p. 374. Perdit vero metri rationem Tyrwhitti ad Strabonem coniectura *ποντοτρεφῶν*, quo verbo ille Ichthyophagos dici putabat. Id si cui placeat, facilius aptet metro, si *ποντοτρόφον* scribat. Et convenit id sane optime, comprehenditque etiam Chelonophagos. Sed praestat tamen, opinor, *παντοτρόφον* tenere, quod idem sit ac *πάντων τροφόν*. Latissime enim patet Aethiopia, omnemque complectitur Africae tractum qui ad meridiem est. Atque id ipsum ut demonstraret, locum illum Aeschyli attulit Strabo. Restat altera vox. Et Casaubonus quidem laudandus ob modestiam, qui „ecquam, inquit, „paludem *Χαλκοκέραυνον* Aethiopum poeta intel„ligat, non sane ipse intelligo.“ Id Tyrwhittus quoque sibi accidere fatetur. I. H. Vossius vero, Pauwio auctore, aeris instar coruscantem interpretatus est in Epist. mythol. 55. p. 161. vol. II. ed. sec. Schneiderus in lexico Graeco, vocem ipsam magis quam id de quo dicta est respiciens, *χαλκοκέραστον* vel simile quid scriptum opinabatur. Tue-

tur in lexici illius editione librorum scripturam Passovius, aereum tonitru dici ratus: nam ubique ille et ipsum nomen κεραυνός, et quae ex eo composita sunt, ad tonitru refert: quod non facere debuit. Brequignyi coniecturam χαλκοκελαίνων tantum ne praeteriisse videar memoro. Veri simile est, ansam Aeschylo dedisse, ut aeris mentionem faceret, Homerum Od. γ. 1.

Ἠέλιος δ' ἀνόρουσε, λιπὼν περικαλλέα λίμνην,
οὐρανὸν ἐς πολύχαλκον.

Praeteriit hoc caeli cognomen doctissimus interpres Nitzschius. Mihi non idem quod χάλκεος et Διὸς χαλκοβατὲς δῶ, sed splendidum aerea supellectile ornamentisque videtur significare. Nam bis tantum de caelo dictum, hic et Iliad. ε. 504. in caeteris locis divitem et opulentum notat: Iliad. κ. 315. σ. 289. Od. ο. 424. Atque Aeschylus quidem quum lacum, in quem Sol immergeretur, aeris aliqua nota insignivit, ipse quoque vix aliud quam splendorem dicere potuit, hac etiam in re ducem habens Homerum, apud quem est Iliad. κ. 153.

τῆλε δὲ χαλκὸς
λάμφ', ὥστε στεροπὴ πατρὸς Διός.

17 et prope iisdem verbis λ. 65. Persimile his, fateor, est χαλκοκέραυνος: modo quis doceat, κεραυνόν, quo nomine fulmen feriens vocatur, idem esse quod ἀστραπήν, qui est coruscans fulgor fulminis. Mihi haec tam insolens significatio videtur, ut valde suspectam habeam. Intelligerem χαλκομάραγον, quod ipsum ab Homero commendationem habet Iliad. ν. 340.

ὅσσε δ' ἄμερδεν
αὐγὴ χαλκείη κορύθων ἀπὸ λαμπομενάων.

Μαραυγεῖν, quod Plutarchus ab antiquioribus petiit, (nam ὥςπερ γὰρ τὸ λαμπρὸν φάος μαραυγίαν περιτίθησι τοῖς ὀφθαλμοῖς Archytas dixit apud Stobaeum Serm. I. 81.) non ego quidem, ut Lobeckius ad Phryn. p. 671. si eum recte intelligo, communis sermonis usu obliquatum et contractum dixerim, sed ex ipsa radice formatum, ex qua sunt

μαρμαίρειν, ἀμαρύσσειν, μαρμαρυγή, σμάραγδος, et alia. Caeterum quum Strabo Aeschyli versus propterea afferat, ut ostendat omnem oram, quae ab oriente sole ad occidentem est, ab Aethiopibus habitatam esse, ex eo vanum esse intelligitur, quod commentus est I. H. Vossius, cohaesisse non interpositis aliis versibus hoc fragmentum cum eo, quod primo loco collocavimus, lacumque, quem Aeschylus dicat, esse mare Caspium, et Titanes, tartaro emissos, apud fratrem Solem habitasse. Sed proprium hoc erat viri caetera optimi, ut quae semel ei in mentem venissent, ad invictae veritatis persuasionem rigescerent. Non magis credam, quod cuidam visum est, Aristophanem, quum in Avibus v. **1553**. scripsit,

πρὸς δὲ τοῖς Σκιάποσιν λί-
μνη τίς ἐστ', ἄλουτος οὗ
ψυχαγωγεῖ Σωκράτης,

ad Aeschylum respexisse. Illud non praetereundum duco, minus elegantem esse paroemiaci cum caeteris versibus coniunctionem, ut suspicari quis possit, verbis θερμαῖς ὕδατος μαλακοῦ προχοαῖς uno versu comprehensis ante ἀναπαύει excidisse aliquod participium.

De Aethiopibus nescio an plura dixerint Titanes. Exstat certe, quod ad eos spectet, anapaesticum fragmentum sine fabulae nomine apud scholiastam Apollonii Rhod. ad IV. **1348**. στέρφος δέ ἐστι τὸ δέρμα, ὅθεν καὶ τὸ 18
στερφῶσαι. Ἴβυκος δὲ στερφωτῆρα στρατὸν εἴρηκε τὸν ἔχοντα δέρματα. διὸ καὶ παρ' Αἰσχύλῳ ἀξιοῦσι γράφειν

μελανοστέρφων γένος,

ἀλλ' οὐ μελανοστέρνων. οὐ γὰρ μόνον τὰ στέρνα μέλανα ἔχουσιν, ἀλλὰ καὶ ὅλον τὸ σῶμα.

Choro respondebat Prometheus trimetris, cuius orationis initium servavit Latine versum Cicero Q. Tusc. II. **10**. Eius haec verba sunt: *veniat Aeschylus, non poeta solum, sed etiam Pythagoreus: sic enim accepimus. Quomodo fert apud eum Prometheus dolorem quem excepit ob furtum Lemnium*, unde ignis cluet mortalibus clam divisus: eum dictus Prometheus clepisse dolo, poe-

nasque Iovi fato expendisse supremo. *Has igitur poenas pendens affixus ad Caucasum haec dicit:*

Titanum suboles, socia nostri sanguinis,
generata caelo, adspicite religatum asperis
vinctumque saxis, navem ut horrisono freto
noctem paventes timidi adnectunt navitae.
Saturnius me sic infixit Iuppiter,
Iovisque numen Mulcibri arcivit manus.
hos ille cuneos fabrica crudeli inserens
perrupit artus: qua miser sollertia
transverberatus castrum hoc Furiarum incolo.
iam tertio me quoque funesto die
tristi advolatu aduncis lacerans unguibus
Iovis satelles pastu dilaniat fero.
tum iecore opimo farta et satiata affatim
clangorem fundit vastum, et sublime avolans
pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.
quum vero adesum inflatu renovatum est iecur,
tum rursus tetros avida se ad pastus refert.
sic hanc custodem maesti cruciatus alo,
quae me perenni vivum foedat miseria.
namque, ut videtis, vinclis constrictus Iovis
arcere nequeo diram volucrem a pectore.
sic me ipse viduus pestis excipio anxias,
amore mortis terminum anquirens mali:
sed longe a leto numine aspellor Iovis.
atque haec vetusta seclis glomerata horridis
luctifica clades nostro infixa est corpori,
e quo liquatae solis ardore excidunt
guttae, quae saxa assidue instillant Caucasi.

A se ipso haec versa esse ostendit paullo post, quum interroganti, *interea unde isti versus? non enim agnosco*, respondet: *dicam hercle: etenim recte requiris: videsne abundare me otio:* et alia, quae eo spectant. Atque ut Ciceronis Priscianus X. p. 907. affert verba e v. 13. *tum iecore opimo farta et satiata.* Sed Nonius, cuius nulla est ad illos testes auctoritas, in v. *adulatio.* p. 17,

10. ut ex Attii Prometheo posuit quae v. 14. leguntur, sic in antiquis Nonii libris scripta: *tu mei volans pennata cauda nostrum adulat sanguinem.* Potuit autem Nonius eo facilius errare, quod sane Prometheum scripsit Attius: ex quo etsi unus tantum versus interitum effugit, tamen nec de nomine fabulae nec de scriptore dubitandum videtur, quia eumdem illum versum non Nonius solum, sed etiam Priscianus Attii Prometheo adscribunt. Eam fabulam recte, ut ego quidem arbitror, Rathius ex Aeschyli Prometheo Vincto versam esse coniecit. Nam Solutum Prometheum si scripsisset Attius, huius, non suis versibus usurus erat Cicero. Sed de versu illo infra dicetur. Cicero quae vertit, sic scripta dedi, ut ea quae vera viderentur ponerem. Quid differant libri, ex Orellii aliorumque edd. cognosci potest. Caeterum de Graecis huius fabulae fragmentis nullum est, quod ad hunc locum pertineat, nisi forte ad v. 11. aut 17. illud apud Hesychium: *εἰςαφάσματα. εἰςπτήματα. ἀπὸ τοῦ εἰςαφιέναι· ἢ σπαράγματα. Αἰσχύλος Προμηθεῖ λυομένῳ.* Prometheum haerentem adhuc in vinculis, in eumque intuentem Herculem pinxerat Panaenus Olympiae, teste Pausania V. 11, 2. cuiusmodi picturam accuratissime descripsit Achilles Tatius III. 8.

Nisi maximam, certe praecipuam partem fabulae, ut videtur, is tenebat, per quem liberandus erat Prometheus, Hercules. Qui quum orbem terrarum peragrans ad Caucasum venisset, ibique rupi affixum conspexisset Prometheum, mirabatur, si recte coniicimus, tam atrox specta-20
culum, atque ut erat iniqua passis praesens auxilio, animosusque ad ardua, occidere aquilam, quae iecur Prometheï exederet, ipsumque ex vinculis exsolvere constituit. Ei igitur, ut Oceanidibus in superstite fabula, et caussas tantae poenae exposuisse Prometheum credibile est, et memorasse, quibus genus humanum beneficiis affecisset. Ex eo colloquio deprompta videntur verba Prometheï, quae etsi non nominatim ex Soluto allata sunt, tamen quin ad hanc tragoediam pertineant vix potest dubitari. Habet ea Plutarchus de fortuna p. 98. C. *νῦν δὲ*

οὐκ ἀπὸ τύχης οὐδ' αὐτομάτως περίεσμεν αὐτῶν καὶ κρατοῦμεν, ἀλλ' ὁ Προμηθεύς, τουτέστιν ὁ λογισμός, αἴτιος,

ἵππων ὄνων τ' ὀχεῖα καὶ ταύρων γονὰς
δοὺς ἀντίδουλα καὶ πόνων ἐκδέκτορα,

κατ' Αἰσχύλον. Legebatur ἀντίδωρα, quod correxit Sallierius in Comm. Acad. Inscript. Paris. T. X. p. 340. Nam idem Plutarchus de sollertia animalium p. 964. F. οὐ γὰρ ἀδικοῦσιν οἱ τὰ ἄμικτα καὶ βλαβερὰ κομιδῇ κολάζοντες καὶ ἀποκτιννύοντες, τὰ δὲ ἥμερα καὶ φιλάνθρωπα ποιούμενοι τιθασὰ καὶ σύνεργα χρείας πρὸς ἣν ἕκαστον εὖ πέφυκεν, ἵππων ὄνων τ' ὀχεῖα καὶ ταύρων γονάς, ὧν ὁ Αἰσχύλου Προμηθεὺς δοῦναι ἡμῖν φησὶν ἀντίδουλα καὶ πόνων ἀνδέκτορα. Legebatur hic ὀχείαν, quod correxerunt Reiskius et Wyttenbachius. Tum Porphyrius de abst. III. 18. p. 257. ἀρκεῖ γὰρ ὅτι μηδὲν πονεῖν δεόμενοι χρώμεθα προκάμνουσι καὶ μοχθοῦσιν, ἵππων ὄνων τ' ὀχεῖα καὶ ταύρων γονάς, ὡς Αἰσχύλος φησίν, ἀντίδουλα καὶ πόνων ἐκδέκτορα χειρωσάμενοι καὶ καταζεύξαντες. Ita fere emendavit Rhoerius. Relatum hoc in fragmenta Plutarchi a Wyttenbachio T. V. P. II. p. 898. Ἀνδέκτορα nescio an praestet. Alterum habet Lobeckius ad Aiac. 323. p. 271. ubi de forma nominis et genere dixit.

Pertinet ad res Promethei Pandora, quae Proclo teste ad Hesiodi O. et D. 156. ab Aeschylo dicta est

τοῦ πηλοπλάστου σπέρματος θνητὴ γυνή,

sed non proditum qua in fabula. Attigit eum versum Hemsterhusius ad Lucian. Prom. 1. T. I. p. 185.

21 Enarrabat deinde Prometheus Herculi, quid eum porro laborum exantlare oporteret, ad eum modum, quo in Vincto similia edocetur Io. Ex ea fabulae parte quae supersunt etsi quo ordine scripta ab Aeschylo fuerint dici non potest: nam etiam Vincti si nihil nisi fragmenta exstarent, quis ea non esset alio quam in ipsa fabula sunt ordine dispositurus? tamen sequendum putamus, quod est veri

simillimum. Eo igitur primum referam illud apud Stephanum Byz. in v. *Ἄβιοι: Αἰσχύλος δὲ Γαβίους διὰ τοῦ γ ἐν λυομένῳ Προμηθεῖ·*

ἔπειτα δ' ἥξει δῆμον ἐνδικώτατον
[βροτῶν] ἁπάντων καὶ φιλοξενώτατον,
Γαβίους, ἵν' οὔτ' ἄροτρον οὔτε γατόμος
τέμνει δίκελλ' ἄρουραν, ἀλλ' αὐτόσποροι
γύαι φέρουσι βίοτον ἄφθονον βροτοῖς.

V. 1. veri simile est poetam *ἥξεις* scripsisse, quod quum Stanleio, tum aliis probatum est. *Ἐνδικώτατον* praebuerunt MSS. pro vulgato *ἐνδικαιότατον*, et reposuerat Stanleius, qui etiam caetera emendavit, nisi, ut saepe, alienis usus est: legebatur *δικέλλῃ* et in MSS. *δικέλλης*. tum *γέαι*, quod Florens Christianus in *γαῖαι* mutabat: Stanleii *γύαι* confirmarunt codd. In secundo versu Stanleius *θνητῶν*, Holstenius *ἀνδρῶν*, Valckenarius ad Adoniaz. p. 217. *Σκυθῶν* addendum putabant: hic quidem more suo quod aliis secus videretur probans. Aeschylus, credo, Homerum sequi maluit, cuius notum esset illud,

Γλακτοφάγων, Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Additum Abiorum nomini *γ* digamma esse putarunt Valckenarius, Toupius ad Suid. T. III. p. 493. et censor Valckenarii in bibl. philol. Gottingensi vol. III. p. 160. Scholiastes Venetus ad Iliad. *ν*. 6. *τούτους Αἰσχύλος Γαβίους φησίν.* Eustathius p. 916, 24. (881, 8. ed. Bas.) *Αἰσχύλος δὲ φασὶν αὐτοὺς Γαυίους λέγει*, ubi Hemsterhusius in margine adnotavit *Γαβίους* scribendum esse. Meminisse huius populi etiam Curtium VII. 6, 11. ad Stephanum indicavit Berglerus. Aeschyli versus tetigit Huschkius in Analect. crit. p. 78.

Sequitur quod de Istro dictum retulit scholiastes Apollonii Rhodii ad IV. 284. *τὸν Ἴστρον φησὶν ἐκ τῶν Ὑπερβορέων καταφέρεσθαι καὶ τῶν Ῥιπαίων ὀρῶν. οὕτω δὲ* 22 *εἶπεν ἀκολουθῶν Αἰσχύλῳ ἐν λυομένῳ Προμηθεῖ λέγοντι τοῦτο.* Paullo haec aliter scripta in cod. Paris. in quo *ἐν Προμηθεῖ* sine cognomine. Comparanti Hippocratem

in libro de aere locis et aquis, qui quum p. 291, 49. de Scythia scribat, *κεῖται γὰρ ὑπ᾽ αὐταῖς ταῖς ἄρκτοις καὶ τοῖς ὄρεσι τοῖς Ῥιπαίοισιν, ὅθεν ὁ βορέης πνέει*, paullo ante, v. 41. dicit: *αὐτοὶ δ᾽ ἐσθίουσι κρέα ἑφθά, καὶ πίνουσι γάλα ἵππων, καὶ ἱππάκην τρώγουσι· τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τυρὸς ἵππων·* non dissimile veri videbitur, etiam apud Aeschylum haec coniuncta fuisse, de quo Strabo VII. p. 300. *καὶ Αἰσχύλος δ᾽ ἐμφαίνει συνηγορῶν τῷ ποιητῇ, φήσας περὶ τῶν Σκυθῶν·*

ἀλλ᾽ ἱππάκης βρωτῆρες εὔνομοι Σκύθαι.

Egregie ita vulgatum *ἱππικῆς βοτῆρες* emendavit Casaubonus. *Ἱππάκην, Σκυθικὸν βρῶμα*, ex Aelio Dionysio memoravit Eustathius p. 916, 16. (880, 52.)

In iis, quae deinceps narrabantur, pugna memorabatur subeunda Herculi cum Liguribus: de qua antequam diceretur, ea crediderim posita fuisse, quae Galenus in comm. prima ad Hippocr. Epidem. VI. p. 454, 56. vol. V. ed. Bas. (XVII. p. 879. ed. Lips.) affert, si illa sunt ex Soluto Prometheo petita, ut primo H. Stephano ad Aeschylum p. 356. deinde Casaubono, Bentleio, et plerisque aliis visum est, non, quem nominat Galenus, ex Vincto. Vinctum recte nominatum iudicabat vir quidam doctus, ut ante multos annos a Fr. Aug. Wolfio accepisse memini: videri enim intercidisse versus illos cum compluribus aliis inter v. 790. et 791. ed. Stanl. Eadem mihi quoque subnata fuerat suspicio, quod Io per regiones septemtrionales et occidentales in Libyam perventura diceretur. Ac ne hodie quidem utrum horum verum esse dicam scio. Neutri enim sententiae deest, quod eam tueri videatur, etiam si nihil tribuamus addito cognomini, in quo vel ipse Galenus vel librarii errare potuerunt. Nam quum in illis fragmentis, quisquis is est, quicum loquitur Prometheus, loca vento Borea infesta aditurus dicatur, aeque id et in Ionis et in Herculis personam cadit. Io quidem nuper visa est per orientem in Libyam venire: quam sententiam novissime defendit Reinganum in Iahnii annalibus,
23 sed iis argumentis, quibus ut falsa potius quam vera videri

ista opinio debeat efficiatur. Quare non libet his immorari. Regiones, quas Aeschylus memorat, communi antiquitatis opinione ad septemtrionem et occidentem sitae erant: eas Aeschylo in orientem usque ad Libyam extendi visas esse si quis eiusmodi argumentis ostenderit, quibus permoveri possint ii, qui nec levitate ea sunt ut incredibilia credant, nec temeritate tanta ut quae fieri nequeunt fieri velint, is demum vicerit, iter illud non per oras sub Aquilone et occasu solis iacentes in Aethiopiam atque hinc in Libyam deflecti. Id igitur demonstret oportet, qui fragmentis illis, de quibus mox dicetur, non locum fuisse in Vincto Prometheo volet ostendere. Accedit quod, quum Attii Prometheus, ut supra dictum, non ex Soluto Prometheo expressus fuerit, sed, quoniam Aeschylum admirabatur Attius, ex Vincto sumptus videatur, versus ille, qui solus ex ea tragoedia superest, mirifice cum illis apud Galenum fragmentis conspirat. Est autem hic, apud Nonium v. *gelus* p. 208, 1. et Priscianum VI. p. 685. qui *tum* omittit:

tum profusus flamine hiberno gelus.

Vix enim credi potest, hoc Attium posuisse pro verbis parum similibus, quae apud Aeschylum sunt v. 17. aut 992.

Sed dicendum est etiam de altera sententia. Nam quum Strabo eo loco, quo pugnae Herculis cum Liguribus ex Aeschylo mentionem facit, ventos impetuosissimos commemoret qui eam regionem perflant, eorumdemque ventorum vis in fragmentis illis apud Galenum describatur, fatendum est tam bene haec congruere, ut minime inepta sit coniectura eorum, qui fragmenta ista ad Solutum Prometheum referenda censuerunt. Manebit igitur ambiguum, ex utra sint fabula petita, donec aut aliud repertum fuerit testimonium, aut ostendatur a Vincto esse abiudicanda. Sed volo iam ipsa afferre, postquam adscripsero quae de ventis illis Strabo p. 182. refert: *ἅπασα μὲν οὖν ἡ ὑπερκειμένη χώρα προσήνεμός ἐστι, διαφερόντως δ' εἰς τὸ πεδίον τοῦτο μελαμβόρειον καταιγίζει πνεῦμα βίαιον καὶ φρικῶδες. φασὶ γοῦν σύρεσθαι καὶ κυλινδεῖσθαι τῶν*

λίθων ἐνίους, κατακλᾶσθαι δὲ τοὺς ἀνθρώπους ἀπὸ τῶν ὀχημάτων καὶ γυμνοῦσθαι καὶ ὅπλων καὶ ἐσθῆτος ἀπὸ τῆς ἐμπνοῆς. Galenus igitur sic scribit, cuius totum il-
24 lum qui de vocabulo πέμφιξ est locum dabo, quoniam in eo etiam alia sunt poetarum fragmenta, quibus aliquid emendationis mihi videor afferre posse. Bentleium enim, qui in epistola ad Millium p. 500. ed. Lips. eum locum tractavit, securius sequuti sunt Brunckius aliique, reveriti auctoritatem viri, nec cogitantes, quae ille ex tempore fudisset, non omnia, si diligentius expendantur, firma esse mansura. *Νυνὶ δ' ἀρκέσει τοῖς γραμματικοῖς ἀκολουθήσαντα, κατὰ τὴν ἐκείνων διάταξιν εἰπεῖν τι περὶ τῶν κατὰ τὴν πέμφιγα σημαινομένων. δοκεῖ μὲν γὰρ αὐτὴν ἐπὶ τῆς πνοῆς Σοφοκλῆς ἐν Κολχίσι λέγειν·*

ἀπῆξε πέμφιξ ὡς ἰπνοῦ σελασφόρου·

καὶ ὁ αὐτὸς ἐν Σαλμωνεῖ σατύροις·

καὶ τάχ' ἂν κεραυνίᾳ
πέμφιγι βροντῆς καὶ δυσοσμίαν λάβοι.

Αἰσχύλος δὲ ἐν Προμηθεῖ δεσμώτῃ·

εὐθεῖαν ἕρπε τήνδε· καὶ πρώτιστα μὲν
Βορεάδας ἥξεις πρὸς πνοάς, ἵν' εὐλαβοῦ
βρόμον καταιγίζοντα, μή σ' ἀναρπάσῃ
δυσχειμέρῳ πέμφιγι συστρέψας ἄφνω.

ἐπὶ δὲ τῶν ἀκτίνων αὐτῶν δοκεῖ χρῆσθαι τῷ τῆς πέμφιγος ὀνόματι Σοφοκλῆς ἐν Κολχίσι κατὰ τάδε τὰ ἔπη·

κἂν ἐθαύμασας
τηλέσκοπον πέμφιγα χρυσέαν ἰδών.

οὕτω καὶ Αἰσχύλος ἐν Ξαντρίαις·

ἃς οὔτε πέμφιξ ἡλίου προσδέρκεται,
οὔτ' ἀστεροπὸν ὄμμα Λητῴας κόρης.

ἐπὶ δὲ τῆς ῥανίδος ὁ αὐτός φησιν ἐν Προμηθεῖ·

ἐξευλαβοῦ δὲ μή σε προσβάλῃ στόμα
πέμφιξ· πικρὰ γάρ, κοὐ διὰ ζωῆς ἁτμοί.

καὶ ἐν Πενθεῖ·

μηδ' αἵματος πέμφιγα πρὸς πέδῳ βάλῃς.

ἐπὶ δὲ τοῦ νέφους δοκεῖ τετάχθαι κατὰ τόδε τὸ ἔπος ἐν Σαλμωνεῖ σατύροις παρὰ Σοφοκλεῖ·

πέμφιγι πλήσας ὄψιν ἀγγέλῳ πυρός.

καὶ παρ' Ἰβύκῳ·

πυκιναὶς πέμφιγας πιόμενοι.

λέλεκται δ' οὗτος ὁ λόγος αὐτῷ κατά τινα παραβολὴν 25
ἐπὶ χειμαζομένων εἰρημένην. διὸ καὶ τῶν προγνωστικῶν οἱ πλεῖστοι ἐπὶ τῶν κατὰ τοὺς ὄμβρους σταγόνων εἰρῆσθαί φασι τὰς πέμφιγας. ὁ δὲ Καλλίμαχος ὧδε·

μὴ διὰ πεμφίγων ἐναγίσματα.

ὁ δὲ Εὐφορίων οὕτως·

ἠπεδανὸν πέμφιγες ἐπιτρύζουσι θανόντα.

Indicandum est paucis, quid in his poetarum exemplis mutaverim. Primum e Sophoclis Colchidibus fragmentum sic scriptum erat: *ἀπῆξε πέμφιξιν οὐ πέλας φόρου*. Bentleius, *ἀπῆξε πέμφιξ' Ἰονίου πέλας πόρου* vel *ἐξ ἕω σελασφόρου*. At debent exempla haec omnia sic esse comparata, ut ex ipsis appareat, quo significatu dicta sit *πέμφιξ*. In illa Sophoclis fabula de ignivomis tauris quos Iaso domuisset sermo erat: quo ex loco servavit nonnulla Scholiastes Pindari ad Pyth. IV. 398. Ex eorum naribus halitum exire dicebat poeta, si quid video, qualem furnus spiraret vivis carbonibus repletus. Ad *σελασφόρου* comparari potest hoc Aristophanis Pac. 839.

ἀπὸ δείπνου τινὲς
τῶν πλουσίων οὗτοι βαδίζουσ' ἀστέρων,
ἱπνοὺς ἔχοντες, ἐν δὲ τοῖς ἱπνοῖσι πῦρ.

Quod sequitur fragmentum, in eo legebatur, *κεραύνια πέμφιξι, βροντῆς, καὶ δυσοσμίας λάβοι*. Bentleius, quod mirere, *καὶ τάχ' ἂν Κεραύνια πέμφιξι βροντῆς*

καὶ δυσοσμίας βάλοι. At haud dubie de Salmoneo fulmine icto sermo erat. Aeschyli versus ex Prometheo emendarunt Casaubonus ad Strabonem p. 182. et Bentleius. Legebatur ἑρπετὴν δὲ et πρὸς πνοαῖσιν, εὐλαβοῦ et τρέψας ἄφνω. Casaubonus minus bene, πρὸς πνοάς. σὺ δ' εὐλαβοῦ, et συστρέψας ἄνω. Gatakerus in Adv. misc. p. 532. quum alia in hoc loco male constituit, tum πέμφιγ' ἀνατρέψας ἄφνω. Quod mox ex Colchidibus affertur, sic erat scriptum: κἂν ἐθαύμασα τῇδε σκοπῶν πέμφιγα χρυσέαν ἰδών. Emendavit Bentleius, sed scribens ille κἀπεθαύμασα. Mihi, quod posui, verisimilius visum. Sequebatur: οὕτω καὶ Αἰσχύλος, ἐξ ἀντιαίας οὔτε πέμφιξ ἡλίου προσδέρκεται, οὔ τ' ἀστέρων στόμα Λητῴας κόρης. Emendatio Bentleio debetur, qui mox etiam ῥα-
26 νίδος in Galeno pro ῥαγίτιδος reposuit. Aeschyli quod sequitur exemplum quum non adiecto cognomine ex Prometheo attulerit Galenus, eumdem videtur designare, quem supra dixerat. Et concordat etiam sententia utriusque fragmenti. Legebatur προσβάλλῃ. Sophoclis e Salmoneo alterum exemplum sic exhibebatur: πέμφιγι πᾶσαν ὀψιαγέλων πυρός. Bentleius, πέμφιγι πᾶσαν ὄψιν ἀγγέλῳ πυρός. Id vix aut scripserit Sophocles, aut Galenus, imperfecta sententia, attulerit. A Callimachi fragmento, quod scriptum erat μὴ διὰ πεμφίγων ἐνάγουσιν ἔα, manum abstinuit Bentleius, nisi quod lacunae signum post πεμφίγων posuit. Nostram emendationem ipsa, quam in hoc versu cerni Galenus testatur, vocis significatio tuebitur. *) Denique in Euphorionis versu legebatur εἶπε δ' ἄνθη. Bentleius ἠπεδαναί, idemque εἰ πεδαναὶ et ἐπικλύζουσι coniecit.

Sequitur ipse de pugna cum Liguribus locus. Strabo quum dixisset, μεταξὺ τῆς Μασσαλίας καὶ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥοδανοῦ πεδίον ἐστί, τῆς θαλάττης διέχον εἰς ἑκατὸν σταδίους, τοσοῦτον δὲ τὸν διάμετρον, κυκλοτερὲς

*) Eleganter Nackius in dissertatione de Callimachi Hecale p. 15. coniecit: δείδια πεμφίγων ἐναγίσματα.

τὸ σχῆμα· καλεῖται δὲ λιθῶδες ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος· μεστὸν γάρ ἐστι λίθων χειροπληθῶν, ὑποπεφυκυῖαν ἐχόντων αὐτοῖς ἄγρωστιν, ἀφ' ἧς ἄφθονοι νομαὶ βοσκήμασιν εἰσίν· ἐν μέσῳ δ' ὕδατα, καὶ ἁλυκίδες ἐνίστανται καὶ ἄλες· paullo post, commemoratis Aristotelis et Posidonii de lapidum illorum origine sententiis, ita scribit: τὸ μέντοι δυσαπολόγητον Αἰσχύλος καταμαθὼν ἢ παρ' ἄλλου παραλαβών, εἰς μῦθον ἐξετόπισε. φησὶ γοῦν Προμηθεὺς παρ' αὐτῷ καθηγούμενος Ἡρακλεῖ τῶν ὁδῶν τῶν ἀπὸ Καυκάσου πρὸς τὰς Ἑσπερίδας·

ἥξεις δὲ Λιγύων εἰς ἀτάρβητον στρατόν.
ἔνθ' οὐ μάχης, σάφ' οἶδα, καὶ θοῦρός περ ὤν,
μέμψει· πέπρωται γάρ σε καὶ βέλη λιπεῖν
ἐνταῦθ'· ἐλέσθαι δ' οὔτιν' ἐκ γαίας λίθον
ἕξεις, ἐπεὶ πᾶς χῶρος ἐστὶ μαλθακός.
ἰδὼν δ' ἀμηχανοῦντά σ' ὁ Ζεὺς οἰκτερεῖ,
νεφέλην δ' ὑποσχὼν νιφάδι γογγύλων πέτρων
ὑπόσκιον θήσει χθόν'· οἷς ἔπειτα σὺ
βαλὼν διώσεις ῥᾳδίως Λίγυν στρατόν.

Dionysius Hal. Ant. R. I. 41. δηλοῖ δὲ τὸν πόλεμον τόνδε τῶν ἀρχαίων ποιητῶν Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ λυομένῳ. πεποίηται γὰρ αὐτῷ ὁ Προμηθεὺς Ἡρακλεῖ τά τε ἄλλα προλέγων, ὡς ἕκαστον αὐτῷ τι συμβήσεσθαι ἔμελλε κατὰ τὴν ἐπὶ Γηρυόνην στρατείαν, καὶ δὴ καὶ περὶ τοῦ Λιγυστικοῦ πολέμου, ὡς οὐ ῥᾴδιος ὁ ἀγὼν ἔσται διηγούμενος· τὰ δὲ ποιήματα ὧδε ἔχει· 27

ἥξεις δὲ Λιγύων εἰς ἀτάρβητον στρατόν,
ἔνθ' οὐ μάχης, εὖ οἶδα, καὶ θοῦρός περ ὤν,
μέμψει· πέπρωται γάρ σε καὶ βέλη λιπεῖν.

Hyginus Poet. Astr. II. 6, p. 437. *Aeschylus autem in fabula, quae inscribitur* Προμηθεὺς λυόμενος, *Herculem ait esse non cum dracone, sed cum Liguribus depugnantem. Dicit enim, quo tempore Hercules a Geryone boves abduxerit, iter fecisse per Ligurum fines: quos conatos ab eo pecus abducere, manus contulisse et complures eorum sagittis confixisse: sed*

postquam Herculem tela deficerent, multitudine barbarorum et inopia armorum defessum se ingeniculasse, multis iam vulneribus acceptis: Iovem autem misertum filii, curasse ut circa eum magna lapidum copia esset: quibus se Herculem defendisse et hostes fugasse. Itaque Iovem similitudinem pugnantis inter sidera constituisse. Attigit non nominato auctore Theo ad Arati Phaen. v. 75. *οὗτος δέ ἐστι κατά τινας ὁ Ἡρακλῆς· αὐτὸν γὰρ τὸν Ἡρακλέα τοῖς Λίγυσι πολεμοῦντα, ἐπιλιπόντων αὐτῷ τῶν τοξευμάτων, ἐπὶ γόνυ πεσεῖν καὶ λίθοις βάλλειν, οὓς αὐτῷ ὕσεν Ζεύς.* Disputavit de Aeschyli versibus primus H. Stephanus ad Aeschylum p. 357. deinde P. Leopardus Emend. V. 17. in Gruteri Face critica vol. III. p. 100. et Salmasius Exerc. Plin. p. 42. Et v. 7. quidem Casaubonus *ὑπερσχὼν* corrigebat, cui iure contradixit Salmasius. *Γογγύλων* ipse dedi pro *στρογγύλων*. In idem, sed timens, incidit Scholefieldius. V. 8. legebatur apud Strabonem *οἷς ἔπειτα συμβαλὼν δῃώσεις*. Leopardus et Salmasius, *οἷς ἔπειτα σὺ βαλὼν διώξεις*. Veram scripturam *διώσεις* Seidlerus de verss. dochm. p. 102. ubi per errorem *διώσας* scriptum, et ante eum Erfurdtius, eodem quo ille Euripidis loco in Heracl. 995. usus, invenerunt: sed multo ante utrumque idem viderat Leopardus.

Edoctusne sit in Aeschyli fabula a Prometheo Hercules, quomodo Atlantis ope aureis pomis Hesperidum
28 potiretur, de qua re scriptum est apud Apollodorum II. 5, 11. §. 13. et scholiastam Apollonii Rhodii ad IV. 1396. hodie ignoramus. Veri tamen simile est, istis in itineribus describendis fabulosos illos *κυνοκεφάλους* et *στερνοφθάλμους* commemoratos esse, quos Strabo I. p. 43. et VII. p. 299. Apollodoro auctore ab Aeschylo dictos ait. Certe quos utrubique tertios addit *μονομμάτους*, Arimaspi sunt, de quibus in Vincto Prometheo est. Quos his alios aliis deformitatibus insignes populos Tzetzes adiicit Chil. VII. 766 — 768. non videntur ex Aeschylo esse collecti.

Aquilam interempturus Hercules Apollinem invocabat. Plutarchus in Amatorio p. 757. D. E. *ὁ δὲ Ἡρα-*

κλῆς ἕτερον θεὸν παρακαλεῖ μέλλων ἐπὶ τὸν ὄρνιν αἱρεσθαι τὸ τόξον, ὡς Αἰσχύλος φησίν,

Ἀγρευὺς δ' Ἀπόλλων ὀρθὸν ἰθύνοι βέλος.

Sic Wyttenbachius ex E. Vulgo *ἰθύνει*. Apollinis illud cognomen tetigit Boeckhius Explic. Pind. Pyth. IX. p. 324. Aquilam quomodo veterum doctorum qui sapere sibi videbantur interpretati fuerint, cognosci potest ex scholiis Apollonii Rhodii ad II. 1248. et Eudocia p. 346.

Liberati iam Promethei verba habemus apud Plutarchum in ipso vitae Pompeii initio: πρὸς δὲ Πομπήϊον ἔοικε τοῦτο παθεῖν ὁ Ῥωμαίων δῆμος εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς, ὅπερ ὁ Αἰσχύλου Προμηθεὺς πρὸς τὸν Ἡρακλέα σωθεὶς ὑπ' αὐτοῦ καὶ λέγων,

ἐχθροῦ πατρός μοι τοῦτο φίλτατον τέκνον.

In quo versu τοῦτο ab librariis metri explendi caussa insertum puto, ut in comici veteris versibus, quos affert Diogenes Laertius II. 18. de quibus alio loco dicetur. Vt alia taceam, pronomen istud vel propter genus neutrum, ubi usus masculinum requirit, reprehendendum est.

Incertum est, fuerintne quae Apollodorus II. 5, 11. §. 12. refert omnia ab Aeschylo commemorata: καὶ περαιωθεὶς ἐπὶ τὴν ἤπειρον τὴν ἀντικρύ, κατετόξευσεν ἐπὶ τοῦ Καυκάσου τὸν ἐσθίοντα τὸ τοῦ Προμηθέως ἧπαρ ἀετόν, ὄντα Ἐχίδνης καὶ Τυφῶνος· καὶ τὸν Προμηθέα διέλυσε δεσμὸν ἑλόμενος τὸν τῆς ἐλαίας, καὶ παρέσχε τῷ Διὶ Χείρωνα, ἀθάνατον ὄντα, θνήσκειν ἀντ' αὐτοῦ θέλοντα. Quod hic de Chirone dicit, ambigue indicatum esse in Prometheo Vincto v. 1026. supra diximus. Sed 29 de corona, quam signum esse vinculorum vidit Galeus, testimonium exstat Athenaei XV. p. 674. D. Αἰσχύλος δ' ἐν τῷ λυομένῳ Προμηθεῖ σαφῶς φησὶν ὅτι ἐπὶ τιμῇ τοῦ Προμηθέως τὸν στέφανον περιτίθεμεν τῇ κεφαλῇ, ἀντίποινα τοῦ ἐκείνου δεσμοῦ, καίτοι ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Σφιγγὶ εἰπών,

τῷ δὲ ξένῳ γε στέφανος, ἀρχαῖον στέφος,

δεσμῶν ἄριστος, ἐκ Προμηθέως λόγου.

Heynius ad Apollodorum scribi volebat *ἐκ Προμηθέως λύγου*, ob ea quae Athenaeus de Caribus p. **672**. narrat. Sed recte ei contradixerunt Schweighaeuserus et Iacobsius, hic quidem in Diar. litt. Halensibus loco supra indicato: nam viminea corona Carum propria erat, nec pertinebat ad Prometheum, ut ipsa illa Athenaei narratio docet. Poterant vero eiusdem scriptoris etiam his verbis uti, quae adscripsimus: nam si *λύγου* verum esset, non poterat ille *καίτοι* dicere: consentiret enim secum Aeschylus. Nunc ille in Sphinge hoc dicere videtur, Prometheo auctore optimum hospiti vinculum esse coronam. Scilicet providentiae est, quasi vinculo quodam sibi hospitem obstringere. *Στέφανος* in versibus illis pro librorum scriptura *στέφανον* dedit Grotius. Heynio qui assentiuntur, mirabar unde haberent *ἀκραιοστεφῆς*, quod capitis sertum significaret, pro *ἀρχαῖον στέφος*, usque dum fabrum huius verbi cognovi.

Scholiastes Aristidis a Frommelio editus p. **191**. *τὸ δειλίας ἐξ Αἴαντος τοῦ μαστιγοφόρου Σοφοκλέους, τὸ δὲ σιωπῆς ἐκ Σιμωνίδου· καὶ Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ δεσμώτῃ·*

πολλοῖς γάρ ἐστι κέρδος ἡ σιγὴ βροτοῖς.

Non legitur hic versus in Vincto. Sed in Ignifero, Gellio teste XIII. 18. (edd. vett. 17.) fuit:

σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ καὶ λέγειν τὰ καίρια.

Altera illa sententia similiter dicta Carcini versibus apud Stobaeum exstat Serm. XXXIII. 1.

πολλοῖς γὰρ ἀνθρώποισι φάρμακον κακῶν
σιγή· μάλιστα δ' ἐστὶ σώφρονος τρόπου.

Eustathius ad Iliad. ε. p. **600**, **43**. (**457**, **29**.) *σχίσματα γάρ τινα καὶ οἱ θύσανοι, ὅθεν ἀρειθύσανοι κατὰ Παυσανίαν Ἄρεος θύσανοι, οἷον ἀποσχίσματα, παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Προμηθεῖ λυομένῳ.* Bis hanc vocem habet

Hesychius, p. 528. *ἀρθύσανοι* (Favorinus, ut litterarum ordo postulabat *ἀρθρύσανοι*) *ἀποσχήματα καὶ ἀποβλαστήματα*, et p. 522. *ἀριθύσανοι*, *ἡνίοχοι*, ubi litterarum ordo requirit *ἀρειθύσανοι*. Ingeniose Passovius in lexico Germanica *degen*, *degenknopf*, de fortibus dicta comparat. Certe *ἡνίοχοι* non suspectum videtur, si isto nomine quasi Martis appendices significantur.

Quod Antiatticista in Bekkeri Anecdotis p. 116, 7. adnotavit, *χερσά, τὰ μὴ γεωργούμενα· Αἰσχύλος Προμηθεῖ*, non solum utrum ex Soluto an ex Ignifero Prometheo petitum esset incertum putare debebat Blomfieldius in glossario ad Persarum v. 64. sed dubitari etiam poterat, an in Vincti loco eo qui intercidit scriptum fuisset.

DE HYPERBOLE

DISSERTATIO.*)

Multa sunt in philologorum armamentariis reposita instrumenta, quorum fabricam atque usum qui callent, recte iis et cum fructu utuntur; qui non callent, nihil proficiunt, nisi ut territent nonnullos *σὺν σάκει κωδωνοκρότῳ παλαισταί*. In iis instrumentis non ultimum tenent locum quae a grammaticis et artis dicendi magistris figurae vocantur, promptissimum omni ulceri emplastrum: quippe nomen silentium facit, ut, enallagen vel *ἐν διὰ δυοῖν* si memores, quaerere quid id sit indignum rati, fraudem sibi fieri patiantur. Et tamen vix ullam istarum invenias figurarum, quae si accuratius consideretur, ita sit explicata, ut, quae sit eius natura, quae vis, qui fines, qui usus, satis pateat. Libet id in una paucis ostendere, hyperbolen dico, non quo aut exhauriri posse tam infinitam materiam his paucis pagellis sperem, aut exquisita velim atque recondita in medium afferre, sed ut et errores quosdam removeam, et quae permulta de illa figura dici possunt, quas maxime in partes distribuenda videantur designem. Definivit eam his verbis Trypho, seu quisquis est scriptor libelli de tropis, duobus in Musеis criticis editi,

*) Edita est a. 1829.

Cantabrigiensi fasc. I. p. 52. et Vratislaviensi vol. I. p. 13. *ὑπερβολὴ ἐστὶ φράσις ὑπεραίρουσα τὴν ἀλήθειαν αὐξήσεως ἢ μειώσεως χάριν.* Quae sic vertit rhetoricorum ad Herennium scriptor IV. 33. *superlatio est oratio superans veritatem, alicuius augendi minuendive caussa;* Cicero de Or. III. 53. sic: *augendi minuendive caussa veritatis superlatio atque traiectio.* Alia eodem redeuntia commemoravit Weiskius noster in dissertatione prima de hyperbole errorum in historia Philippi Amyntae f. commissorum genitrice §. 1. At plus haec definitio continet, quam inest in hyperbole. Nam qui minus veritatis est augendi minuendive caussa facta superlatio, quum, qui de proeliis referunt, a centenis millenos caesos esse iactant? Et tamen neque est hyperbole, neque vocatur a quoquam. Quid autem adulationem dicam atque obtrectationem, quae eodem in genere totae versantur? Nimirum aliud est exaggeratio extenuatiove, qua qui utuntur, credi sibi quod dicunt postulant; aliud hyperbole, quae est oratio veritatem supra quam credi volumus excedens: ut illud Ciceronis in oratione pro Sextio c. 58. *nominatim sum appellatus in Bruto:*

Tullius, qui libertatem civibus stabiliverat:

millies revocatum est. Intellexit hoc Quintilianus, cuius aegre caremus libro de caussis corruptae eloquentiae, in quo se hunc locum plenius tractavisse ait: sed is tamen in Inst. or. VIII. 6, 74. ita scripsit: *monere satis est, mentiri hyperbolen, nec ita, ut mendacio fallere velit.* Itaque ipsi §. 67. hyperbole est *ementiens superiectio.* At ne haec quidem iusta finitio est. Praeterea fallitur hic quoque, minuendo inservire putans hyperbolen. Id minuere nihil est aliud quam augere exiguitatem, ut quod Longinus cap. 38. affert, agellum a comico quodam breviorem dictum esse epistola Laconica: aut quod ille de tropis scriptor ex Diphilo de muliere parum formosa:

ἣν ὁ πατὴρ ἐφίλησεν οὐδεπώποτε,
παρ' ἧς τὸν ἄρτον ἡ κύων οὐ λαμβάνει,

μέλαινα δ' οὕτως, ὥστε καὶ ποιεῖν σκότος·

quae non est formositatis imminutio, sed superlatio deformitatis.

In omni hyperbole requirimus ut iusta sit, i. e. ut contineat ea, in quibus natura posita est hyperbolae. Oportet igitur apparere, nimium dici eius quod extollere volumus. In qua re tribus modis peccari potest, vel quod parum est dicendo, vel tollendo supra modum, vel perperam augendo. Primum illud quum fit, prava est hyperbole eo, quod, quum speciem hyperbolae prae se ferat, re vera nulla est, ac minuit potius: ut, quum Romani sexcenta de numero modum excedente dicant, male eo verbo uteretur, qui ex matutina pluvia nubilum diem auguranti diceret, sexcenties, quum mane pluisset, post meridiem sudum fuisse. Contrarius huic error est, quum quid supra modum attollitur. Nam etsi in omni hyperbole nimium dici oportet, tamen etiam in nimio illud est nimium, quod rem monstruosum in modum auget. Mon-
5 struosum autem est, quod naturam rei perimit. Talis esset illa apud Homerum *ἑκατὸν πολέων πρυλέεσσ' ἀραρυῖα* galea Minervae, Iliad. V. 744. si is, quod nonnullis placuit, tam magnam dixisset, ut centum urbium peditatui sufficeret. Nam ea tam vasta est magnitudo, quantam in galea si cogitare quis velit, elabi animo imaginem galeae necesse sit. Tertium vitii genus perperam augendo cernitur: quod fit augendo eo, quod auctum vel nihil confert ad amplificationem rei, vel eam pervertit. Illud fecit Paullus Silentiarius in epigrammate ad amicam his versibus:

μηδὲν ἔοι τὸ μεταξύ· Σεμιράμιδος γὰρ ἐκεῖνο
τεῖχος ἐμοὶ δοκέει λεπτὸν ὕφασμα σέθεν.

Hunc murum Semiramidis, quem iure Ruhnkenius in epist. crit. I. p. 132. (75.) ut ridiculum et puerilem vituperavit, ex his Synesii ep. 4. acceptum esse monuit Toupius: *ὄντες ἐπιβάται πλεῖν ἢ πεντήκοντα, τριτημόριόν που μάλιστα γυναῖκες, αἱ πλείους νέαι καὶ ἀγαθαὶ τὰς ὄψεις.*

ἀλλὰ μὴ φθόνει. παραπέτασμα γὰρ ἡμᾶς ἀπετείχιζε, καὶ τοῦτο ἐῤῥωμενέστατον, οὐ πάλαι διεῤῥωγότος ἱστίου τεμάχιον, σωφρονοῦσιν ἀνθρώποις τὸ τεῖχος τὸ Σεμιράμιδος. Et Synesius quidem recte, ut quam impervium sibi velum illud esse putaverint indicaturus: male vero Paullus: qui si tenuissimae vestis obiectu nimium se ab amica distineri putabat, neque quanto spatio neque quam insuperabili septo arceretur, sed quam penitus, dicere debebat. Atqui penitus etiam quivis murus vel paries secluderet: auxit ergo, quo augendo nihil profecit. Alter perperam augendi modus, qui est in perturbanda amplificatione, in illa, cuius mentionem fecimus, Minervae galea ipse quoque conspicitur. Nam galea quum unius sit capitis tegumentum, perversum est eam multorum capitum capacem dicere, quia magnitudinem galeae non numero capitum, sed mensura illius capitis, cui destinata est, metimur: ut multo rectius mons dictus esset ista galea tegi posse. Sed permirum est, fuisse nostro quoque aevo viros eruditos, quibus *qui nil molitur inepte* tam absurdum quid videretur protulisse. Descripserat Homerus currum Iunonis; memoraverat insignia aegidis: mox ambas deas curru de caelo in Olympum, inde in campum Troianum, qua Simois et Scamander confluunt, vectas, hinc pedibus ad exercitum Graecorum progressas dicit. Et hac 6
in narratione, in qua aliud nihil abnorme invenitur, solam ille Minervae galeam a tam immani et monstruosa magnitudine laudaverit? non cogitaverit, corpus deae, si galea tanta esset, quantum esse debuerit? non viderit, tantum abfuisse, ut istiusmodi duo monstra (certe non brevior Iuno) locum in exercitu invenirent, ut vel solo pedis simul Graecos Troianosque debuerint proterere? Absit ut id credamus. Verissime illi, qui figuris militum ornatam dici galeam censuerunt: eodem modo, quo zona Iunonis Iliad. XIV. 181. *ἑκατὸν θυσάνοις ἀραρυῖα* dicitur. At, inquiat quis, vel sic centum urbium peditatus immodicum est et incredibile ornamentum galeae. Recte: sed quid si ne haec quidem iusta est illorum verborum interpretatio? Mirum certe, quod illos *πρυλέας* quam alio nomine

appellare maluit, praesertim si totos exercitus designabat, in quibus, si πρυλέες sunt pedites, non decebat equites, qui dignitate potiores sunt, praeteriri. At illud ipsum valde dubium est, significetne pedites ea vox. Est enim in iis, de quarum significatu ne veteribus quidem satis constabat. Id quum ex interpretibus Homeri et lexicographis, tum ex poetis recentioribus aliud atque aliud sequutis cognoscitur. Plerisque visi sunt pedites significari. Hinc scholiastes ad Iliad. XI. 49. ἡ διπλῆ, ὅτι φανερῶς πρυλέες οἱ πεζοί. ἀντιδιέσταλκε γὰρ τοὺς ἵππους. Et ad XII. 77. ἡ διπλῆ, ὅτι σαφῶς τοὺς πεζοὺς ὁπλίτας πρυλέας. Hesychius: Πρυλεῖς, οἱ μέν, πολλοὺς λαούς· οἱ δέ, προμάχους, ἢ πεζοὺς ὁπλίτας ἀθρόους. Προυλέσι, πεζοῖς ὁπλίταις. Πρυλέες, πεζοὶ ὁπλῖται, ἀπὸ τῆς πορείας, τουτέστι πορείᾳ χρώμενοι. Πρυλέεσσ' ἀραρυῖα, πεζοῖς ἡρμοσμένη. In Scholiis ad Iliad. V. 744. quod legitur, εἶχε γάρ, φασίν, ἐν ἑαυτῇ πολίτας τετυπωμένους πολέων ρ', scribi debebat ὁπλίτας, ut in sequente scholio. Conferendi porro Etym. M. p. 693, 31. Apollonius in lexico Homerico, Suidas, Eustathius p. 601, 1. Hic quidem et isto loco et p. 893. Herodiano placere ait, nominativum non πρύλις fuisse, quod nomen proprium est apud Lycophr. 222. sed πρυλής. Gortyniorum eam vocem esse testatur scholiastes ad Iliad. XII. πρυλέες, οὕτως Γορτύνιοι. Sed Eustathius, quum scripsit p. 893, 34. πρυλέες δέ, οἱ ἐν μάχῃ πεζοὶ κατὰ γλῶσσαν Γορτυνίων, ὡς φασιν οἱ παλαιοί, plus dixit, opinor, quam acceperat, addito, qua significatione usurparent Gortynii. Repetita sunt haec verba a Favorino in Excerptis p. 390. ed. Dindorf. Accepta vox ita a Manethone II. 215.

ἠδ' ἱππήων πρυλέων τε
ἡγεμόνας,

et a scriptore epigrammatis, quod inter incertorum est 596.

καὶ στίχας ἠδὲ φάλαγγας, ἰδ' ἀρραγέας παρατάξεις
ὁπλιτῶν πρυλέων, κρατερῶν πάλιν ἱπποκορυστῶν.

Neque enim distinguendum videtur, *ὁπλιτῶν, πρυλέων.* Cynegeticorum scriptor autem pro confertis posuit III. 124.

τοὶ δ' ἄρα δειλοὶ
τεῖχος ὑπ' εὐπτέρυγον πρυλέες τρίζουσι νεοσσοί.

Sed praestat, ex ipso, si fieri potest, Homero explicationem petere. Is eo vocabulo, praeter eum locum qui est de galea Minervae, ter usus invenitur. Iliad. XII. 76. Polydamas, quoniam equos per fossam Graecorum adigere periculosum esse videt, haec suadet:

ἵππους μὲν θεράποντες ἐρυκόντων ἐπὶ τάφρῳ,
αὐτοὶ δὲ πρυλέες σὺν τεύχεσι θωρηχθέντες
Ἕκτορι πάντες ἑπώμεθ' ἀολλέες.

Et hoc quidem loco grammaticis pedites visi sunt necessario intelligendi esse. Geminus huic est alius in XI. a v. 47.

ἡνιόχῳ μὲν ἔπειτα ἑῷ ἐπέτελλεν ἕκαστος
ἵππους εὖ κατὰ κόσμον ἐρυκέμεν αὖθ' ἐπὶ τάφρῳ·
αὐτοὶ δὲ πρυλέες σὺν τεύχεσι θωρηχθέντες
ῥώοντ'· ἄσβεστος δὲ βοὴ γένετ' ἠῶθι πρό.
φθὰν δὲ μέγ' ἱππήων ἐπὶ τάφρῳ κοσμηθέντες·
ἱππῆες δ' ὀλίγον μετεκίαθον.

Huius loci explicatio pendet ex primo versu, quem recte interpretatus est scholiastes: qui quae scripsit, ita sunt corrigenda: *ἐντειλάμενοι τοῖς ἡνιόχοις οἱ παραβάται ἐπὶ τῇ τάφρῳ σὺν τοῖς ἵπποις ἀναμένειν αὐτούς, ἐν ὅσῳ τοὺς ἵππους ἐκεῖνοι ζευγνύουσι, καὶ αὐτοὶ ἅμα τοῖς πεζοῖς διαβαίνουσι τὴν τάφρον, καὶ ἐκεῖνοι μετ' οὐ πολὺ καταλαμβάνουσιν ἅμα τοῖς ἵπποις.* Videri possunt hic quoque pedites dici: sed tamen nec necessitas ulla cogit, quia etiam si plane abesset illa vox, idem diceretur, et permirum est, quod alibi, qui relicto curru in solo stantes aliquid agunt, constanter *πεζοὶ* vocantur. Ex quo recte colligere videmur, aliud significari. Ac peropportune accidit, ut tertium apud Homerum exemplum exstet, idque magis quam superiora illa perspicuum. Iliad. XXI. 90.

ἦτοι τὸν πρώτοισι μετὰ πρυλέεσσι δάμασσας,

ἀντίθεον Πολύδωρον, ἐπεὶ βάλες ὀξέϊ δουρί.

Quomodo ille occubuerit, narratum XX. 411.

δὴ τότε νηπιέῃσι, ποδῶν ἀρετὴν ἀναφαίνων,
θῦνε διὰ προμάχων, εἴως φίλον ὤλεσε θυμόν.
τὸν βάλε μέσσον ἄκοντι ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεὺς
νῶτα, παραΐσσοντος.

Quae verba qui cum illis comparet, facile videat, qui *πρυλέες* dicuntur, *προμάχους* potius, quam pedites esse intelligendos: quamquam etiam amplius quid significari, pedum pernicitas, qua confisus fuerit Polydorus, arguit. Ea enim pyrrhichistae virtus est. Atqui pyrrhicha, teste Aristotele apud scholiastam Pindari ad Pyth. II. 127. a Cypriis *πρύλις* vocabatur, quae proprie Curetum armata saltatio est, memorata Callimacho h. Iov. 52.

οὔλα δὲ Κούρητες σὲ πέρι πρύλιν ὠρχήσαντο,
τεύχεα πεπληγοντες,

translata ad Amazones in h. Dianae v. 240.

αὐταὶ δ', Οὔπι ἄνασσα, πέρι πρύλιν ὠρχήσαντο,
πρῶτα μὲν ἐν σακέεσσιν ἐνόπλιον, αὖθι δὲ κύκλῳ
στησάμεναι χορὸν εὐρύν.

De ea saltatione videndi Hoeckius in Cretae vol. I. p. 213. et O. Müllerus in Doriensium vol. II. p. 250. et 337. Ex his efficitur, ut *πρυλέες* proprie dicti videantur praesules sive praesultores, qui ante caeteros progressi saltationem cum armis praeirent. Atque ex praepositione *πρὸ* certe factum est nomen, nisi etiam ex *λεώς*. Nam grammatici quas derivationes afferunt, perineptae sunt. Idem tripudii ritus Romae observatus ab Saliis, de quibus Festus: *redamtruare dicitur in Saliorum exsultationibus: quum praesul amtruavit, quod est motus edidit, ei referuntur invicem iidem motus. Lucilius:*

praesul ut amtruet hinc, ut vulgus redamtruet inde.

9 Conf. Nonius in v. *redamtruare*, et Gutberlethus de Sa-

liis cap. 25. Apparere ex his puto, qui factum sit, ut πρυλέες aliis πεζοί, aliis ὁπλῖται, aliis πρόμαχοι esse viderentur. Nam sunt haec omnia in illo nomine coniuncta, quia adhaerent officio praesulis, etsi nullum eorum primarium est. Iam igitur non exercitus centum urbium, sed praesultores dici videbuntur. Fuerintne etiam apud veteres, qui ita existimarent, non satis liquet ex his Eustathii p. 600, 45. τινὲς δὲ τὸ ἑκατὸν πολέων πρυλέεσσ' ἀραρυῖαν οὕτως ἔφρασαν· ἑκατὸν πολέων ἀριστεῖς ἔχουσαν· ἢ κεκοσμημένην τοῖς τῆς Κρήτης ὁπλίταις, τουτέστι τὰ τῶν Κορυβάντων ἔργα ἔχουσαν ἐντετυπωμένα. ὅτι δὲ ἑκατόμπολις ἡ Κρήτη καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ δηλοῦται. ὡς δὲ καὶ Κρῆτες οἱ Κορύβαντες, δῆλον καὶ αὐτό. Odysseae dicit XIX. 174. ubi nonaginta Cretae urbes memorantur: sed ἑκατόμπολις dicta Iliad. II. 649. Et Creticas saltationes bene notas fuisse Homero docent Iliad. XVI. 617. XVIII. 590. seqq. Omnino autem non prorsus absurda est illorum coniectura, qui Cretae centum urbes respici censuerunt, non quod Homerus has in mente habuerit, sed quod aliquis ante eum poeta. Nam permulta Homerus aperte ab antiquioribus poetis accepit, quae fere eo cognoscuntur, quod explicatus magis reconditos et a simplicitate Homerica alienos habent. Quibus nescio an hoc quoque et vel maxime sit adnumerandum. Licebit enim suspicari, illorum aliquem poetarum, quum de rebus Creticis caneret, Minervam descripsisse ex singulis urbibus singulos praesules cum armis tripudiantes in galea gerentem, non ineptum profecto insigne deae, quae fuit ubi Προμαχόρμας cognomine coleretur, teste Pausania II. 34, 8. Non infitior tamen, simplicius ideoque probabilius mihi videri, ἑκατὸν non esse cum πολέων, sed cum πρυλέεσσι coniungendum, ut πολέων πρυλέες quasi pro una voce sint, quae duces urbium apud antiquum illum poetam significaverit. Vtrumvis horum probet quis, certe non amplius centum viris galea habebat. Ea nec nimia, ut apud poetam, imaginum multitudo est, et rationem continet idoneam numeri centenarii, quem in fimbriis zonae non miramur, miramur autem in urbibus, quoniam,

si simpliciter bellatores cogitari vellet, duarum potius diceret hostilium expressos esse urbium exercitus. Accedit quod iam etiam equitum omissio iusta videbitur.

Sed redeo in viam. Genera hyperbolae tria posuit Demetrius in libro de elocutione §. 124. *τριττὴ δέ ἐστιν· ἢ καθ' ὁμοιότητα ἐκφέρεται, ὡς τὸ θέειν δ' ἀνέμοισιν ὅμοιοι· ἢ καθ' ὑπεροχήν, ὡς τὸ λευκότεροι χιόνος· ἢ κατὰ τὸ ἀδύνατον, ὡς τὸ οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη.* Malam hanc divisionem esse vidit ipse: quare sic pergit: *πᾶσα μὲν οὖν ὑπερβολὴ ἀδύνατος· οὔτε γὰρ ἂν χιόνος λευκότερον γένοιτο, οὔτ' ἂν ἀνέμῳ θέειν ὅμοιον· αὕτη μέντοι ἡ ὑπερβολὴ ἐξαιρέτως ὀνομάζεται ἀδύνατος.* Et profecto duplex est istius divisionis vitium: unum, quod iis quae fieri nequeunt nihil commune est cum similibus et comparatis: alterum, quod haec duo unum sunt, quia comparatio in utroque est, in altero parilitatis, in altero superationis: quod non latuit scriptorem rhetoricorum ad Herennium. Quintilianus §. 68 — 70. exempla quidem ille potius quam iustam divisionem dare volens, quinque genera commemoravit: quum plus facto diceretur, quum res per similitudinem attolleretur, quum per comparationem, quum signis quibusdam, quum translatione. Haec et similia qui attentius fuerit contemplatus, non genera diversa hyperbolae esse intelliget, sed consociationes hyperbolae cum aliis orationis figuris. Aristoteles in rhet. III. 11, 15. omnis probatae hyperbolae naturam in translatione videtur posuisse: *εἰσὶ δὲ καὶ εὐδοκιμοῦσαι ὑπερβολαὶ μεταφοραί.* Ac sane transfertur in omni hyperbole aliquid ex alia re in eam, quam ista accessione extollimus. Sed formae si discernendae sunt hyperboles, non est a fortuitis notis petenda differentia, quarum infinita multitudo et varietas est: verum ipsa videndum natura hyperboles quas vel contineat vel admittat diversitates.

Paucis summam rei complexus est Quintilianus §. 76. qui, *tum est*, inquit, *hyperbole virtus, quum res ipsa de qua loquendum est naturalem modum excessit: conceditur enim amplius dicere, quia dici quantum*

est non potest: meliusque ultra quam citra stat oratio. Quicumque utuntur hyperbole, utuntur propterea, quia non habent quo satis exprimant quantum sit id de quo loquuntur. Itaque praedicant de eo aliquid quod modum excedat, non quo id credi sibi velint, sed ut, quum ni- 11
mium dicitur, non satis dici posse qui audiunt intelligant. Quare omnis hyperbole concitati est commotique animi signum. Quod si genera quaedam constituenda sunt hyperbolae, distingui ea oportet pro diversitate animi affectionum. Quarum quum tanta et varietas sit et implicatio, multarum etiam affinitas, ut neque enumerari omnes neque inter se distingui posse videantur: non ipsae considerandae sunt, sed status illi animi, ad quos referuntur: qui sunt numero perpauci. Nam aut nullo sumus motu perturbati, sed in quotidianae vitae remissione subito excitamur rebus, de quibus sermo incidit; aut serio aliquid agimus et contentis viribus, saepeque etiam cupide; aut vacui ab negotiis animum rerum magnarum pulcrarumque contemplatione modo temperatius, modo usque ad exsultationem oblectamus; aut denique simulata perversitate acute dictis petulantem risum captamus. Horum quattuor animi statuum suum quique habet genus hyperbolae, fere illud vi et potestate magis quam forma a caeteris discretum.

Atque in familiari quidem consuetudine saepissime utimur hyperbole: sed quoniam hoc genus sermonis remissum est multaque temperatum negligentia, non paucae hyperbolae ita se paullatim in usum insinuarunt, ut nonnullarum vis pene exstincta sit, ut quum Graeci multa *μυρία*, Latini magnum *saevum* vel *insanum* vocant: in plerisque autem valde hebetata reperitur, ut quod iam Homerus dixit *γέλῳ ἔκθανον*, vel quod saepe oratores, *δέει τεθνάναι τινά*. Quare hae quidem fere non sunt in virtutibus orationis numerandae: immo, quoniam vulgo tritae sunt, saepe minus decent cultum atque expolitum dicendi genus.

Alia ratio est illarum, quas in agendis rebus seriis usurpamus. Earum magna varietas est, multique quasi gradus, prouti sedatior vel commotior est animus. Sed

de hoc genere non recte sentire video Longinum, qui cap. 38. latentes hyperbolas commendat his verbis: *μήποτ' οὖν ἄρισται τῶν ὑπερβολῶν αἱ αὐτὸ τοῦτο διαλανθάνουσαι ὅτι εἰσὶν ὑπερβολαί. γίνεται δὲ τὸ τοιόνδε, ἐπειδὰν ὑπὸ ἐκπαθείας μεγέθει τινὶ συνεκφωνῶνται περιστάσεως, ὅπερ ὁ Θουκυδίδης ἐπὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ φθειρομένων ποιεῖ* (VII. 84.)· *οἵ τε γὰρ Συρακούσιοι,*
12 *φησίν, ἐπικαταβάντες τοὺς ἐν τῷ ποταμῷ μάλιστα ἔσφαζον· καὶ τὸ ὕδωρ εὐθὺς διέφθαρτο· ἀλλ' οὐδὲν ἧσσον ἐπίνετο ὁμοῦ τῷ πηλῷ ᾑματωμένον, καὶ τοῖς πολλοῖς ἔτι ἦν περιμάχητον· αἷμα καὶ πηλὸν πινόμενα ὅμως εἶναι περιμάχητα ἔτι, ποιεῖ πιστὸν ἡ τοῦ πάθους ὑπεροχὴ καὶ περίστασις. καὶ τὸ Ἡροδότειον ἐπὶ τῶν ἐν Θερμοπύλαις ὅμοιον* (VII. 225.). *ἐν τούτῳ, φησίν, ἀλεξομένους μαχαίρῃσι, ὅσοις αὐτῶν ἔτι ἐτύγχανον περιεοῦσαι, καὶ χερσὶ καὶ στόμασι κατέχωσαν οἱ βάρβαροι βάλλοντες. ἐνταῦθ', οἷόν ἐστι τὸ καὶ στόμασι μάχεσθαι πρὸς ὡπλισμένους, καὶ ὁποῖόν τι τὸ κατακεχῶσθαι βέλεσιν, ἐρεῖς; πλὴν ὁμοίως ἔχει πίστιν· οὐ γὰρ τὸ πρᾶγμα ἕνεκα τῆς ὑπερβολῆς παραλαμβάνεσθαι δοκεῖ, ἡ δ' ὑπερβολὴ εὐλόγως γεννᾶσθαι πρὸς τοῦ πράγματος.* Nam non est omnino hyperbole, si narratur fidem superans, sed tamen verum. Nec fieri potest, ulla hyperbole ut lateat, quia eo est hyperbole, quod aperte nimium dicit. Alio modo Aristoteles iniquus videtur, quamquam de eo tantum quod oratorem deceat praecipiens, quum scribit: *εἰσὶ δὲ ὑπερβολαὶ μειρακιώδεις. σφοδρότητα γὰρ δηλοῦσι, διὸ ὀργιζόμενοι λέγουσι μάλιστα,*

οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε.
κούρην δ' οὐ γαμέω Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο,
οὐδ' εἰ χρυσείῃ Ἀφροδίτῃ κάλλος ἐρίζοι,
ἔργα δ' Ἀθηναίῃ.

χρῶνται δὲ μάλιστα τούτῳ οἱ Ἀττικοὶ ῥήτορες. διὸ πρεσβυτέρῳ λέγειν ἁρμόττει. Nam quo quis magis iratus est, eo vehementiore oratione utitur: ut, si irasci non est

puerile, ne hyperbole quidem, quales iratorum sunt, puerilis videri debeat, nisi si modum excedat: quod quum fit, etiam ira videbitur iusto maior esse, ut ipsa potius, quam hyperbole sit reprehendenda. Nec profecto in iis, quae de filia Agamemnonis dicit Achilles, quidquam est quod vituperari possit. Altero autem dicto recte offensus videtur Aristoteles, sed, qua est brevitate, non dixit argumenta. Non reprehendisset, opinor, si hoc, et nihil amplius diceret Achilles. Est enim haec hyperbole ex illo genere, quod usu debilitatum est. At videat mihi quis totum illum locum, Iliad. IX. 379.

οὐδ᾽ εἴ μοι δεκάκις τε καὶ εἰκοσάκις τόσα δοίη, 13
ὅσσα τέ οἱ νῦν ἐστί, καὶ εἴ ποθεν ἄλλα γένοιτο·
οὐδ᾽ ὅσ᾽ ἐς Ὀρχόμενον ποτινίσσεται, οὐδ᾽ ὅσα Θήβας
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται,
αἵθ᾽ ἑκατόμπυλοί εἰσι, διηκόσιοι δ᾽ ἀν᾽ ἑκάστην
ἀνέρες ἐξοιχνεῦσι σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν·
οὐδ᾽ εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε,
οὐδέ κεν ὣς ἔτι θυμὸν ἐμὸν πείσειε Ἀγαμέμνων,
πρίν γ᾽ ἅπο πᾶσαν ἐμοὶ δόμεναι θυμαλγέα λώβην.

Tot aliarum rerum commemoratione praegressa non potuit versus ille sic adiici, ut pro nota et usitata ratione loquendi haberetur: langueret enim: neque vero augendi caussa apte additus est: nam etsi arenae infinito maior quam divitiarum in Orchomeni vel Thebarum thesauris numerus est, minorem tamen ad animos audientium vim habet, quia splendoris cogitatione a divitiis illis superatur. Accedit quod, quae de Thebis adiecta sunt, iam magis compositum animum produnt, quam ut denuo aliquid augendi caussa afferri conveniat. Quocirca non inepte quis coniiciat, quae de Orchomeno et Thebis dicuntur, ornamentum esse, quod alius poeta addiderit omisso versu illo, in quo de arenis et pulvere est. Nam vel hoc versu omisso vel illis recisis apta atque elegans erit oratio.

Sed explicandum est de tertio genere dicendi, quod soli inservit animi oblectationi. Id poetarum potissime proprium est, quum vel admirationem rerum magnarum ex-

citare volunt, vel exuberante hilaritatis lepore venusta describunt. Praeivit in magnis exemplum Homerus, eximius ille maxime in ornandis diis, vidensque sagacissime, quas ferat amplificationes poesis, quasque repudiet. De ea re quis nescit quae ab Lessingio in Laocoonte et Herdero in Silvis criticis sunt disputata? Sed tamen illi, quamquam acute pleraque scienterque dixere, non ex omni parte hoc videntur hyperbolae apud Homerum genus perspexisse. Non optimi rhapsodi carmen esse, quo in libro Iliadis XXI. pugna deorum enarratur, monui in praefatione ad hymnos Homeri. Eo in carmine si Mars a Minerva prostratus v. 407. *ἑπτὰ ἐπέσχε πέλεθρα πεσών*, est illa
14 sane ingens hyperbole, quam poeta iste imitando expressit ex illo, quod in Odyss. XI. 576. de Tityo scriptum est:

ὃ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.

Hunc enim et eodem in libro v. 308. seqq. Otum et Ephialtem tam immani corporum mole fuisse, non deos, perhibet Homerus. Habet quidem tanta magnitudo in effigie quae oculis conspicitur, ut in statuis, eximiam vim ad animos admiratione et reverentia percellendos: ecqua enim aptior et luculentior est divinitatis imago, quam quae longe sit omni cum hominum formis comparatione superior? In poesi vero, sive dii inter se soli aliquid agentes, sive hominum mixti negotiis describantur, absurda est: nam aut perit plane, si eadem omnium proportio est; aut illata in hominum vitam, monstruosa diversitate proportionis perturbat omnia et pessumdat, ut supra in galea Minervae est observatum. Quare sapienter Homerus deos paullo tantum humana specie maiores finxit, et quales hominum sunt qui proceritate ante plerosque eminent: auxit vero per hyperbolen vires deorum, quas immensas cogitare animus sine perversitate potest. Ita illud Iliad. V. 859.

ὃ δ' ἔβραχε χαλκέος Ἄρης,
ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι
ἀνέρες ἐν πολέμῳ, ἔριδα ξυνάγοντες ἄρηος.

Quae de Neptuno repetuntur XIV. 148. In dea vero scite declinavit quod minus decorum videbatur, in V. 784.

ἔνθα στᾶσ' ἤϋσε θεὰ λευκώλενος Ἥρη,
Στέντορι εἰδομένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ,
ὅς τόσον αὐδήσασχ', ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

Ad idem genus pertinent illa, in quibus falluntur, qui corporis magnitudinem ingentem significari putant: ut quod de Neptuno est ex monte Sami Thraciae Aegas eunte Iliad. XIII. 17.

αὐτίκα δ' ἐξ ὄρεος κατεβήσετο παιπαλόεντος,
κραιπνὰ ποσὶν προβιβάς· τρέμε δ' οὔρεα μακρὰ καὶ ὕλη
ποσσὶν ὑπ' ἀθανάτοισι Ποσειδάωνος ἰόντος.
τρὶς μὲν ὀρέξατ' ἰών, τὸ δὲ τέτρατον ἵκετο τέκμωρ,
Αἰγάς.

Non enim in forma dei hyperbole est, sed in celeritate. Nam fingendus cogitatione est gradiens magnis gressibus, ut pingi in antiquis monumentis videmus, qui altero pede montis cacumen tanta vi et celeritate ferit, ut, dum gressum carpit, altero pede alius tangat montis verticem. Perspicue id declaratum est in equis deorum, ne illis quidem solito altioribus, Iliad. V. 770.

ὅσσον δ' ἠεροειδὲς ἀνὴρ ἴδεν ὀφθαλμοῖσιν,
ἥμενος ἐν σκοπιῇ, λεύσσων ἐπὶ οἶνοπα πόντον,
τόσσον ἐπιθρώσκουσι θεῶν ὑψηχέες ἵπποι.

Sed argumentum, qui immania diis corpora tribuisse Homerum censent, luculentissimum in Eride propositum putant his versibus Iliad. IV. 439.

ὦρσε δὲ τοὺς μὲν Ἄρης, τοὺς δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
Δεῖμός τ' ἠδὲ Φόβος, καὶ Ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα,
Ἄρεος ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη ἑτάρη τε,
ἥτ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
οὐρανῷ ἑστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.

At haec non formae, quam dea Eris habeat, descriptio,

sed hyperbolica comparatio est, qua natura declaratur numinis ficti, de quo numinum genere egregie disseruit Nitzschius in praefatione commentarii in Odysseam: ut, si mentem poetae simplicius enuncies, hoc ille dicat: contentionem incitasse exercitus, quae a parvo initio in immensum soleat augeri, ut, si humanam speciem habeat, ea sensim accrescens mox capite sit caelum tactura. Haec quidem de magnis. Sed est etiam in venustis et lepidis hyperbolae locus, idque eo magis, quo magis lascivit exsultans hilaritas: quae saepe ita luxuriatur, ut quidvis arripiat, in quod impetum suum effundat. Hinc illae hyperbolae, quibus quid vel secum ipsum, vel cum alio persimili, vel cum prorsus dissimili comparatur. Demetrius §. 127. *τὸ δὲ χρυσῷ χρυσοτέρα τὸ Σαπφικὸν ἐν ὑπερβολῇ λέγεται καὶ αὐτό, καὶ ἀδυνάτως, πλὴν αὐτῷ γε τῷ ἀδυνάτῳ χάριν ἔχει, οὐ ψυχρότητα· ὃ δὴ καὶ μάλιστα θαυμάσειεν ἄν τις Σαπφοῦς τῆς θείας, ὅτι φύσει κινδυνώδει πράγματι καὶ δυσκατορθώτῳ ἐχρήσατο ἐπιχαρίτως.* Non uteretur hoc iratus Achilles, ubi dicit

κούρην δ' οὐ γαμέω Ἀγαμέμνονος.

16 Idem §. 162. huic addit aliud Sapphicum, *πολὺ πακτίδος ἀδυμελεστέρα*, et illa, quae iam supra commemoraverat, *ὑγιέστερος κολοκύντης* et *φαλακρότερος εὐδίας*. In oratore iure haec improbat Gregorius Cor. in commentario in Hermogenem p. 914. ed. Reisk.

Sequitur denique quartum genus, quod est in ridiculo. Ac ridiculum quum in rerum non consociabilium coniunctione cernatur, quae res tamen consociari, sed alio modo, patiantur, perversitatem aliquam in hyperbole, quae risum moveat, inesse oportet. Huius quae sit ratio, optime monstrant pictores, quum ora et formas hominum pingunt portentosum in modum porrectas, contractas, distortas, sed ut tamen et species maneat humana, et, si certorum hominum faciunt imagines, etiam similitudo. Multa huiusmodi in Plauti Milite exstant, et quis non novit celebrata illa Munchusiana, qui liber fere totus ex talibus est hyperbolis compositus? Sed Luciani utar ex Timone

exemplo. Ibi cap. 50. seq. Demeas orator, simulatque thesaurum a Timone repertum audivit, decretum ab se scriptum recitat, ex quo ille quum propter alia temere ficta merita, tum propter plurimas victorias Olympicas, quos ludos ne spectaverat quidem umquam, aurea statua sit honorandus; mox autem percussus a Timone, arcem ab eo incensam, aurumque ablatum vociferatur: et quae alia huiusmodi facetissime ibi dicentem fecit Lucianus. Sunt hae hyperbolae, quod et laudandi et criminandi caussa ea dicuntur, quae quivis videat plus vero continere: ridiculae autem sunt eo, quia, quum gratia conciliari possit extollendis quae quis fecerit, absurdum est eam captare praedicandis iis, quae quis non fecerit, ac ne potuerit quidem facere: eademque etiam criminationum ratio est. Intelligitur ex tali exemplo, qua conditione mentiri possit hyperbole. Potest tum, quum non persuadere quod mentitur, sed propter absurditatem rideri vult. Id est, quod initio dicebamus, exaggerationem, quia credi postularet, non esse hyperbolen. Quare etsi, qui adulantur vel obtrectant, transgrediuntur fines veri, ac saepe mera proferunt mendacia, tamen quia videri vera dicere, si non omnibus, at quibusdam volunt, et in adulando quidem plerumque iis quos adulantur ipsis, in obtrectando autem 17
aliis, non utuntur hyperbole, sed exaggeratione vel attenuatione: in qua si mentiuntur, sicut omnes qui mentiuntur, latiturum esse mendacium sperant. Nam aperte falsa dicere non est mentiri, sed aut ludere, aut errare, aut non sanae mentis esse.

Revocat hoc mihi in mentem ea, quae nuper de iudiciis capitalibus, quae Areopago Ephialtes eripuerit, disputata sunt. Recto in ea re atque incorrupto iudicio usus est Petr. Guil. Forchhammerus,*) quum rem confectam censuit luculentissimo testimonio Demosthenis, cuius haec

*) Post hunc etiam alii de hac caussa disputarunt, quorum de sententiis docte disseruit Car. Fr. Hermannus in Annalibus Heidelbergensibus a. 1830. fasc. VII. p. 689—701.

verba sunt in oratione contra Aristocratem p. 641, 28. *τοῦτο μόνον τὸ δικαστήριον οὐχὶ τύραννος, οὐκ ὀλιγαρχία, οὐ δημοκρατία τὰς φονικὰς δίκας ἀφελέσθαι τετόλμηκεν, ἀλλὰ πάντες ἀσθενέστερον ἂν τὸ δίκαιον εὑρεῖν ἡγοῦνται περὶ τούτων αὐτοὶ τοῦ παρὰ τούτοις εὑρημένου δικαίου.* Vix credibile videatur, sperni tam locupletem testem potuisse. Tamen factum est. Nam quum Tayloro auctore creditum esset, etiam de caede iudicandi potestatem ademptam esse Areopago, repellendus esse visus est, qui contrarium affirmaret, Demosthenes, tamquam qui rem exaggerasset ornandi Areopagi caussa. Quod non erat provide circumspecteque iudicatum: sed dictum semel repetitumque ab aliis, defensum est, sive quod verum esse crederetur, sive, ut fit, ne prolatum videretur quod falsum esset. At priusquam argumenta, quae communiendae illi opinioni essent, conquirerentur, videndum erat, ne repudiatus esset Demosthenes inconsideratius. Nam quid est tandem exaggeratio? Exaggerari quidem non potest, quod nullum est: quia quae non sunt, neque augeri possunt nec minui. Quare si quodam tempore non habuit potestatem illam Areopagus, quomodo per exaggerationem dici potuit nullo tempore non habuisse? Neque vero est extenuatio: quae exaggeratio est exiguitatis. Ea quidem quum saepe ita fiat, ut quod parum est vel nihil esse vel non esse dicatur, videri posset Demosthenes rem extenuasse, si et adempta illa iudicia Areopago per breve tempus fuissent, et ipse esset aliter loquutus. At novem circiter Olympiades non esse in Areopago de caede iudicatum volunt: Demosthenes autem diserte nullo in statu rei publicae intermissa illa
18 iudicia esse ait, atque ne ausum quidem umquam esse quemquam illud institutum mutare. Ergo neque exaggeravit neque extenuavit, sed mentitus est, et quidem non solum impudentissime, quum omnes, qui eam orationem audiebant, falsa dici scirent, sed etiam stultissime, quia eo mendacio caussae illi, in qua demonstranda tam accurate elaboravit, aperte nocuisset, nulla praesertim necessitate ut ista diceret urgente. Credant haec qui volent:

nihil enim non creditur. Sed qui non credent, eo magis vera dicere Demosthenem censebunt, quod ademptis iudiciis capitalibus Areopagus de Areopago esset sublatus. At, inquiunt, aperte repugnat Demostheni Lysias, redditam Areopago sua aetate potestatem illam testificans. Miror ego quidem, huius verba etiam Forchhammerum ita commovisse, ut et de scriptura dubitaret et eas admoveret machinas, quas non fert usus dicendi. Neque his neque aliis machinis opus. Nam eadem ipsa verba, quibus contrarium quam Demosthenes testari visus est Lysias, si aliter interpretere, tantum abest ut repugnent Demosthenis dicto, ut id etiam confirment. Recitata lege ex tabulis Areopagi, p. 94, 31. (p. 31. ed. Reisk.) ita loquitur: *ἀκούετε, ὦ ἄνδρες, ὅτι αὐτῷ τῷ δικαστηρίῳ τῷ ἐξ Ἀρείου πάγου, ᾧ καὶ πάτριόν ἐστι καὶ ἐφ' ὑμῶν ἀποδέδοται τοῦ φόνου τὰς δίκας δικάζειν, διαῤῥήδην εἴρηται τοῦτον μὴ καταγινώσκειν φόνου, ὃς ἂν ἐπὶ δάμαρτι τῇ ἑαυτοῦ μοιχὸν λαβὼν ταύτην τὴν τιμωρίαν ποιήσηται.* Ambiguum verbum est *ἀποδέδοται*, quod et *redditum est* significat, et quod Romani iuris consulti dicunt *competit*. Vtro significatu dictum esset, illos qui audiebant oratorem latere non potuit: nobis vero ambiguum videatur necesse est, qui non sciamus, sed quaeramus, ereptaene illae quoque causae aliquando Areopago et post redditae sint, an numquam creptae. Quid fuit igitur, cur altera interpretatio acciperetur, altera plane reiiceretur? Non est id obscurum. Nam si numquam caedis iudicia adempta sunt Areopago, ineptus videatur necesse est orator, qui dicat istas cognitiones et patrias ei esse et sua aetate competere, quasi dubitari possit, an, si id numquam non fuit, nunc non sit. Concedo non posse non ita videri, primo quidem adspectu. Sed accuratius rem consideranti secus esse apparebit. Defendit se is, qui adulterum interfecerat, lege Areopagi. Illius igitur legis 19
quanta debeat auctoritas esse ut ostendat, Areopagum illud esse iudicium dicit, cui et patrium sit de caede iudicare, et nunc quoque ea potestas competat. Cur

vero nunc quoque, inquiunt, si numquam erepta fuit? Nempe ob id ipsum. Idem est enim ac si diceret, et patrium esse id Areopago, nec nunc ademptum esse, quum ademptae sint aliarum rerum multarum cognitiones. Nam illud quidem apertum est, non potuisse Lysiam illud *καὶ ἐφ᾽ ὑμῶν ἀποδέδοται* adiicere, nisi idoneam caussam haberet: referuntur enim haec verba manifesto ad dubitationem aliquam de auctoritate Areopagi. Quam ut hac ipsa in caussa, quam defendit, maximam esse ostendat, non satis habet patrium id Areopago iudicium dicere, sed addit etiam, mansisse ei proprium, quamvis aliis in rebus attrita sit atque imminuta eius potestas. Id si loci illius ratio ornatius dici pateretur, iisdem poterat verbis uti, quibus est usus Demosthenes. Sed ne quis nobis opponat, *ἐφ᾽ ὑμῶν* non esse *nunc*, sed *vestra memoria*, nec minus absurde dici *ἐφ᾽ ὑμῶν ἀποδέδοται*, quam si quis Latine dicat *vestra memoria competit:* paucis momemus id falsum esse. Nam ea loquendi forma praesentis temporis omnem permanentem statum notat, nec tantum ad ea, quae in eo spatio iam praeterierunt, sed etiam ad nunc praesentia atque adeo ad futura refertur. Neque id cuiquam ignotum esse credo. Ideo ne dissimulandum quidem est, ubi non e re tua sit. Xenophon de vectig. **6**, **1**. *πῶς οὐκ ἄξιον ὡς τάχιστα τούτοις ἐπιχειρεῖν, ἵνα ἔτι ἐφ᾽ ἡμῶν ἐπίδωμεν τὴν πόλιν μετ᾽ ἀσφαλείας εὐδαιμονοῦσαν.* Demosthenes in ipso fine orationis ad Pantaenetum p. **984**. *οὐ γὰρ εἰ μὴ τῶν δικαίων ἐγὼ παρ᾽ ὑμῶν τεύξομαι, τοῦτ᾽ ἐστὶ δεινότατον, ἀλλ᾽ εἰ πρᾶγμα δίκαιον ὡρισμένον ἐκ παντὸς τοῦ χρόνου νυνὶ καταλύσετε ἐφ᾽ ἡμῶν.*

DE INSCRIPTIONIBVS QVIBVSDAM GRAECIS. *)

In lectionibus Academicis, quas super arte critica habebam, quum ad eum locum pervenissem qui de inscriptionibus in monumentis est, vellemque quid in eo genere observandum esset exemplo aliquo ostendere, venerunt in mentem mirabiles illi ταχείριοι, quos in censura Syllogae epigrammatum Graecorum a Welckero editae attigeram. Istam igitur inscriptionem, (est autem numero centesima) quam tum obiter nec de industria consideraveram, ad eum usum adhibere constitui, nihil referre ratus, seu posset seu non posset explicari. Non enim artis criticae est ex nihilo aliquid producere, sed videre, possitne aliquid an non erui, et, si aliquid, quid illud esse sana et sobria ratio probabili argumentatione evincat. Itaque quum librum, ex quo sumpta est illa inscriptio, ipsum inspicerem, quod, quum censuram illam scribebam, ut alienum a consilio meo non feceram: volebam enim illo tempore dumtaxat de vocabulo quod Welckerus invenisset dicere: statim animadverti aliquanto

*) Germanice scripta haec prodierunt in Iahnii Annalibus a. 1829. vol. II. fasc. II. p. 209. seqq. et 1830. vol. II. fasc. IV. p. 455. seqq.

certiora quam factum esset posse afferri. Ipsa per se inscriptio non magni pretii est, sed tamen non contemnenda, quia habet quaedam utilia. Praeterea aptissima est ad monstrandum, quid faciendum, quid non faciendum sit, si quis inscriptiones considerate velit et iusto cum successu tractare. Quare operae pretium facturus mihi videor, si de inscriptione illa, perpensis quae hactenus allata sunt, explicatius exponam. Simulque hoc me effecturum spero, ut Welckerus ipse intelligat, me de libro eius in censura illa neque inique nec cupide iudicasse, librumque illum si quis totum sic, uti nunc una in inscriptione faciam, percensere voluerit, non defuturam esse materiam confirmandae quam pronunciavi sententiae.

Apertum est in explicandis inscriptionibus ante omnia de iis quae externa dicimus quaerendum esse: qua in terra inventa sit inscriptio; quo loco posita; quid circa eam fuerit; quid praeter ipsam monumento contineatur, num statua, an imago, et ea cuius rei; deinde integrumne sit an mutilatum, et quo modo laesum; postremo ipsa scriptura et quidquid ad eam pertinet quo modo sit comparatum. Hinc merito aegre ferimus, si horum aliquid, quo forte uti possemus, non est indicatum, maximeque quod ad scripturae et litterarum formam attinet. Nam si litterarum aliae figurae, versuum aliae divisiones, vocabulorum alia scribendi ratio exhibetur, vacillat firmo fundamento destituta opera critici. Cui quum rarissime contingat ut ipsa ante oculos habeat monumenta, plerumque autem exemplis imitando captis vel narrationibus fidem habere debeat: religiosissime curare oportet, qui recte disserere de inscriptionibus vult, ut ad primum et certissimum et maxime integrum fontem redeat. Quod si circumspecte atque ut persuadeat aliis procedere volet, ipse primo sic exhibebit inscriptionem, ut omnia, quae ad iudicium faciendum aliquid momenti habeant, quam plenissime atque evidentissime ante oculos ponantur. Id vero a Welckero tantopere neglectum est, ut forma, qua hoc de

quo dicimus epigramma edidit, lectorem non possit non plane in errorem abducere. Praebuit ille octo disticha elegiaca, quorum tertium et quartum lacunis hiant, ut, qui intueatur epigramma, non possit dubitare quin in lapide versuum sexti et septimi nihil nisi initia, octavi paucae e medio syllabae supersint, quae autem partes horum versuum punctis notatae sunt, earum vacua detritis litteris spatia conspiciantur. At librum, ex quo epigramma petiit Welckerus, si quis inspiciat, lacunarum nullum vestigium, disticha autem non octo, sed septem inveniet. Quare qui Welckero vel fideret, vel fidere, quod Gudii libro careret, coactus esset, non pentametrum corruptum corrigere, sed tres numquam scriptos versus resarcire allaboraret: quod ei si successisset, potitum Gudii libro poeniteret perditae operae.

His praemissis, omnia quae Welckerus de epigrammate isto scripsit, ipsis verbis afferam, addamque, quae mihi monenda videntur. Sic igitur ille: *Fr. Hessel. Praef. Append. ad Gudii Inscriptt. p.* **42**. *De huius inscriptionis salebris nemo iudicare potest, nisi qui siglorum aenigmata litteris intermixta examinaverit eiusque enodandae periculum ipse fecerit. Num operae pretium facturus sit, nolo equidem quaerere. Lapidem Hesselius his verbis describit: „In medio stat imago muliebris nuda, a tergo partem vestis fluxae ad interfeminium trahente laeva manu, dextra pectori laevo admota, et super eodem brachio lacinia exstante, cuius pars lateri dextro dependet, ornatis capillis, ventre prominulo ut praegnantis; sed de hoc consuli possunt inscriptiones“* (*de hoc quidem illae ne γρῦ quidem*) *„utrimquesecus hexametris versibus et pentametris“* (omisit *et pentametris* Welckerus) *„sculptis infabre, nec, ut videtur, una eademque manu, litteris inaequalibus, parum incisis, quibusdam extritis, dubiis virgula subnotatis.“ De diversa manu omnino dubito. Defuncti imago inscriptioni intersita est etiam n.* **46**. **51**. *et aliis, ut in cippo Gruteriano p.* **649**, **6**.

Parum accurate loquutus est Hesselius, quum scripsit *dubiis virgula subnotatis*. Quae verba patet non ad lapidem, in quo litterae dubiae virgula notatae sint, sed ad exemplum inscriptionis, in quo ipse eas litteras virgula notaverit, esse referenda.

Siglorum aenigmata, quae Welckerus in scriptura invenisse sibi visus est, nulla in ea sunt, sed quae sic appellat litterae sunt binae, ternae, quaternae communi linea copulatae. Sic *NΔ*, *NE*, *ME*, *ΠP*, *NME*, *HNH*, *NMNH*, aliaeque litterae in unam coniunctae figuram sunt eo, quod prioris cuiusque ultima linea simul prima sequentis est. Obscurum atque ambiguum plane nihil, sed omnia clare distincteque perscripta.

Vbi Welckerus trium versuum fragmenta exhibuit, in ipsa inscriptione nihil nisi unum corruptum pentametrum esse, legentibus librum suum non indicavit. Hesselius non opus habebat de ea re dicere, ut qui depictam repraesentaret lapidis scripturam. Welckerum vero, qui inscriptionem vulgaribus typis, et pro metro in versus distinctam, atque adeo hic illic mutatam exhiberet, quam maxime oportebat accurata descriptione efficere, ut lectores quae ad rem facerent cognoscere possent atque perpendere. Ille quod omisit, nunc ego faciam. Ab utroque latere figurae muliebris posita est inscriptio, et quidem in sinistra parte disticha tria priora, in dextra quattuor reliqua. Hesselius non exhibuit imaginem mulieris, sed solam adumbrationem spatii, quod illa implebat. Quae spatii delineatio tamquam in solo stat in linea transversa per totum lapidem ducta. Sinistrum latus lapidis continet versus XIX. quorum XVI. super ea linea, reliqui III. infra sunt. Dextrum latus, cuius paullo maior latitudo est, non nisi XVI. versus habet, qui quod fere XVI. primis alterius lateris versibus respondent, omnes sunt supra istam lineam scripti. Iam quum sinistri lateris postremis tribus versibus nihil in dextro latere oppositum sit, coniecisse videtur Welckerus, vacuum illud spatium litteris impletum fuisse. At nihil omnino caussae erat cur sic exi-

stimaret, siquidem neque Hesselius quidquam de lacuna dixit, neque in pictura ullum deletae scripturae vestigium cernitur. Quin si quid illo in latere scriptum fuisset, plus spatii est, quam ut non multo maior et plures, quam visum est Welckero, versus complexa lacuna esset sumenda. Ex quo consequitur lacunas temere a Welckero esse confictas.

Quae retulimus, etiam aliam ob caussam memorabilia sunt. Nam Hesselius quum inscriptiones non ab una eademque manu scriptas videri dixit, non opus habuit quidquam addere, quoniam pictas eas, ut in lapide sunt, dabat. Ad quod si Welckerus respondet *de diversa manu omnino dubito*, primo lector nescit quid hoc sit, quia neque quomodo comparata sit scriptura, neque ubi prior manus desierit, altera autem inceperit scribere, accipit. Deinde vero etiam prorsus sine caussa sic pronunciavit Welckerus. Patet enim scripturam apud Hesselium consideranti, nequaquam illum temere de duplici manu cogitasse. Nam sinistrum latus, in quo tria priora disticha sunt, ubique rotundis ductibus praebet *E*, *Θ*, *O*, *Σ*, nec nisi ter *E* forma quadrata, semel versu tertio decimo, quia *ME* communi linea cohaerent; deinde in litteris quae pro dubiis habentur versu sexto decimo et duodevicesimo; *O* littera autem bis, versu septimo, et inter litteras dubias versu septimo decimo quadrata est, stans in angulo; *Θ* et *Σ* vero quadratam formam nusquam habent. At in altero latere lapidis istae quattuor litterae omnes ubique habent formam quadratam, nec nisi bis invenitur *O* rotundum, semel versu decimo, et minutum versu septimo. Porro in sinistro latere bis tantum duae litterae communi linea iunctae, versu tertio decimo, quarum supra mentionem fecimus, *ME*, et in primo versu *NΔ*. In dextro autem latere septies et vicies duae isto modo litterae copulatae sunt; sexies ternae; semel adeo quaternae. Postremo in sinistro latere fines metrorum puncto notantur, praeterquam versu septimo, in quo curvum comma est, quod nescio an errori tribuendum sit, aeque ut accentus in *O* versu

septimo decimo. In altero latere autem semel tantum in fine metri punctum est, aliis in locis virgula, quam Hesselius minuscula ι significavit. Haec quidem satis idonea videntur indicia esse, quibus suspicionem duarum manuum non ut inanem repudiemus. Apparebit autem aliquid in ea re momenti esse ad formandum de universa inscriptione iudicium.

Sed ut etiam sine Hesselii pictura recte iudicari possit, sic scriptam dabimus inscriptionem, uti ab Hesselio est exhibita, nisi quod linea perpendiculari locum indicabimus eum, quo in lapide sculpta est figura mulieris; quae autem in secundo, i. e. dextro latere posita sunt, separatim ponemus, utroque latere numeris notato. Ac ne novis typorum formis opus esset, solum rotundum Σ per *C* expressi, pro Ω littera autem inversum *M*, quae figura in ipso lapide apud Hesselium est, posui; tum autem quas litteras Hesselius ut dubias lineola notavit, minore corpore ut distinguerentur curavi.

I.

ΔΜΜΑΝΔΜΡΟΘΕ
ΑC ΜΕ ΤΑΧΕΙΡΙΟΙ
ΤΗΝ ΟΜΟΔΟΥΔΟΝ
ΠΔΡΘΕΝΟΝ
ΕΙC ΑΙΔΗΝ ΘΑ
ΠΤΟΝ ΑΠΕΡ
ΧΟΜΕΝΑΝ, ΑΡ
ΤΙΔΕ ΤΟΝ ΑΝ
ΑΜΡΕΧΟΑC ΧΕΙ
ΟΥCΑΙ ΑΠΟΔΗ
ΜΟΝ· ΝΥΜΦΙ
ΟΝ ΕΚ ΠΕΔΑΓΟΥC
ΕΙΔΟΝ ΕΠΕΡΧΟΜΕ
ΝΟΝ· ΑΔΔΟΜΕΝ
ΕΝΓΥCΕ ΤΔΗ
ΚΑΙ CΥΗΜΕΝΑΙΚΑΙΕ

ΠΙΔΔΑΚΡΥCΑΙ ΤΟΥΔΕΙΥ
ΜΗΔCΝΕΘΗCΕ ΤΑΟ
ΜΕΝΔΕΓC ΑΙΔΑΧ

II.

ΟΥΝΟΜΑΜΕΝΜΑΚΕ
ΤΑΙC ΕΠΙΧΩΡΙΟΝΟΥΝΕ
ΚΑ ΜΕΜΦΘΗι ΜΗΔΕΕΝΙ
ΚΟΠΡΙΑΝΜΕΩΝΟΜΑΣΑΝΙΕΑΕ
ΤΑΙι ΟΥ ΓΑΡ ΑΤΕΙΜΟC ΕΠΝΠΑ
ΡΑ ΔΕΣΠΟΤΑΙΣ ΑΛΛΑΜΕ ΘΕ
ΥΑΝ· ΑΥΤΟΙ ΚΑΙ ΚΟΙΤΟΝ ΧΕΡ
ΣΙΝΕΜΑΙΣ ΚΟΜΙΕΙΝι
ΔΩΚΑΝΤΙΜΗΕΝΤΑ κα
ΧΥΣΔΕΜΕ ΠΑΡΘΕΝΟΥ
ΣΑΝι ΔΑΙΜΩΝΙΣΑΙΔΕΝ
ΠΕΝΨΕΝΑΜΕΙΔΙΧΙΗΣι
ΑΛΑΚΑΙΩΣ ΤΕΟΝΩΕΑΝΕ
ΤΕΙΜΕΟΝΕΝΤΑΦΙΟΙΣΙΝι
ΚΑΙ ΤΥΝΒΟΝΓΡΑΨΑΝΜΝΙΙ
ΜΟΣΥΝΗΣ ΕΝΕΚΕΝ

Consideranti initium inscriptionis in priore latere, *Δμωὰν Δωροθέας με ταχείριοι — θάπτον*, ipsa illa mulier, in quam factum est epigramma, loqui videbitur. Quare non est veri dissimile, unum epigramma per ambo latera continuari, quae Welckeri opinio fuit. Sed tamen inconsideratius statueret, qui id pro certo haberet, neque, quum et litterarum formae nonnihil differant, neque alterius lateris initium ad aliquid quod praegressum sit referatur, putaret etiam in utrovis latere separatam ab altera posse inscriptionem perscriptam esse. Quocirca quum in arte critica semper ab eo proficiscendum sit, quod certum est et in quo ut in firmo fundamento licet consistere, initium capiamus ab altera parte inscriptionis, quae satis incorrupta est. Ponam autem verba Welckeri, ad numeros, quos ille versuum metricorum adscripsit, adiectis numeris quos uncis separavi versuum, qui in ipso lapide conspiciuntur.

V. 9. (1. 2.) *Μακέτης, Macedo. Steph. B. c. not. Hesych. Sil.* XIII. 878. *Ἐπιχώριον, quum scri-*

psissem ἐπιχείριον, emendabat Niebuhrius, et video nunc esse in lapide M inversum pro Ω forma satis usitata.

Non potest dubium esse, quin recte legerit Niebuhrius, tum quia plane non licet aliter legere, quum inversum *M* pro *Ω* non solum forma sit satis usitata, sed ea forma etiam sola et constanter in hac inscriptione usurpetur; tum propter sententiam. Ac non elucet, quomodo Welckerus id non primo statim adspectu intellexerit, multoque minus, quomodo in *ἐπιχείριον* potuerit incidere. Nam quid est *ὄνομα ἐπιχείριον?*

V. **10.** (**3. 4.**) *Sine controversia legendum ΕΝΙΚΟΠΡΙΑΝ, etsi syllaba ΚΟ singulari litterarum nexu compendiario expressa est. ΓΕΑΕΤΑΙ muto in ΓΕΝΕΤΑΙ. Scripseram μηδὲ ἐνικοπρίαν, ancillam coniiciens nomen Macedonicum ambiguae aut malae extra illam terram significationis habuisse, quod petat ne quis malignius premere velit; neque enim dominos ad verbum id cepisse vel ἐνικοπρίαν ipsam appellasse.*

Praeterquam quod huiusmodi nomen non *Ἐνικοπρία*, sed *Ἐγκοπρία* fuisset, patet Welckerum *μεμφθῇ μηδὲ* legisse, quod idem esset ac *μηδὲ μεμφθῇ;* putasseque, quod Graece dicendum erat *μηδὲ μεμφθῇ, οὕνεκα Ἐγκοπρίαν με ὠνόμασαν γενέται*, hac posse constructione significari: *οὔνομα μὲν οὕνεκα, μεμφθῇ μηδέ, Ἐνικοπρίαν με ὠνόμασαν γενέται.* Quam compositionem verborum num quisquam pro Graeca habiturus esset, merito quaesitum oportuerat.

Quibus nunc praefero, quod Niebuhrio debetur, memori praeconis Κοπρέος. Neque alienus est Copronymus. Fuit et pagus Atticus Κόπρος dictus. v. Corp. Inscr. T. I. p. **216.** *Pro μηδένι severior ratio postulat οὐδένι. Sed interdum μὴ inveniri, ubi meliorum scriptorum usus οὐ requirat, monet Hermannus ad Eurip. Suppl.* **1130.**

Recte Welckerus Niebuhrii monitu dedit, *οὔνεκα μέμφθη μηδὲ ἑνὶ, Κοπρίαν μ' ὠνόμασαν γενέται:*

sed non debebat dicere se id nunc praeferre illi quod prius sine controversia legendum pronunciaverat. Nam de praeferendo non potest sermo esse, ubi alterum evidenter verum, alterum non modo aperte falsum, sed ne cogitabile quidem est. Testimoniis a Boeckhio de pago, qui *Κόπρος* vocabatur, allatis addendus Isaei locus p. 15. ed. Reisk.

V. 11. (6. 7.) *ΑΛΑΜΕ ΘΕΥΑΝ. Correxit Iacobs.* *ΕΘΡΕΨΑΝ. Sic n.* 81, 2. legitur *ΘΑΥΕ pro ΘΑΨΕ, et n.* 81, 1. *ΤΕΞΑΝ pro ΤΕΥΞΑΝ.*

Hoc posterius exemplum allatum est ad comprobandam omissionem litterae, quoniam *P* in inscriptione nostra deest. Vereor tamen ne in eam non quadret. Veri simile est enim scriptum fuisse *P*, sed retro versum hac forma ꟼ, iunctumque communi linea cum sequente *E*.

V. 13. (9—11.) *Epitheton τιμήεις verniliter dominae lecto iugali inditum. Infra n.* 194, 2. *βῆμα τίμιον. Odyss.* XXIII. 227. *Εὐνῆς ἠμετέρης, τὴν οὐ βροτὸς ἄλλος ὀπώπει, Ἀλλ' οἶοι, σύ τ' ἐγώ τε καὶ ἀμφίπολος μία μούνη. ΚΑΧΥΣ. ΠΑΡΘΕΝΟΥΣΑΝ.*

Observari debuerat, *ΚΑ* syllabam ab Hesselio in dubiis esse notatam. Caeterum recte Welckerus *ταχὺς* et *παρθένον οὖσαν* exhibuit.

V. 14. (11. 12.) *ΙΣΑΙΔΕΝ, supra recte ΕΙΣ ΑΙΔΗΝ. ΑΜΕΙΛΙΧΙΗΣ, barbare pro ἀμείλιχος, ἀμείλικτος.*

Veri simile est, ne hic quidem litteras plene aut distincte exaratas esse, sed erat, nisi fallor, *H* cum paullo longiore *I* in unam figuram contractum, *E* pro *H* autem legentis videtur error esse. Non magis credibile est, scriptorem epigrammatis *ἀμειλιχίης* pro iusta forma *ἀμειλίχιος* scripsisse, sed qui descripsit, opinor, *O* quadratum putavit *H* esse.

V. 15. (13.) *Siglis inesse videtur TEONME, quamvis M inversum formam τοῦ ω habet. Sequitur ANETEIMEON, ut v.* 11. *ΑΤΕΙΜΟΣ. Iacobs. „ὧδε τιθέντ' ἀνετείμεον, τιθέντε de hero et hera, elisione*

a scalptore neglecta. Nisi malis, quod multo lenius: ἀλλὰ καὶ ὡς τέκνον τ᾽ ἀντείμεον (typographi, ut videtur, error pro ἀνετείμεον) ἐνταφίοισι. τε *refertur ad* καὶ *in versu sequ.*" *Antipater Thess. Epitymb. n.* 195. *in Sibyllam Romae mortuam:* Ἡ δέ με θρεψαμένη Πομπηΐη ἀντὶ θυγατρὸς κλαυσαμένη τύμβῳ θῆκεν ἐλευθερίῳ. *Comparatio* ὡς θεὸν *absurda hic quidem est, non ubique. Odyss. XXIII.* 339. οἵ δή μιν πέρι κῆρι θεὸν ὣς τιμήσαντο. *Epitymb. n.* 2. *de Homeri sepulcro* ἴσα θεοῖσι σέβου. *Fragmentum epitaphii Asiatici ap. Gruter. p.* 1137. *et Leich. in Miscell. Lips. Nov. T. I. p.* 503. (hoc quidem in libro nihil invenias praeter haec verba: πολύκλαυτον κοινὸς μὲν ἀνείλετο δαίμων), *quod ita legendum videtur:*

[ἄνδρα] πολύκλαυτον, κοινὸς [συν]ανείλατο δαίμων,
καλλείψαντ᾽ ἄλοχον Δημητρείαν πολύδακρυν.
τοὺ[ς] δὲ καταφθιμένους κοινὸς μέλεος χάδε τύμβος.
τὸν νῦν δὴ κόσμησε περίφρων [ὁ] Στρατόνικος,
τιμῶν ἴσα θεοῖσιν ἀδελφόν κ. τ. λ.

Quod Iacobsii τιθέντ᾽ et τέκνον τ᾽ non recepit Welckerus, omnino recte factum. Iacobsius, cuius coniecturae acutum atque elegans iudicium prodere solent, fere tanta in corrigendo licentia utitur, ut saepe vel hanc ob caussam assensum impetrare nequeat. Welckerus vero, quum hunc versum fecit,

ἀλλὰ καὶ ὡς θεόν μ᾽ ἀνετίμεον ἐνταφίοισιν,

triplici scriptorem epigrammatis affecit iniuria: primo quod Iacobsii ἀνετίμεον suscepit, quod verbum quia non nisi de augendo pretio dicitur, hic plane non aptum est; deinde, quod poetam versu elumbi donavit, cuius claudum pedem in praefatione p. 25. iis rebus adnumerat, quas sibi mali poetae, ut quidem ipse putat, indulserint; postremo, quod sententiam obtrudit, quam ipse fatetur absurdam esse. Ac duobus modis ea sententia absurda est, siquidem servam non modo ut deam honorari, verum etiam ut deam honorari sepultura accipimus. Proferat quidem

forsitan, qui mythologicorum mysteriorum thesauros recludat, exempla sepultorum deorum: sed tamen neminem, qui sana mente sit, tale quid sibi persuasurum, sed potius confessurum speramus, pessime abuti arte critica, si tamen haec est ars critica, summamque facere iniuriam, qui aperte absurda in scriptores inferat. Atque hic quidem quid verum esset tam facile erat inventu, ut mirandum sit quomodo latere potuerit, si vel leviter attendissent. Lapis habet, *TEONMEANETEIMEON*. Litterae inversae *NM* et quod sequitur *E* per communes lineas in unam sunt figuram coactae. Atqui *N* inversum etiam in quarto versu huius lateris invenitur, nusquam vero *M* pro *M*, sed *M* ubique pro *Ω* positum. Ex quo sequitur, idem hic quoque factum esse, quodque cum *Ω* ista figura scripto cohaeret *E*, male lectum, non *E* esse, sed *Σ*. Sic habemus *TEONΩΣAN*, quod quis non videat *TEΘNΩΣAN* esse, quae communis forma est pro illa, quam Atticistae ut probatam commendant, *τεθνεῶσαν*? Moeris p. 449. *τεθνεὼς καὶ τεθνεῶσα διῃρημένως*. Sed non possum a Welckeri adnotatione discedere priusquam paucis de illa apud Gruterum inscriptione dixero, qua usus est ad demonstrandum illud *sicut deum colere*. Ab ipso enim excogitatum est hoc testimonium, quum et *INΩTΩN* in *τιμῶν*, quod satis dissimile est, mutavit, et non accuratius considerata inscriptione illa tum hoc, tum *ἄνδρα* et *συνανείλατο* una cum articulo, qui iam in Gruteri opere cum duplici soloecismo ante *Στρατόνικος* positus est, recepit. Inscriptio ista apud Gruterum sic habet:

ΠOΛYKAYIONKOINOΣ . . . .
ANEIΛATOΔAIMΩN
KAΛΛEIΨANTAΛO
KONΔHMHTPEIANΠOΛYΔAKPYNTOY
ΔEKATAΦΘIMENOYΣKOINOΣMEΛEΩΣXA
ΔETYNBOΣTONYNΔHKOΣMHΣE
TONNYNΔHKOΣMHΣEΠEPIΦPΩN
ΣTAPATONEIKOΣINΩTΩNEIΣAΘEIIOIΣII

ΑΔΕΛΦΟΥΑΔΕΛΦΙΔΙΩΙΤΕΑΙΔΟΙΑΙΔΑ
ΓΑΠΙΤΑΙΑΝΕΑΖΟΥΣΙΦΙΛΟΝΚΗΡΘΥ
ΓΑΤΕΡΕΣΚΑΙΠΟΣΤΕΜΕΡΟΝΠΑΤΡΟΙ
ΤΙΚΙΑΑΑΦΙΛΟ

Manifesto deest initium epigrammatis. Quae servata sunt, haec ferme videntur fuisse:

. . πολύκλαυτον, κοινὸς [τὸν] ἀνείλατο δαίμων,
καλλείψαντ᾽ ἄλοχον Δημητρείαν πολύδακρυν,
τῇδε καταφθιμένους κοινὸς μελέως χάδε τύμβος.
τὸν νῦν δὴ κόσμησε περίφρων, [καὶ] Στρατό-
νικος
γνωτῶν εἵσαθ᾽ ἑῷ σὺν ἀδελφῷ ἀδελφιδέῳ τε.
αἰδοῖαι δ᾽ ἀγαπηταὶ ἀνιάζουσι φίλον κῆρ
θυγατίρες καὶ υἱός, γλυκερὸν πατρὸς εὔγμα φίλοιο.

Videtur ille, in quem est epigramma, simul cum quodam propinquo suo infelici casu periisse, amboque uno conditi esse sepulcro, quod vidua Demetria exornavit, exstruxit autem ex cognatis mortui Stratonicus cum fratre suo fratrisque filio.

Revertor ad nostram inscriptionem. Habemus iam in altero latere haecce distincte et non ambigue scripta quattuor disticha:

Οὔνομα μὲν Μακέταις ἐπιχώριον, οὔνεκα μέμφθη
μηδὲ ἑνί, Κοπρίαν μ᾽ ὠνόμασαν γενέται.
οὐ γὰρ ἄτιμος ἔην παρὰ δεσπόταις, ἀλλά μ᾽ ἔθρεψαν
αὐτοί, καὶ κοίτον χερσὶν ἐμαῖς κομιεῖν
δῶκαν τιμήεντα. ταχὺς δέ με παρθένον οὖσαν
δαίμων εἰς Ἀΐδην πέμψεν ἀμειλίχιος.
ἀλλὰ καὶ ὣς τεθνῶσαν ἐτίμεον ἐνταφίοισιν,
καὶ τύμβον γράψαν μνημοσύνης ἕνεκεν.

Intelligimus ex his, mulierem nomen Macedonicum Copriae habuisse, ex quo eam Macedonem fuisse credibile est; deinde apud heros curando toro iugali fuisse praefectam.

Transeo iam ad alterum latus inscriptionis, quae apud Welckerum prior pars epigrammatis est.

V. 1. (2) *ΤΑΧΕΙΡΙΟΙ. Litteram ῥῶ, vel vulgari pronunciatione suppressam, vel lapicidae errore deesse coniicio; quantitas enim neglecta ab eo, cui δεσπόταις v.* 11. *dactylum facit, scrupulum non iniicit; ταχείριος autem, sive ταρχήριος dicitur pro ταρχευτής. Ταρχευταὶ funera curabant et pollingebant. Supra n.* 49, 4. *ἐνθαδὶ τετάρχυται. Epitymb. n.* 176. *ταρχύθην., cf. n.* 537. 577. *Append. n.* 166. 367. *Appollon.* I. 82. II. 181. *Pseudophocyl. ἀταρχύτοις νεκύεσσι. Hesych. ταρχύειν· θάπτειν, ἐνταφιάζειν. Verbum ὁμόδουλος non ad τὰς ταρχειρίους, sed ad mortuae sponsum eundemque conservum trahendum videtur, qui dum illius exequiae celebrantur et inferiae dantur, tunc ipsum ab itinere maritimo redit. Quare non plene post primum distichon distinxi. Suspicari quis possit, ΤΑΧΕΙΡΙΟΙ, praesertim quum ultima littera in fine versus sit, esse Ταχείριον, nomen defunctae, contractum ex Ταχυχείριον, ut nomen proprium est Ἐπιποδία, ap. Grut.* 608, 7. *Sed χείουσαι non poterat sine substantivo poni.*

De voce a Welckero inventa *ταχείριοι* non opus est quidquam dici, quando etiam tacentibus nobis nemo adducetur ut vocabulum probet plane contra linguae rationem formatum. Quod autem ad significationem attinet, iam in censura dictum est, si sepulturam curantes intelligendi essent, statuendum esse, Dorotheam in familia sua peculiare genus servorum, cui a funerum curatione nomen esset, habuisse. At ut fortasse in regis alicuius ministeriis funerarii regii reperiantur, privatam tamen feminam sibi suisque peculiares funerarios vel funerarias aluisse nimis a veri similitudine abhorret. Placet quidem Welckero, *ὁμόδουλον* non ad istas funerarias, sed ad sponsum referri: at videat aliquis, num id fieri hac in collocatione verborum possit:

δμωὰν Δωροθέας με ταχείριοι τὴν ὁμόδουλον
παρθένον εἰς Ἀΐδην εἶδον ἀπερχομέναν·
ἄρτι δὲ τὸν ἀναωρὶ χοὰς χείουσ' ἀπόδημον
νύμφιον ἐκ πελάγους εἶδον ἐπερχόμενον.

Immo plane non potest alia primi distichi sententia esse, quam haec: „me, famulam Dorotheae, sepelierunt *ταχείριοι*, suam conservam.“

Non probabilior est altera coniectura, *Ταχείριον* nomen fuisse defunctae. Nam ut concederetur *Ταχείριον* contractum esse ex *Ταχυχείριον*, tamen primo metrum repugnaret: correptio enim *ον* syllabae ante consonantem non magis cum correptione in *δεσπόταις* quam cum illa, quae est in *ταχείριοι τήν*, potest comparari. Deinde autem pugnaret secum epigramma, si defuncta hic *Ταχείριον*, mox autem *Κοπρία* vocaretur. Opinabatur fortasse Welckerus, in domo Dorotheae eam non suo nomine Copriam, propter significatum eius nominis, sed *Ταχείριον* esse vocitatam. At id scriptor epigrammatis hand dubie paullo clarius indicasset, quam his verbis fecit, *οὔνομα Κοπρίαν μ' ὠνόμασαν γενέται*, quae communi loquendi consuetudine nihil significant nisi „nominabar Copria.“ Sed ipse sentiebat Welckerus, hac via nihil profici: verum in ratione reddenda lapsus est, quum scripsit: *sed χείουσαι non poterat sine substantivo dici.* Nam sic potius dicendum erat: *θάπτον* indigere substantivo: *χείουσαι* autem, quod quo loco positum est plane non opus habet substantivo, postulare ut, quod praegressum sit substantivum, generis sit feminini.

Semper igitur reiicimur ad istos *ταχειρίους*. Quod si cogitamus, tria prima disticha totius inscriptionis in uno latere scripta esse, quod latus si deesset, quae in altero latere leguntur quemvis pro integro epigrammate habiturum; ipsa autem latera formis litterarum nonnihil inter se differre: non solum potuisse fieri, sed etiam verisimile esse fatebimur, ut tota inscriptio non ex uno epigrammate, sed ex duobus, altero in sinistro, altero in dextro latere

scriptis, constet. Non ergo eo, quod in dextro latere ipsa mulier loquitur, et quod in initio alterius lateris *με* scriptum videmus, iudicium nostrum impediri patiemur, sed cogitabimus fieri posse ut in sinistro latere, ideoque in alio epigrammate, etiam persona loquatur alia. Iam vero quid planius est, quam ut verba unius litterae spatio separata, quae fortasse ne sunt quidem in lapide separata, *ΜΕ ΤΑΧΕΙΡΙΟΙ*, in unum coniungamus, *μεταχείριοι?* Nam scripturam, sicuti Hesselius eam exhibet, consideranti vix dubium esse potest, quin ipse vocabula intervallis quibusdam distinxerit: quippe non distinxit, ubi non intellexisse videtur. Sic igitur et Graecum habemus et rei non male accommodatum vocabulum. Nonnus usurpavit de eo quod quis in manibus habet, in Paraphrasi Ioannis cap. XIII. p. 171, 25.

εἰ μὴ ἐγὼ νίψω σε, χέων μεταχείριον ὕδωρ.

Sermo est de lavandis pedibus, ne quis usitatum illud *κατὰ χειρὸς ὕδωρ* dici putet. Tum quod quis in potestate sua habet, cap. XVIII. p. 221, 18.

ὅφρα μὴ Ἑβραίοις μεταχείριος ἔκδοτος εἴην.

Quo loco editio Lipsiensis a. 1618. qua in citandis his exemplis usus sum, typothetae errore *καταχείριος* habet. Et hic quidem locus fortasse indicare videatur, *μεταχείριος* omnino de eo, qui in aliena potestate est, de subiecto, de subdito dici: sed tamen veri similius est, *μεταχειρίους* amanuenses esse, eamque propriam esse earum appellationem famularum, quae semper circa heram versantur eique a manu sunt.

V. 3. (8. 9.) *ΤΟΝ ΑΝΑΩΡΕ. Pessimum est, quod dedi, vocabulum ἀναωρί, pro ἀωρί, ad normam vocum ἄνωρος, ἀνωρία, praecedente articulo, audacter a nomine suo seiuncto.* *ΧΕΙΟΥΣΑΙ*, *ut* 11 *et* 15. *ΜΕ.*

Quum Welckerus hic ipse iustum de emendatione sua iudicium dicat, mirari licet, cur eam fecerit, prae-

sertim quum ἀναωρὶ non magis ἀωρὶ significare possit, quam *non intempestive* idem esse quod *intempestive*. Qui accuratius quod in lapide scriptum est contemplatus fuerit, facile animadvertet aliquem hic vocativum positum fuisse. Qui is fuerit, res ipsa indicat. Non *TON ANAΩPE* scriptum fuerat, sed *TOI ΠΑΝΑΩΡΕ*. Ἄωρος et ἀώριος, πανάωρος et παναώριος peraeque usitatae formae sunt. Atque quum in primo disticho, si μεταχείριοι reponitur, non ipsam loqui defunctam videamus, iam non erit mirandum, si ipsam alloquitur alius. Significat autem πανάωρος praemature mortuam, petitumque vocabulum ex Homero Iliad. XXIV. 540. ubi Achilles suam ipsius mortem in mente habens, sic de patre Peleo dicit:

> ἀλλ᾽ ἕνα παῖδα τέκεν παναώριον· οὐδέ νυ τόν γε
> γηράσκοντα κομίζω.

Ex eodem fonte Paullus Silentiarius in Anthol. Pal. T. I. p. 165. n. 264.

> καὶ γάρ που λαγόνεσσι ῥυτὶς παναώριος ἤδη,
> καὶ λαγαρὸν δειρῇ δέρμα περικρέμαται.

Quo in exemplo Suidas vocem illam per πρὸ ὥρας explicat. Iam ergo optimam habemus sententiam; „modo videbant, o praemature mortua, absentem sponsum e mari revertentem.“

V. 5. (16) *KAICYHMENAI. Iacobsius quum coniecisset KΛΑΥΣΑΙ ΜΕΓΑ, mihi propius ad litteras esse videbatur KAIΣIHMENAI*, κλισίη ἧμεναι, *littera H semel omissa, de quo v. ad n.* 103. ἧμεναι *pro* ἧσθαι, *ob metrum, cui etiam* τιθήμεναι *et similes formas deberi monuit Matthiae Gramm. T. I. p.* 52; *siquidem eiusmodi scriptorem, qui fortasse Romanus fuit, de omnis generis soloecismis reum facere, indice lapide, liceat. Quae coniectura Iacobsium, quum ipse quoque* κλισίη μεῖναι *coniecisset, sed ob metrum reiecisset, induxit, ut nunc minime dubitet legendum esse* κλισίης ἔμεν κἀπιδακρῦσαι:

ἔμεναι enim lapicidae deberi, qui, quod saepissime factum, formam pleniorem pro altera posuerit. Nescio tamen an positio hoc modo neglecta barbarum hominem haud minus prodat quam infinitivus non Graecus.

Talia quidem se ipsa refutant, mirumque est, ad duci quemquam posse, ut, quo barbarismos maxime inauditos tueatur, scriptorem contendat fuisse barbarum, idque in loco, in quem satis erat oculos coniicere, ut quis in una male scripta littera *Υ* agnosceret *T*. Versus hoc sonabat:

ἀλλ' ὅ μὲν ἐγγὺς ἔτλη καὶ στήμεναι κἀπιδακρῦσαι.

V. 8. (19) *ΔΕΙCΑΙΔΑΧ. Fort. δάκρυα.*

Hoc, nec quidquam amplius, Welckerus de tribus postremis huius lateris versibus. At quid prodest hoc *δάκρυα*, quod ex litteris quae ultimae sunt *TAX* elicit, nisi ostenditur, quomodo hoc vocabulum huic loco conveniat? Multa sunt vocabula, quorum vestigia pari iure in his litteris inveniri possent: sed quidquid sic temere et sine idonea caussa coniicitur, inanis lusus est, nullamque utilitatem affert. Welckerus, lacunas hic esse putans, quam vanam opinionem esse supra ostendimus, fragmenta posuit trium versuum:

τοῦδ' εἰ υ . . . . . .
μηδὲν εθησευαο . . . . . .
. . . . μὲν δέξαι δαχ . . .

At lacunarum nullum esse vestigium vidimus: ex quo consequitur, litteras quae v. 17. post *ἐπιδακρῦσαι* sunt, unum continere pentametrum, eoque finiri hoc epigramma. In huiusmodi obscuris et divinatione indigentibus locis ante omnia quaerendum, quam sententiam in verbis latere oporteat. Id ibi difficillimum est, ubi nulla appareret necessitas, quae hoc potius quam aliud quid dici postulet. Quam ob rem in tali caussa videndum, quae potuerint dici, ex iisque eligendum illud, quod verum,

vel saltem veri simillimum sit. Hanc regulam si ad hocce epigramma applicamus, primo animadvertimus, ἀλλ' ὃ μὲν ad aliquid oppositum referri, atque idcirco in verbis quae corrupta sunt de aliquo sermonem esse, qui opponatur sponso. Iam nihil tam consentaneum est, quam sponso opponi sponsam. Idque eo fit probabilius, quod quae primae in lapide sequuntur syllabae, *ΤΟΥΔΕΙΥ*, vix ad aliam ducunt coniecturam, quam ad τοῦ δὲ σύ. Idque aptissime cum praegressis versibus concinit, in quibus defunctam per τοὶ et πανάωρε compellari vidimus. Atque apertum est, in opponendo non necessario σὺ δὲ requiri, sed, pro conditione notionum quae adiunctae sunt, δὲ et potest et aliquando debet post aliam vocem poni, quam post eam quam oppositum iri exspectamus. Atqui praeter illud τοῦ δὲ σὺ nihil nisi *ΜΗΔΕΝ* et *ΑΙΔΑ* non ambiguum in lapide cernitur: quae verba de summa rei nihil certi produnt. Caeterae litterae tantum abest ut indicium faciant sententiae, ut eam aliunde sumere oporteat, quo invenire quibus verbis expressa sit possimus. Nunc usitatissimum veteribus est, si quis aliquid amisit, quemadmodum hic sponsus sponsam, mortua autem quod sperabat connubium, id diserte tamquam miseratione dignum commemorari. Sic Homerus in loco persimili, Odyss. XI. 321. de Ariadna:

ἦν ποτε Θησεὺς
ἐκ Κρήτης ἐς γοῦνον Ἀθηνάων ἱεράων
ἦγε μέν, οὐδ' ἀπόνητο· πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔσχεν
Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ, Διονύσου μαρτυρίῃσιν.

Eadem formula, οὐδ' ἀπόνητο, invenitur Odyss. XVI. 120. XVII. 293. Apollon. I. 88. Iam in epigrammate illo vel de sponso vel de sponsa vel de ambobus dici potuit, ereptam esse morte sponsae speratam felicitatem. Quod si quis, quoniam casu quae legi possunt litterae se commodas praebeant, quodque in fine est *X* lacunae signum esse videatur, statim coniiciat scriptum fuisse,

τοῦ δὲ σὺ μηδὲν ὄνησ', οὐλομέναις Ἄϊδα
Χ[ερσὶν ἀναρπασθεῖσα] . . . . . .

eum non dixerit quidem aliquis absurdum quid aut stultum aut ineptum aut prorsus a veri similitudine alienum posuisse, sed tamen circumspecti iudicis assensionem non impetret, quia tota illa emendatio eo nititur, quod finis epigrammatis, et quidem propter unam illam litteram *X*, visus sit intercidisse. At vix dubitari potest, quin quum postremae litterae sint *ΕΓCΑΙΔΑΧ*, *X* illud nihil nisi male lectum *N* sit, exieritque epigramma in haec verba, εἰς Ἄϊδαν. Ex hac autem observatione elucescit, in *ΕΘΗC* latere ἔβης. Itaque reliqua sunt *ΕΥΔΟΜΕΝΔ*, quae litterae non minus quam sermonis ratio ad participium aliquod redire iubent. Hic quoque Homerus, ut supra in πανάωρε, verbum quod quaerimus suppeditat, οὐνομένα. Iliad. XXIV. 241.

ἦ οὔνεσθ', ὅτι μοι Κρονίδης Ζεὺς ἄλγε' ἔδωκεν,
παῖδ' ὀλέσαι τὸν ἄριστον;

Id grammatici ὄνησιν ἔχετε interpretantur, quod praebent Hesychius, Apollonius in Lexico Homerico, scholiastae. Eiusmodi rariora verba recentius aevum de industria consectabatur. In elisione sive synizesi nulla offensio. Indulsit eam sibi scriptor eodem modo, quo supra χείουσαι ἀπόδημον scripsit. Sic igitur etiam in primo latere lapidis epigramma habemus integrum, recte scriptum, atque a barbarismis liberum:

Δμωὰν Δωροθέας μεταχείριοι τὴν ὁμόδουλον
παρθένον εἰς Ἄϊδην θάπτον ἀπερχομέναν.
ἄρτι δέ τοι, πανάωρε, χοὰς χείουσ' ἀπόδημον
νύμφιον ἐκ πελάγους εἶδον ἐπερχόμενον.
ἀλλ' ὃ μὲν ἐγγὺς ἔτλη καὶ στήμεναι κἀπιδακρῦσαι·
τοῦ δὲ σὺ μηδὲν ἔβης οὐνομένα εἰς Ἄϊδαν.

II.

Fr. Th. Welckerus in Diurnis scholasticis a. 1830. parte II. n. 86. denuo epigrammata nonnulla ex variis deprompta libris tractavit. Singulari quodam fato his quoque Sylloges additamentis sententiam, quam de illo libro dixi, confirmari, non potest latere lectorem cupiditate liberum. Id ego quidem silentio praeterirem, nisi me putarem apud eos, qui hoc genere litterarum delectantur, aliquid gratiae initurum esse, si coniecturas paullo, ut mihi videtur, probabiliores in medium attulerim.

Prima illarum inscriptionum, quae sumpta est ex Leakii Itinerario Peloponnesiaco vol. I. pag. 293. haec est:

ΚΛΕΙΝΟCΠΑΙC . . ΩΙΠΟCΤΕΠΩΝΩΟCΜ . ΝΟC
ΑΥΤΟΜΑΤΩ . . . . ΩΘΝΗΟΚ

Sequuntur deleti versus duodecim vel quattuordecim.

ΞΥCΤΟΥΜΕΠΛΙΔΑ — — —
— — — — — — — —
ΤΟΝΚΑΛΙΝΕΙΚΟΝΧΩCΕΝΑΡCΕΝΑCΔΥΕΙΝ
ΛΙΠΟΝΤΑΠΑΙΔΑCΚΑΙΦΑΟC . . ΝΑΙΚΑΤΕ
ΧΗΡΗΝΑΡΙCΤΟΚΛΕΙΑΝ . ΦΙΛ . . ΔΡΙΑC
ΑΡΧΑΙΟΝΕΖΗΝΩCΕΝΗΘΟC . . . ΒΑΙΥC
ΔΑΙΜΩΝΑΠΕCΧ . . ΕΙΜΕ . . . ΠΑΙΔΩΝΔΙΟ
ΟΥCΑΝΤΕΜΕΙΟΤΑ . . . ΟCΦΙΛΗΠΑΤΡΙC
ΜΗΤΗΡΤΕΚΛΕΙΝΗΚΑΙCΥΝΕΥΝΟCΚΑΙΦΙΛC
— — ΕΙCΒΙΟΙΟΓΗΡΑΙΟΝΜΕΤΡΟΝ

Recte observat Welckerus, duo videri haec in eumdem hominem epigrammata esse, alterum elegiaco metro, alterum iambico scriptum. In priore ex parte verissime scribendum censet, *αὐτομάτῳ θανάτῳ θνήσκω* vel *θνήσκων*. Sed tamen quae altero epigrammate continentur vix permittunt, ut hunc Xysti filium, qui suorum amantissimus videtur fuisse, semet ipsum interemisse creda-

mus. Accedit, quod diligentior elegiaci fragmenti contemplatio eo ducit, ut pater potius illius hominis, i. e. Xystus ipse, sibi mortem conscivisse videatur. Potest enim illud fragmentum, quod certo non fuit principium epigrammatis, sine magna audacia hoc modo integrari:

[Ξύστου] κλεινὸς παῖς [τύμβ]ῳ ὑπὸ στενῷ ὤν,
ὃς μόνος αὐτομάτῳ [θανάτ]ῳ θνήσκ[οντος ἐλείφθη.]

In iambico epigrammate Welckerus v. 3. *δυεῖν* mutavit in *δύω*, constantiae caussa sic etiam v. 7. scribi posse censens. At epicum *δύω* non erat iambis obtrudendum. Credibilius est, lapicidae errore *δύο* et *δυεῖν* locos permutasse, quoniam in tertio versu accusativo, in septimo genitivo opus est. Recte vero Welckerus v. 4. *γυναῖκά τε* et v. 5. *ἥ φιλανδρίας ἀρχαῖον ἐζήλωσεν ἦθος* restituit. At . . . *ΒΑΙΥC* non fuisse cum *αἰσίμου* commutandum, ipse litterarum adspectus docet. Septimum versum ita explet: *Δαίμων ἄπεσχες ἵμερον παίδων δύο.* Sensum esse vult: „*Mors, ne expete geminam prolem meam.*“ Sed vix erit, qui haec verba, *δαίμων* et *ἵμερος*, apte delecta esse existimet. Peius vero rationi grammaticae est consultum. „*Imperativus ἄπεσχες*,“ inquit, „*per σχὲς et παράσχες* (*Buttm. II.* 141) *munitus est.*“ Imperativus cum augmento? — V. 8. parum probabiliter coniecit *τἀθλίου*, sed recte v. 9. *φίλοι*. V. 10. ubi optativum exspectes, *ἄξουσιν*. Facili opera restitui hoc epigramma potest, in quo nihil nisi v. 8. *ΤΑ . . . OC* dubium manet. Sed videtur nomen urbis latere. Reperta est inscriptio Cyparissi in Messenia: ex quo tamen non sequitur, ut iste Xysti filius cum familia sua non potuerit alia in urbe habitare: unde veri simillimum, in quod quis incidat, *Ταίναρος* fuerit. Sumam hoc: tum epigramma sic erit scribendum:

Ξύστου με παῖδα — — —
— — — — — — —
τὸν καλλίνικον χῶσεν, ἄρσενας δύο

λιπόντα παῖδας καὶ φάος γυναῖκά τε
χήρην Ἀριστόκλειαν, ἣ φιλανδρίας
ἀρχαῖον ἐζήλωσεν ἦθος· ἧς βαρὺς
δαίμων ἀπέσχισέν με καὶ παίδων δυεῖν·
οὓς ἀντ' ἐμεῖο Ταίναρος φίλη πατρὶς
μήτηρ τε κλεινὴ καὶ σύνευνος καὶ φίλοι
ἄγοιεν εἰς βίοιο γήραιον μέτρον.

III.

Secunda quoque inscriptio ex Leakii libro n. 65. deprompta est, in quo paullo aliter paulloque plenius scripta, quam ex Fourmontii schedis in Corpore Inscriptionum n. **1141.** sic legitur:

ΗΣΟΡΙΝΗΝΤΕΛΘΟΝΤΑ ΠΟΡ . . ΔΕΚΕΚΕΥΟ
ΑΡΓΕΙΩΝΘΥΜΟΝΑΦΕΝΤΑΠΟΝΕΙ

Exstat Argis. Quod Welckerus dicit: *postrema verba, θυμὸν ἀφέντ' ἀπονεί, adverbium praebent nondum cognitum ex eo genere, de quo praeter alios etiam Barkerus in Diario classico vol.* XXVI. *p.* 158. *egit:* vereor ego, ut per hanc quidem inscriptionem adverbium illud innotescat. Id ut contendi posset, necessario sententiam loci apertam et non ambiguam esse oporteret. At hoc, quod omnium primum requiritur, prorsus abest, ne dicam permirum illud, *ἀπονεὶ* aliquem mori, offensioni esse. Quum vero Fourmontii exemplum *ΑΦΕΝΤΑΠΟΛΕ* habeat, quis dubitet, qui genitivum illum *Ἀργείων* respiciat, quin recte legerit Boeckhius, *Ἀργείων θυμὸν ἀφέντα πόλει?* Primus versus in Fourmontii exemplo haec signa habet:

. . ΣΟΡΗΝΗΝΣΕΛΟΟΝ . Α . ΠΩΙΔΕΚΕΚΓΥΟ

In tanta discrepantia nihil profecto certi divinari potest. Sed si tamen, quod in huiuscemodi inscriptionibus ludendi caussa facere licet, tentanda aliqua coniectura est: talem certe eam esse oportet, quae praebeat, quod co-

haereat, quod credibile sit, quod non ipsum per se corruat. Ita si hic propter has syllabas, *πορ — δε*, dum quidem, quod facile credi potest, rectius quam a Fourmontio lectae sint, fluvii *πόρον*, Argis ergo Inachi, dici sumimus: *δὲ* indicium est inceptae novae sententiae. Hinc coniuncta utriusque exempli ope hanc non prorsus contemnendum licebit coniecturam facere:

[τὴν στυγερὴν
γ]ῆς ὄρφνην σ' ἐλθόντα. πόρον δὲ κέκευθ[ε παρ' αὐτὸν
τύμβος ἐν] Ἀργείων θυμὸν ἀφέντα πόλει.

IV.

Alia Teuchiris reperta inscriptio, quam Paccho in Relatione de Itinere per Marmaricam tab. 86. edidit, Welckerus transpositionibus litterarum aliisque scripturae vitiis haud parum turbatam esse ait. Quibus caussis adductus ita statuat, non dicit: addit vero, non posse scripturam exacte repraesentari, quod pro rotundis *ε* et *ω* uti cogatur vulgaribus signis *E* et *Ω*. At *ω* quidem in illa inscriptione, qualem eam praebuit, nullum invenitur. Sic autem scriptam exhibuit:

ΘΕΥΠΕΘΡ ΕΝΘΑΔΕΙΚΕ CΘΝΕΝΤΟΙCΑΡΙCΙΟC
ΟΚ ΕΤΗCΤΙΑΕΤ Ο Ν Τ ΑCΟΟΦΟC

Vbi retulit, doctum quemdam Gallum ex his litteris hoc extudisse:

Θευπρόπιος ἐνθάδε κεῖμαι, ὃς ἐν θνητοῖσιν ἄριστος,
ὀκτωκαιδεκέτης, ζῆσεν ἅπαντα σοφός·

iure vituperat *Θευπρόπιος* pro trisyllabo positum; reprehendit *ἅπαντα σοφὸς* etiam propter loquendi usum, quia non, ut alibi, *πάντα σοφὸς* dictum sit; non dubitat denique quin *παστὸν* scribendum sit, legitque epigramma hoc modo:

Θεύπροπος ἐνθάδε κεῖ[ται] ὁ ἐν θνητοῖσιν ἄριστος,
ὀκ[τωκαιδεκ]έτης παστὸν ἀφικόμενος.

Verum ut quis mirum illud *ἐν θνητοῖσιν ἄριστος* ferendum putet, si quidem ad mores atque ingenium referatur, quemadmodum *optimus mortalium* dici solet: tamen *παστός*, quam vocem Welckerus cum *θάλαμος* comparat, aeque ut *θάλαμος* nullo pacto pro sepulcro, sicut ipsi placet, accipi potest. Id non magis licitum, quam ut Germanica verba *haus*, *gemach*, *kammer*, per se sola sepulcrum significent. Et quomodo quis ex litteris in monumento inventis *ἀφικόμενος* eruat? ne prosodiae in hoc verbo vitium memoremus. Quin etiam *ἐν θνητοῖσιν* satis licenter ex inventis litteris procusum. Videntur hi duo versus modo initium epigrammatis esse: ut *θευπρόπος* vatem potius significet, quam nomen sit viri proprium. Tum quidem iuvenilis aetas duodeviginti annorum senili cedere debebit hominis octogenarii. His sumptis sine audaci mutatione hoc divinari licet:

θευπρόπος ἐνθάδε κε[ῖμαι] ἐὼν ἐν τοῖσιν ἄριστος,
ὀγ[δωκοντα]έτης, πάντα τ' ἐόντα σοφός.

Ita quidem in disticho, quod sequebatur, aliquid ad explendam sententiam, Homeri exemplo, adiectum fuerit, e. c.

καὶ τὰ μετεσσομένοισι γενησόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Caeterum illa locutio, *ἐν τοῖς ἄριστος*, nimis nota est, quam ut confirmatione opus habeat.

V.

In alio in Osanni quoque Inscriptionibus fasc. VIII. p. 421. edito epigrammate ad prosodiae vitium in quarto versu attendere iubet Welckerus:

πεντήκοντα γάμων δ' ἔτεα πλησαμένη.

Diligenter vero cavendum, ne quis huiusmodi vitia poetis imputet, quae aequius est culpae tribuere imperitorum et negligentium lapicidarum. Non est dubium, quin qui hoc epigramma fecit lapidi inscribi voluerit,

πεντήκοντα γάμων πλησαμένη δ' ἔτεα.

VI.

„*Aliam Romanam inscriptionem*" inquit Welckerus, „*Latinisque litteris scriptam praebet Fabrettus p.* **465.** *n.* **100.** *quae sine ulla dubitatione ex Fabretti versione sic est scribenda:*

Εὕρεσιν ἐνθάδε γῆ κατέχει θανάτοιο λαχοῦσα[ν]
μητέρα τὴν εὔτεκνον. εὐδαίμονες [ὦ] παροδῖται."

Tot ergo modis quod pravum est, sine ulla dubitatione rectum sit? In lapide est: EVTECHNOV EVDEMONES PARHODITAE. „*Ad falsam correptionem in εὐδαίμονες*" ait Welckerus, „*non offendendum.*" At quo iure vitium imputare licet scriptori epigrammatis, quod gravius est quam ut ullo pacto excusari possit? Multum ab hoc differt vitium prosodicum in epigrammate, quod Welckerus infra ex Boissonadi Anecd. Graec. T. I. p. **144.** affert:

οἷσιν ἐνιθύνοις οἴακα σῆς βιοτῆς,

quod epigramma hoc ipso vitio aevum prodit illud, quo vocales hae *α*, *ι*, *υ* ubique ancipites haberi sunt coeptae. Deinde ad *εὐδαίμονες* Welckerus *ἐστὲ* suppleri vult. Tam breviter enunciata precatio vereor ut possit defendi. Atque aliquanto commodius, opinor, qui fecit epigramma, duxisset, *εὐδαιμονοίης*, *παροδῖτα*. Accedit ad haec tertium vitium, quod sermonis est, *μητέρα τὴν εὔτεκνον*. Nam si *εὔτεκνον* nudum sine alia nota poneretur, non debebat articulus addi. Haec qui omnia perpenderit, non sane censebit epi-

gramma sine ulla dubitatione sic scribendum esse, ut placuit Welckero. Sed tria illa vitia omnia facillime removeri potuerant, si sic scriptum esset:

Εὕρεσιν ἐνθάδε γῆ κατέχει θανάτοιο λαχοῦσαν,
μητέρα τὴν εὔτεκνον Εὐαίμονος, ᾧ παροδῖται.

VII.

In Diurnorum scholasticorum n. 88. emendare conatus est Welckerus inscriptionem ab Osanno in Sylloge Inscr. Fasc. IX. p. 451. n. 158. editam. Haec inscriptio, in qua ipsa quoque rotunda ε et ω cum usitatis apud typographos nostros formis commutavit, huiusmodi est:

ΚΥΔΙCΤΗΔΔΟΧΩΑΠΟΔΛ
ΝΙΟCΕΙCΑΤΟCΗΜΑ
ΚΕCΤΙΑΒΙΚΤΩΡΙΑΦΛΩΡΕΝ
ΤΙΩΕΙΔΟCΑΡΙCΤΗ
ΤΕΠΙΡΙΗΚΟΝΤΑΧΡΟ
ΟΥCΒΙΟΤΟΝΤΕΔΕΘΟΥCΗ
ΔΗCΩΦΡΟCΥΝΗCΕΡΑ
ΗCΑΡΑΜΕΝΗCΤΕΦΑΝΟΝ
ΡΙΔΩΝΜΟΥCΩΝΙCΑΡΙ
ΟCΕCΤΙΝΟΜΑΡΤΥC
ΟΝΟΥCΠΡΟΦΕΡΕCCΚΕΝ
ΚΝΗΔΤΟCΑΓΝΗC
ΟΙCΧΑΙΡΟΥCΑΦΙΔ
ΠΑCΙΝΑΔΗΘ

Welckerus praeeunte in verbis quibusdam Osanno haec sic supplet:

Κυδίστῃ ἀλόχῳ Ἀπολλ[ώ]νιος εἵσατο σῆμα
Κεστίᾳ Βικτωρίᾳ Φλωρέντιος, εἶδος ἀρίστῃ·
[ἥ] τ' ἐπὶ τριήκοντα χρό[ν]ους βίοτον τελεθούσῃ
σωφροσύνης ἐρα[τ]ῆς ἀραμένῃ στέφανον,
[Πιε]ρίδων Μουσῶν ἰσαρί[θμι]ος ἐστὶν ὅμαρτυς,

[οὓς δὲ π]όνους προφέρεσκεν [ἑῆς ἐ]κ νηδύος ἀγνῆς,
[τ]οῖς χαίρουσα φίλ[οις] πᾶσιν ἀληθ[ὲς ἀεί.]

Num haec vera esse possint, accuratior cognitio docebit. V. 2. Welckerus *ΦΛΩΡΕΝΤΙΩ* mutat in *Φλωρέντιος*, quod alterum nomen Apollonii sit, quia *Φλωρέντιον* ut nomen feminae suspectum sit. Hoc posterius quidem facile quivis concedet: sed veri tamen similius videtur, scribendum esse *Φλωρεντίᾳ*. Quamquam hoc ad summam leve est. V. 3. primo metrum vitiosum est, deinde *τελεθούσῃ* nominativus peccat in grammaticam. Quod ait Welckerus, „*singularis locutio est βίοτον τελεθούσῃ*," verum esset, si non esset numerus adiectus: quo addito non magis quidquam singulare in verbis illis est, quam si dictum esset *βίοτον τριακονταέτις*. V. 4. *ΛΗ* litteras, quae inutiles in principio positae sunt, Welckerus ex *CH* praecedentis versus temere repetitas putat. At quemadmodum hoc parum probabile, sic illud re diligentius expensa aliquanto veri similius videtur, recte se habere litteras istas, notasque esse numeri XXXVIII: quo simul indicium continetur, qua ratione emendandus sit qui praecedit versus: quem scriptor epigrammatis non ad severas quidem veteris prosodiae leges, sed ad non contemnendum tamen sui aevi usum sic scriptum voluit:

ὀκτὼ ἐπὶ τριάκοντα χρόνους βίοτον τελεθούσῃ.

V. 5. Welckerus novum creavit vocabulum *ὅμαρτυς*, sensu, ut ait, exigente, quod formatum sit ut *ἔπηλυς*, *νέηλυς*, *πολύδακρυς*. At de sensu quod dicit, petitio principii est: fingit enim, et quidem sine caussa, sensum, qui eiusmodi vocem requirat. Deinde vero etiam omni analogiae contraria est nova illa vox, minimeque omnium comparari potest cum illis quae attulit vocabulis, in quibus *υ* ad ipsam radicem pertinet. Graecae vocis si speciem prae se ferret vox ista, ultimam syllabam *ις* esse oporteret, ut in *Βριτόμαρτις*, quod fuerunt qui ab *ὁμαρτεῖν* derivatum vellent. Sed redeo ad sensum, quem his versibus tribuit Welckerus. Scribit ita: „*si Cestia*

Victoria sectatoribus Musarum post mortem consociatur, carmina videtur fecisse (ut Petronia Musa in Iacobsii App. n. 338. 349*); eaque ex re intelligitur, cur eius fructus materni gremii πόνοι dicantur, respectis nimirum laboribus litterariis, qui per praecedentia sunt indicati. Sed vel si propter solam virtutis coronam Musis adnumeraretur, magnam quidem poeta sibi licentiam indulgente, πόνους refertur ad Musas, habetque tum ea mentio hanc sententiam, pro Musaeis fetibus Cestiam alios eosque meliores edidisse.*“ Hic primo quaerimus, ubi tandem dictum sit, Cestiam post mortem sectatoribus Musarum consociari. De ea re ne verbum quidem in epigrammate est. Deinde carmina Cestiam fecisse censet. Vt hoc tantisper concedamus, ex eo apparere vult, cur eius carmina *πόνοι* vocentur. At illud *πόνους* Osanno demum debetur, multaeque erat dubitationi subiiciendum. Sed hos sive poeticos lusus sive alios labores litterarios *πόνους* materni gremii vult dictos esse. At vero hanc nemo non intelliget nimis portentosam metaphoram esse, si libros scribens mulier labores suos litterarios ex utero suo, *ἐῆς ἐκ νηδύος*, producere dicatur. Videtur hoc ipse sensisse Welckerus: quocirca aliam explicationem adiecit, ut, si Cestia, magnam licentiam sibi indulgente poeta, propter coronam virtutis Musis adnumeretur, *πόνους* referatur ad Musas, mentioque earum hanc vim habeat, ut Cestia *pro* musicis fetibus alios dicatur eosque meliores edidisse. Quam magnam licentiam appellat, est ea profecto magna, sed iterum cum petitione principii, quod Cestia propter virtutem suam Musis adnumeretur. Sed ut hoc ita sit, quomodo *πόνους*, si non significat scripta, referri ad Musas potest? et quidem vox, quam Welckerus pro certissima habet, quamvis in lapide nihil nisi *ONOYC* conspiciatur? Denique ubi tandem vel levissimum indicium absurdae istius sententiae exstat, *pro* Musaeis fetibus alios Cestiam atque meliores, pueros videlicet et puellas, procreasse? Facilius certe, quamquam non in laudem ma-

tris, exspectes, liberorum loco eam versus in lucem edidisse. Sed istae omnes coniecturae non in mentem venissent Welckero, si cogitasset, *ἰσαρίθμιος* non esse *ἐναρίθμιος*, atque idcirco quod Musaeum in Cestiae fetibus sit, non nisi in numero Musarum esse positum. Ita vidisset, quod sponte se offert, novem liberorum matrem dici Cestiam. In ultimo versu epigrammatis Osannus *πᾶσιν ἀληθὴς* legendum putabat, qui propter significatum quem *ἀληθὴς* hic habeat, *non oblivisceudus*, Hesychii verba affert: *ἀληθέα, ἀψευδῆ, καὶ τὰ μὴ ἐπιλανθανόμενα. ἀληθεῖς, οἱ μηδὲν ἐπιλανθανόμενοι, ὡς Πίνδαρος.* At primo Hesychius activam, non passivam significationem adnotavit. Deinde et activa et passiva dubitationi obnoxiae manebunt, usque dum verba Pindari, quae rem comprobent, in lucem fuerint protracta. Et postquam id factum erit, nisi est iam factum, innuunturque *Ὧραι ἀλαθέες* in sexto apud Boeckhium fragmento, apparebit, interpretationem istam vanum inventum esse grammaticorum. Sed Welckerus, qui recte quidem hic pentametrum potius quam hexametrum requirit, activam significationem, *non immemor*, securus adsciscit, atque idcirco duorum postremorum initia versuum sic integrat, *οὓς δὲ — τοῖς*. „*Eo*," inquit, *nititur et οὓς δὲ — τοῖς, quod posui, et tota quam restitui sententia, Cestiam omnium dilectorum suorum liberorum etiam in caelo Pieridum Musarum in societate laetam recordari. Confirmandae huic coniecturae sit, quod vix alia satisfacere potest, quae χαίρουσα non cum praegresso ἐστὶ coniungens aliud verbum ponat.*" At de caelo nihil in epigrammate dictum, Musarum autem societas a Welckero demum per vocabulum non Graecum illata. Quod vero contendit haud facile aliam inventum iri coniecturam, quae satisfaciat, hoc quoque illa nititur petitione principii, quod *χαίρουσα* cum *ἐστὶ* sit coniungendum. Nulla re nisi mente non perturbata, iustaque observatione eorum opus est, quae lingua et metrum et conspicua in litteris argumenti vestigia vel permittunt vel suppeditant, ut facili opera

quod magis satisfaciat restituatur. Videtur epigramma sic ferme habuisse.

Κυδίστῃ ἀλόχῳ Ἀπολλ[ώ]νιος εἵσατο σῆμα
Κεστίᾳ Βικτωρίᾳ Φλωρεντίᾳ εἶδος ἀρίστῃ,
[ὀκ]τὼ ἐπὶ τριάκοντα χρό[νους] βίοτον τελεθούσῃ,
σωφροσύνης ἐρα[τ]ῆς ἀραμένῃ στέφανον
[Πιε]ρίδων Μουσῶν ἰσάρι[θμον,] ὅς ἐστιν ὁ μάρ-
τυς,
[εὔτοκ]ον, οὓς προφέρεσκεν [ἑῆς ἐ]κ νηδύος ἁγνῆς·
οἷς χαίρουσα φίλ[η] πᾶσιν ἀληθ[ινὴ ἦν.]

Nemo non statim videbit, horum verborum, *ὅς ἐστιν ὁ μάρτυς*, hunc esse sensum: *quae liberorum corona testis est servatae fidei coniugalis.* Nec dubitabit quisquam quin ad *οὓς* ex *στέφανον εὔτοκον* intelligendum sit *παῖδας*. Quamquam quum *εὔτοκον* non nisi ex coniectura positum sit, suspicari licet *ON* in describendo lapide pro *ΩN* male lecto esse positum Tum quidem hiatus per *παίδων* esset explendus.

SEPTEM APERTA OPERTA APVD AESCHYLVM.

Diu est, quum primum promisi me Aeschylum esse editurum. Quod nomen ut nondum exsolverim, caussae fuerunt quum labores alii, quos modo ultro suscepi modo imponi mihi passus sum, tum operis ipsius magnitudo et difficultas. Sed tamen standum promissis est, quum praesertim multi flagitent, nec quisquam me visat, quin Aeschylus quando sit proditurus quaerat. Mihi quidem haec cunctatio plus nocuit, quam Aeschylo. Vereor enim, ne, quo diutius moror, eo prolixiores exspectentur commentarii, sperentque nonnulli me vel de rebus grammaticis multa dicturum, vel quaesiturum de reconditis atque abstrusis, qualia quibus in mentem veniunt, habentur doctissimi. Verum haec ego aliis relinquam: mihi ab initio hoc fuit propositum, ut ea afferrem, quibus efficeretur, ut sui similior quam adhuc est esse videretur summus poeta. Nam etsi multi ad eum emendandum operam contulerunt suam, tamen singulari fato factum video, ut illi vel in pusillis quibusdam rebus toti adhaerescerent, vel, si ad difficiliora accederent, corrumperent plura quam vitiis purgarent, eo quod debile pectus non caperet vim immensam tanti ingenii. Quorum ego in laboriosissima opera illud saepe miratus sum, quod dum se miris modis torquent, quasi caligine quadam ocu-

lis offusa, non viderunt ea, quae quomodo latere potuerint multo difficilius intelligas, quam quomodo animadverti. Iuvat ex singulis fabulis poetae unum aliquod exemplum afferre.

I.

In Prometheo postquam a nobis observatum erat, quae ab his verbis, *ὕπο δὲ κηρόπλαστος ὀτοβεῖ δόναξ* v. **576**. leguntur, iis respondere, quae sequuntur a v. **595**. ridiculo quodam modo conturbati sunt critici discrepantia numerorum, quae inter hos versus est, qui sunt **579—581**.

τί ποτέ μ', ὦ Κρόνιε παῖ, τί ποτε,
τί ποτε ταῖσδ' ἐνέζευξας εὑρὼν
ἁμαρτοῦσαν ἐν πημοναῖσιν; ἔ ἔ·

et versus **598—600**

θεόσσυτον δὲ νόσον ὠνόμασας,
ἃ μαραίνει με χρίουσα
κέντροισι φοιταλέοις. ἔ ἔ.

Scripturae nulla memorabilis diversitas est, quam quod cod. Guelf. *πημοναῖς*, et duo codd. Vindob. *κέντροις* habent. Mirum, ac potius incredibile est, quas machinas viri docti excogitaverint, ut haec in ordinem redigerent. Et tamen vel adspexisse hos versus satis est, ut intelligas sic esse scribendos:

τί ποτέ μ', ὦ Κρόνις παῖ, τί ποτε ταῖσδ'
ἐνέζευξας εὑρὼν ἁμαρτοῦσαν ἐν
πημοσύναις; ἔ ἔ.

et:

θεόσυτον δὲ νούσον ὠνόμασας, ἃ
*μαραίνει με χρίουσα κέντροις * **
φοιταλέοις. ἔ ἔ.

Incertum in his est, excideritne aliquid in antistrophicis, an pro *κέντροις* alia scripta fuerit vox, ut *κεντρώμασιν;*

certum autem, reponendum esse πημοσύναις. quo vocabulo in eadem illa fabula Aeschylus v. 1057. est usus. Sed nullus editorum vidit.

II.

In Septem ad Thebas v. 229. Eteocles haec dicit choro:

μή μοι θεοὺς καλοῦσα βουλεύου κακῶς·
πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας
μήτηρ, γυνὴ σωτῆρος· ὧδ' ἔχει λόγος.

Absurdissime obedientiam uxorem dici salutis nemo non fatebitur, licet scholiastis id subtiliter ac venuste inventum esse videatur. Succurrerunt critici, γύναι corrigentes, neque codice ullo suffragante, et, si attendissent, satis inepte. Quorsum enim isto quidem tam importuno loco chorum appellet rex? Hic quoque ipsa se quasi oculis offerebat emendatio:

πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας
μήτηρ, γονῆς σωτῆρος· ὧδ' ἔχει λόγος.

Sed nullus editorum vidit.

III.

Multo incredibilius est, repertam veram rationem intellectam non esse. Id accidit in Persis, ubi postquam chorus aliquot duces, quos desideraret, nonominaverat, v. 1006. haec addit: nam personas, in libris male distinctas, antistrophicorum comparatione adducti emendarunt editores:

ἔταφον, ἔταφον, οὐκ ἀμφὶ σκηναῖς
τροχηλάτοισιν, ὄπισθεν δ' ἑπόμενοι.

Valckenarius, qui haec Xerxis verba esse putaret, non

reprehendendus, quod ἔταφεν, ἔταφεν scribendum censuit ad Hippol. 1247. Sed chorus si haec dicit, quum per se absurdum est, qui quaerat ubi sint illi, ipsum dicere sepultos esse, tum arguitur dicti perversitas iis, quae ad haec Xerxes respondet:

βεβᾶσι γὰρ τοίπερ ἀγρέται στρατοῦ.

Nimirum diu non intellecta fuerunt caetera: quae nos quum multos ante annos ab Herodoto lucem accipere animadvertissemus, qui VII. 41. ita scriberet: ἐξήλασε μὲν δὴ οὕτω ἐκ Σαρδέων Ξέρξης· μετεκβαίνεσκε δέ, ὅκως μιν λόγος αἱρέοι, ἐκ τοῦ ἅρματος ἐς ἁρμάμαξαν· (ea est quam Aeschylus σκηνὰς τροχηλάτους dicit) αὐτοῦ δὲ ὄπισθεν αἰχμοφόροι Περσέων οἱ ἄριστοι τε καὶ γενναιότατοι, χίλιοι, κατὰ νόμον τὰς λόγχας ἔχοντες· est id quidem nuper etiam ab aliis observatum. Ex qua observatione quid potest planius esse, quam quid sit illud, quo restituto et rectissime oratio et aptissime procedat:

ἔταφον, ἔταφον· οὐκ ἀμφὶ σκηναῖς
τροχηλάτοισιν, ὄπιθεν ἑπόμενοι·

miror, miror: non sunt circa tentorium curule, pone sequentes. Tum rex: *perierunt enim, qui duces erant exercitus.* Sed nullus editorum vidit.

IV.

In Agamemnone v. 699. haec leguntur:

μεταμανθάνουσα δ' ὕμνον
Πριάμου πόλις γεραιὰ
πολύθρηνον μέγα που στένει
κεκλήσκουσα Πάριν
τὸν αἰνόλεκτρον,
παμπρόσθη πολύθρηνον αἰῶ-
ν' ἀμφὶ πολίταν
μέλεον αἷμ' ἀνατλᾶσα.

De miro illo verbo *παμπρόσθη* et dubitatum est usque adhuc, et fortasse posthac dubitabitur. Sed postrema quoque aperte vitiosa sunt, quae non congruant cum numeris strophicis:

κέλσαντες Σιμόεντος ἀ–
κτας ἐπ᾽ ἀεξιφύλλους
δι᾽ ἔριν αἱματόεσσαν.

Quid Humboldtius vertendo expressisset, mirum est non esse intellectum. Expressit ille, quod a me ei commendatum est, non autem in adnotationibus ad eius versionem adnotatum. Nam etsi quae praecedunt, hodie lenius puto corrigi posse, tamen postrema quomodo scribenda sint, quis credat quemquam potuisse fugere, praesertim quum scholiastae adnotatio, *αἰῶνα πολύθρηνον καὶ μέλεον αἷμα ἀνατλᾶσα*, hunc non habuisse *ἀμφὶ* ostendat Scripserat Aeschylus:

μεταμανθάνουσα δ᾽ ὕμνον
Πριάμου πόλις γεραιὰ
πολύθρηνον μέγα ποὺ στένει, κικλήσκουσα Πάριν τὸν αἰνόλεκτρον
πάμπροσθ᾽, ἦ πολύθρηνον αἰ–
ῶνα, φίλον πολιτᾶν
μέλεον αἷμ᾽ ἀνατλᾶσα.

Sed nullus editorum vidit.

V.

In Choephoris Electra quomodo Clytaemnestra Agamemnonem interfecerit, his verbis exponit v. 421.

ἔκοψε κομμὸν Ἄρειον, εἴτε Κισσίας
νόμοισι πολεμιστρίας
ἄπριγκτοι πληκτὰ πολύπλαγκτα δ᾽ ἦν ἰδεῖν
ἐπασσυτεροτριβῆ τὰ χερὸς ὀρέγματα.

In his *ἀπριγδόπληκτα* et *πολυπλάνητα* scribendum esse, fuerunt, qui animadverterent. Et profecto vel caecus id videat. Sed iis, quae praecedunt, nesciverunt quid facerent. Porsonus, raro ille felix in Aeschylo emendando, in praefatione ad Hecubam p. 8. *vel transpone*, inquit, *Ἔκοψ' Ἄρειον κομμόν, vel lege, quod sententiam melius connectit, κομμὸν δ' ἔκοψ' Ἄρειον.* Non dixisset ista, si vel antistrophica esse, et singulis syllabis observari responsionem vidisset, vel cogitasset de sensu verborum. Quin tanta fuit levitate, quanta qui illud *Ἄρειον* vel tulerunt vel emendare conati sunt omnes, ut ne scholiastam quidem inspiceret, qui quum scribat, *Ἄρειον, Περσικόν*, patet ab Aeschylo profectum esse *Ἄριον*: de quo nomine videndi interpretes Hesychii ad v. *Ἀρείας*: ut hic quoque rudis illa transpositionis panacea in malam rem abire iubeatur. Tum vero quae tandem sunt istae Cissiae bellatrices? Nullae fuerunt umquam. Nam quod Blomfieldius ait, *πολεμιστρίας libri universi*, vel errore scripsit, vel magna quadam negligentia. A Turnebo illud ex coniectura illatum est: libri et scripti et impressi ante Turnebum, qui soli in postremis tragoediis genuini fontes sunt, universi habent *νόμοισι λεμιστρίας*. Vnde quid potest apertius esse, quam scripsisse Aeschylum:

> *ἔκοψε κομμὸν Ἄριον, ἔν τε Κισσίας*
> *νόμοις ἰηλεμιστρίας*
> *ἀπριγδόπληκτα πολυπλάνητά τ' ἦν ἰδεῖν*
> *ἐπασσυτεροτριβῆ τὰ χερὸς ὀρέγματα.*

Nam brachiorum iactatio usitata Cissiis praeficis in plangendo illud est, quo ad describendos Clytaemnestrae feroces ictus utitur. Et quo minus quis quamvis in re per se plana dubitet, Hesychius, haud dubie, ex hoc ipso loco: *ἰηλεμιστρίας, θρηνητρίας*. Sed nullus editorum vidit.

VI.

Levis est, sed eo ad eluendum facilior macula, quae in his est Eumenidum versibus, 461. seqq. ubi Orestes sic de caede patris loquitur:

οὗτος ἔφθιτ' οὐ καλῶς, μολὼν
ἐς οἶκον, ἀλλά νιν κελαινόφρων ἐμὴ
μήτηρ κατέκτα ποικίλοις ἀγρεύμασιν
κρύψασα, λουτρῶν ἐξεμαρτύρει φόνον.

Orationem non cohaerentem ut sarciret, λουτρὼν coniecit H. Stephanus, fassus tamen λουτρῶν etiam scholiastam legisse. Aptius Scaliger λουτρῶν δ' ἐξεμαρτύρει corrigebat. Id quidam amplexi sunt: alii ad Stephani partes redierunt, non cogitantes ne sic quidem copulari abrupta, neque animadvertentes et ineptam esse quam inferrent sententiam, et repugnare illis, quae dicta sunt in Choephoris v. 980. seqq. ubi velamen illud, quo implicatum occiderat Agamemnonem Clytaemnestra, populo ostenditur. Haec tam sunt plana, tamque clara luce quasi feriunt oculos, ut vix credibile sit, non exstitisse qui scriberet:

ἀλλά νιν κελαινόφρων ἐμὴ
μήτηρ κατέκτα ποικίλοις ἀγρεύμασιν
κρύψασ', ἃ λουτρῶν ἐξεμαρτύρει φόνον.

Sed nullus editorum vidit.

VII.

In Supplicibus v. 354. chorus regem Pelasgum his verbis orat ut sibi subveniat:

ἴδε με τὰν ἱκέτιν φυγάδα περίδρομον
λευκόστικτον ὡς δάμαλιν ἅμ πέτραις
ἠλιβάτοις, ἵν' ἀλκᾷ πίσυνος μέμυ-
κε φράζουσα βοτῆρι μόχθους.

In his λευκόστικτον e Stephani editione manavit, secure in ea scriptura acquiescentibus plerisque doctorum: quorum eos, qui post accuratius cognitam rem metricam Aeschylum attigerunt vel ex numeris suspicionem vitii concipere oportebat, quum qui huic respondet versus 367. his verbis incipiat, ποτιτρόπαιον αἰδόμενος: omnes autem, si quidem Aeschylum cognitum haberent, vocabulo commoveri decebat perquam inepto. Quid enim? num albis distinctae maculis vaccae magis quam quae alio colore sunt a pascuis ad invia devagantur? Non potuerat profecto inutilius poeta atque inertius ponere epitheton. Vnus tantum criticorum, temerarius ille quidem supra modum, sed sagax tamen et non hebetis vir iudicii, Georgius Burgesius, rectam est veri inveniendi viam ingressus, quamquam ipsam assequi veritatem nequivit. Is λύκῳ δερκτὸν scripsit. At cui tandem et librorum ante Stephanum omnium scripturam λευκόδικτον intuenti et scholiastae legenti adnotationem, τῷ ἑαυτῆς βοτῆρι σημαίνουσα τοὺς διωγμούς, obscurum esse potest, scripsisse Aeschylum:

ἴδε με τὰν ἱκέτιν φυγάδα περίδρομον,
λυκοδίωκτον ὡς δάμαλιν ἄμ πέτραις
ἠλιβάτοις, ἵν' ἀλκᾷ πίσυνος μέμν-
κε ***** φράζουσα βοτῆρι μόχθους.

Sed nullus editorum vidit.

INCREDIBILIVM

LIBER PRIMVS. *)

Incredibilium quae in aetate hominum accidunt nullus uberior fons est, optimi Magistri, quam cupiditatis vis tanta, ut hominem imperio in se exuat. Id me suo exemplo ostendere, quamvis invitum, tandem coegit is vir, qui quo erga me animo sit nec vobis neque aliis ignotum est, G. H. Schaeferus, quum in Plutarchi Vitarum vol. VI. p. 506. haec scripsit: *Quae de iniuriis ab Hermanno per hos duodetriginta annos mihi petulantissime illatis scripsi non male, ut credo, meriturus de iuvenibus, quos nisi monitor surgat gravis et severus isque grandis natu, tale exemplum facile agat transversos, adeo moverunt bilem hominis ira debacchantis, ut eius in me virus evomeret praef. ad Aristophan. Nub. p. XVII. ubi recensum eorum, quae Fr. A. Wolfio illiusque sequaci Reisigio communia fuisse opinatur, his verbis finivit:* „— quin, ut nihil deesset, eadem etiam post obitum sors (*Wolfio et Reisigio*), quando quos vivos aggredi celeris vindictae metu non est ausus, eorum in manes fortis exstitit G. H. Schae-

*) Scriptus est creationi Doctorum Philosophiae a. 1830.

ferus, immemor monentis, vir ζηταρετησιάδης, vel maledicentissimi poetae,

οὐ γὰρ ἐσθλά, κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσιν.

Sed Schaeferi odiis, donec eorum qui nobiscum vixerunt quisquam superstes erit, non deerunt iusti iudices. Qui post vivent, provisum est, ut quae sunt caussae tantae invidiae, non quae praetexuntur, eas penitus sint atque ordine cogniturі. Neque enim irati sumus irato, aut laedere volumus laedendi nullas et ne indignissimas quidem artes adspernantem, sed ignoscimus potius et quantum fieri poterit excusabimus infelicem errorem mentis, quo vir, nisi impotens animi esset, optimus amicos pro hostibus habens, nec quae facta pro quibus factis reddat videns, ipse sibi famaeque suae factus est hostis." *Attente haec ubi legerint qui multo me usu norunt, dicant satisne ad vivum ab hoc artifice expressa sit imago Schaeferi: ceteri, si quorum referat me nosse, illis auscultent. De iis qui post vivent, alios terreat incorruptum neque ullis fraudibus expugnabile iudicium posteritatis, me non terret. Reiskii manes, quibus Halensis iste homo illuserat, ego ultus sum: meos erunt qui a contumeliis vecordium calumniatorum tutentur.*

Haec scribere Schaeferum potuisse quum alii multi mirabuntur, tum ego miratus sum maxime, qui huic viro et quo tempore amicus esse videbatur et postquam inimicissimum esse cognoveram, quacumque in re possem non modo rogatus, sed etiam ultro ea dederim amicitiae documenta, tantoque studio pro eo laboraverim, ut ipse et ante hos tredecim annos (et tamen a duodetriginta me iniuriosum esse ait) amplexans, exosculans, summumque amicum suum vocans gratias mihi non sine lacrimis ageret, et duobus fere abhinc annis, quum eum nihil succensens domi suae convenissem periculi cuiusdam avertendi caussa, factoque cognovisset, quod non putaverat, non destitisse me ei bene velle, familiaribus quibusdam suis

se non amplius adversus me scripturum esse affirmaret. Quo confessus est iniustitiam, qua et fuisset usque ad eum diem reprehendendo, et futurus esset non reprehendendo posthac: nam neque, si non mererer, stringere in me tela sua debebat, quia odisset; neque, si mererer, non stringere, quia bene ei vellem. Dixi iis, qui illud mihi narrabant, non cessaturum maledicere: non posse enim. Et profecto factus est etiam acerbior. Olim enim eorum quae a me scripta erant alia non improbabat, alia probabat, alia etiam laudabat: in iis vero, quae scripsit ad Demosthenem et Plutarchum, probat nihil, reprehendit omnia, tribuit quae non potest reprehendere sibi vel aliis, vituperat universam rationem studiorum, monet iuvenes litteris operam dantes ne audiant me, cuius in ludo nihil nisi vana, inepta, prava discantur, quodque omnium maxime mirum est, his rebus se boni viri officio fungi putat. Mea quidem sententia rectius et saltem honestius fecisset, si perrexisset lectiones Academicas habere, litterasque et humanitatem docens hunc ludum meum condita melioris exempli schola obscurasset atque oblivione obduxisset, quum praesertim etiam doctrinam metricam, ut fertur, hydram istam Lernaeam, quae ab Herculibus et Heracliscis occisa nondum periit, decreverit exstinguere. Sed non satis: aggressus est etiam animum, obtrectatorem me calumniatoremque vocans, denique nihil non mali exprobrans.

Petulans, protervo, iracundo animo, indomito, incogitato,
Sine modo et modestia sum, sine bono iure atque honore,
Incredibilis, imposque animi, inamabilis, illepidus vivo,
Malevolente ingenio natus.

Sed etiamsi et haec et quae reliqua de se ille Plauti Mnesilochus praedicat, in me expetere crederet, tamen consultius erat, opinor, aliquid saltem mihi et veri et boni relinquere, ne se ipse iudicii haud sane incorrupti suspe-

ctum redderet. Nam nimis profecto incredibile omnibus videri oportet, quemquam hominem totum ex perversitate et malitia esse compositum. Et quomodo de me id credent illi quos abstrahere a me adnititur auditores mei, quorum nullus umquam me in scholis, quod solet malevolis opportunissimum ἀχονιτὶ vincendi theatrum esse, quidquam in eum vel acerbe vel inique vel irreverenter dicentem audivit? Etenim ego ad ista quid facerem? Quod feci: nihil. Nam defenderemne vel dicta vel facta mea? At sic existimo: veri si quid dixerim, (puto autem tantum saltem dixisse, quantum ab ipso adoptatum video) id non minus mansurum, quam periturum, si quid ipse non veri dixerit; animo autem quam quis vel bono vel magno sit, penes alios decere iudicium esse, quia suum animum laudanti non plus fidei est quam virgini iactanti virginitatem suam. An vero quod de industria me vituperari viderem, quodque conviciis et in scriptis et in familiaribus colloquiis peti, par pari referrem? Absit, ut reprehensionem refutari vicissim reprehendendo credam; proscindique conviciis non honestius ducam quam contra ingerere. An forte ulciscendi caussa, ut quidam solent, amicos, discipulos meos, eosve qui ipsi laesi essent instigarem, ut ad persequendum perdendumque convolarent virum mihi infestum? At nec vindictae cupi-
6 dus sum, neque pro me alios telis adversarii exponere volo, neque omnino propter unius viri iniustam iram conflari bellum Troianum operae pretium aestimo. An vero, quoniam hoc quoque quidam faciunt, contumeliose dictis opponerem quae alii in laudem meam dixissent, quoque magis laudassent, tanto eos mihi potentiores deos tutelares fore existimarem? At nec laudis tam avidus, quam illi, neque vituperationis tam metuens sum, qui sciam quam facili opera utrumvis pariatur, nec tamen videam utrovis ullum hominem vel meliorem quam est vel deteriorem factum, multoque optabilius esse intelligam contumelias quam laudem non meruisse Reliquum erat, ut in ius vocarem. At et inhumanum ducebam, facere ut poenam lueret, cui ipse, quod animi non compos esset,

ignoscerem, nec periclitari videbatur existimatio mea, praesertim ab eo, qui eam capulo feriret, sua manu aciem prehendens gladii. Quid enim, si quis ex utriusque nostrum scriptis eo, quo deinceps ordine edita sunt, illa omnia colligeret atque componeret, in quibus alter alterius mentionem vel nominatim vel, ut ille plerumque, suppresso nomine fecimus? Numquamne cogitavit Schaeferus, quid et aequales nunc dicant, et olim dicturi sint posteri, quorum incorruptum iudicium sibi non metuendum putat, si his tam claris, tam non dubiis vocibus utrumque nostrum de se ipsum quo animo quibusque moribus sit testantes videant? Ad haec, quae in conspectu sunt hominum litteratorum, accedunt illa, quae domi fiunt. Scit ipse quo studio fuerit, quum Reisigii irritabile cor Oedipo Coloneo a me edito interitum spirabat, de qua re alibi lepida narrabuntur. Non infitiatur, nec potest infitiari, se in sermonibus cum iis, qui eum visum veniunt, vehementissime et contumeliosissime de me conqueri et quid patraturus sit minitari. Ego quidem, qui iniuriam ab eo sibi factam ulturi erant, oravi ne id facerent, asseveravique, si sciret quam iniustus esset, ipsum magis quam illos doliturum: pariterque defendi eum atque excusavi apud illos, qui non pauci fuere, quos indignatos eius maledicentia videbam, dixique aegrotare eodem morbo, quo laboraverit I. H. Vossius, vir voluntate iustus, factis saepe iniustus. Neque enim mirum esse, virum multas fortunae iniquitates expertum, consciumque sibi magnae multoque labore partae doctrinae, eamque a quibusdam non tanti, quanti aequum sit, fieri, atque adeo alios, quos se multo inferiores esse iudicet, praeferri sibi credentem, paullatim, praesertim si se a consuetudine hominum segreget, adeo suspicacem fieri, ut nihil non in pessimam partem accipiat, quaeque ipse animo exacerbato sibi finxerit pro veris habens, omnia sibi atra cernere videatur. Haec quidem quum feci, non puto me ei iniurias intulisse. 7

Succensuit mihi primum, ut quidem ait et usque repetit, novissime in Plutarchi Vol. V. p. 90. atque adeo

in Indice v. κἄν, propter unum verbum, sine malo animo positum in praefatione ad librum Vigerii, de qua culpa exposui in dissertione quam scripsi de transpositione verborum. Inde alias atque alias invenire sibi visus est caussas, quibus odium semel animo conceptum aleret. Cuius odii vim omnem impetusque quantumvis indecoros, quamdiu ipse solus petebar, tacens aequo animo sustinui: ubi autem propter me etiam discipulos meos et vehementissime et iniustissime est adortus, postquam ipse ei dixi id me non esse passurum, bis terve de illa iniquitate conquestus sum; postremumque, quum etiam mortuo insultasset, id feci illis quae supra allata sunt verbis in praefatione Nubium. Ea ego non ira debacchans, ut ipsi visum est, scripsi, sed tam considerate et cogitate, quam decebat qui nullum verbum ponere constituissem, quod non aliquando ostensurus essem dictum esse verissime. Dolebam potius, quod eum virum, quem veri rectique observantissimum esse credidissem, eo usque cupiditati suae indulgere animadverterem, ut nihil earum rerum ipse ab se arceret, quarum si in aliis vel aliquid deprehenderet, exagitaturus esset acerbissime. Sed illa opinabar satis mature cognosci, si utroque nostrum mortuo cognoscerentur. Nunc vero, quoniam ipse urget, non veritus ea dicere, quae in civitate bene ordinata nec dici, nisi demonstrata, nec dicta ferri fas est, iam eum publice rogatum volo, ut quae sint illae quas sibi a me illatas esse ait iniuriae, palam ostendat, quo et mihi et aliis, quid sibi istis criminationibus velit innotescat, claraque in luce videamus, quod corpus quasque figuras habeant spectra illa, quorum in tam longo tempore quasi per nebulam nihil quidquam nisi obscuras quasdam atque incertas umbras conspeximus. Oro autem etiam atque etiam, ut posita ali-
8quantisper ira missisque querimoniis, calumniis, opprobriis, contumeliis, conviciis, ex quibus nihil nisi quo ipse sit animo, non ego quid deliquerim elucescere potest, tandem aliquando, si se virum bonum haberi vult, facta, eaque vera, non sua in mente nata, com-

monstret, caveatque ne facinora afferat talia, quale illud est, quod in indice Plutarchi v. *κἄν* enucleavit, cogitetque, risuros esse (risu autem ecquid inoptabilius gravem se et severum monitorem surgere professo?) qui videant, quia ego aliquando scripserim *qua quidem de re non praeripiam quae Erfurdtius meus admonebit*, (ea res autem constructio est particulae trium litterarum *κἄν*) propterea ipsum vicesimo anno post ad Plutarchum vol. V. p. 241. in haec verba erumpere: *V. mea in Append. ad Bastii Epistol. Critic. p. 26. s. et in Epimetro II. ad Aristophan. Plut. p. XXXVIII. s. Ad quae carpenda cum plures olim certatim convolassent iussi a magistro, ne quid ego privi propriique docuisse viderer, postmodo non sine risu magistrum intellexi, aut securum aut oblitum istius alumnorum mihi insultantium certationis, illi meae disputationi tantum habuisse honoris, ut eius auctoritate uteretur in Vigerianis p. 822. falso dicens recentissimos quos debebat dicere scriptores citerioris Graecitatis. Nisi forte Plutarchus aequalesque adeoque vetustiores in recentissimis numerandi sunt.* Ac vereor ne magis etiam rideant, si inspexerint libros in indice Plutarchi citatos, viderintque quae sit illa insultantium certatio: cuius me quidem recte oblitum dicit, quippe tam pusillae, ut oblivisci facilius quam meminisse potuerim. Tales igitur argumentationes velim ut sua ipsius caussa non minus devitet, quam commemorationes eorum, quae numquam facta sunt, ipse autem, quia odio flagrans fieri potuisse cogitabat, credidit facta esse. Cuius generis nunc quidem duo mirabilia exempla promam.

In Apparatus ad Demosthenem vol. I. p. 264. de Reisigio sic scripsit: *Ipse Kusterus, qui mihi aliisque immerentibus satis νεανικῶς insultavit ad Xenoph. Oecon. p. 45. nunc, opinor, non diffitebitur, cum illa scriberem, ratione me et consilio usum esse. Viro doctissimo, quem insecutis temporibus existimationis meae studiosissimum expertus sum, νεανίευμα illud hoc lubentius condono, quo certius scio, tela in me*

9*coniecta non ipsum procudisse.* Scilicet me procudisse innuit. Omitto nunc quidem, quae multa dicenda habeo de his, quae vel laudat in Reisigio vel condonat: illud unum monstrabo, unde tam certo sciat, quod se scire dicit. Quamquam, etiam si tacerem, nemo id credet eorum, qui Reisigium cognitum habuerunt. Non enim ille sibi a quoquam passus esset tela procudi, quibus fabricandis ipse ita sufficeret, ut aliunde acceptis uti turpe sibi duxisset. Sed unde scit illud Schaeferus? Nempe ipse invenit. Nam res ita se habuit. Reisigius, qui tum in Vniversitate nostra litterarum studiosus erat, cum commilitone quodam suo, nunc clarissimo viro, quod pecunia indigerent, librum aliquem edere constituit. Convenere de Xenophontis Oeconomico, partitique inter se sunt operam. Iuvenilis lascivia, ab insolentiore genere scribendi commendationem libro accessuram rata, suasit et laudare quosdam effuse, et vehementer alios vituperare. Itaque me illi, magistrum suum, praeconiis extollere, tanto acrius carpere alios. Absoluto opere praefationem scripsit Reisigius, sumpto nomine Guilelmi Kusteri, in qua se olim militem fuisse scripsit, illum autem amicum suum (tanta fuit petulantia) in servum suum convertit. Librum, simulatque in lucem prodierat, usurpavit Bornemannus, nunc scholae Afranae professor, qui iam tum in Xenophonte, de quo postea praeclare meritus est, operam posuisset suam. Is me quum forte visum venisset, mira narrabat de Oeconomico, quem miles quidam una cum servo suo edidisset. Quaerenti mihi, quae esset militis istius vel doctrina vel indoles, hominem esse respondit non indoctum neque expertem ingenii, sed admodum ferocem. Ego commotus tanto miraculo, eo ipso die e bibliopolio, praeteriens forte, petii librum. Perlectis aliquot paginis agnovi Reisigium. Is quum forte paucis diebus post ad me venisset, quae tandem te, inquam, intemperiae agitarunt, ut Xenophontis Oeconomicum cum istiusmodi adnotationibus ederes? Haesit confusus, statimque confessus est. Ibi ego cum graviter propter illam et in laudando et in vituperando immo-

destiam et temeritatem admonui, tantoque impletus est metu, maxime quod in Beckium intemperanter invectus esset, ut se Gottingam conferre consultius duceret. Sed Beckius, ut erat aequum, risit feroculos impetus adolescentis: Schaeferus, sauciari se non dedignatus, aequum iudicavit, certo scire, a me procusa esse tela, quae me inscio et facta et in ipsum coniecta sunt; ubi autem facta coniectaque comperi, severam fabro suo a me castigationem peperere.

Alterum ficti criminis exemplum magis accommodatam vitis vestris, optimi Magistri, dicendi materiam praebebit, quia aliquid saltem habet, quod homines litterati non sine ullo ad studia sua fructu legant. In adnotationibus ad Plutarchum vol. V. p. 205. haec scripsit: *Meletemata illa tenent quae pervellem aut omissa aut aliter scripta. Interim profuerunt haud paucis tironum: ut scripsisse me non poeniteat. Sed hunc quoque libellum et olim, cum primum prodiisset in lucem (Thierschium testor bene gnarum illius tempestatis), et nuper adroserunt dentes maligni obtrectatorum.* Non fecit bene, quod Thierschium est testatus. Nam neque hic vir, qui ei responsor in publica defensione Meletematum erat, falsum testabitur, (animo enim esse liberrimo, neque aut metu aut gratia capi, quis nescit?) neque alius auditorum ullus, qui magno numero circumsteterunt: in quibus fuit vir eximiam postea claritatem adeptus, quem miratum scio, qui ista scribere potuerit Schaeferus: sed nominare nolo, ne, illaesus adhuc, poenas det. Narrabo rem, sicut acta est. Obsequutus erat Schaeferus meis aliorumque adhortationibus, ut se abiecto quae typothetae peccassent corrigendi tristi negotio ad docendas in Vniversitate nostra antiquas litteras conferret, paraturusque sibi id ius erat Meletematis ad disputandum publice propositis. Me ille, amicus eo tempore, rogaverat, ut contradictoris partes susciperem. Libenter promisi, rogavique, quoniam sciebam et magnum librum et plenissimum scriptorum citationibus scribi, ut singula folia, simulatque prelum reliquissent, mitteret, quo mihi

ne tempus ad inspiciendos scriptores illos deficeret. Vbi me invitatum venit instante solemnitate, exemplumque integrum libri obtulit, quaesivit haberemne de quo aliquamdiu colloqueremur: nam paucorum se verborum esse, et, si se errasse intelligeret, sine tergiversatione concessurum: non putare autem multa me invenisse de quibus dissentirem. Respondi, adnotasse me locos qua-
11 draginta et tres. Satis vero, inquit. Eorum locorum, quum ad disputationem ventum est, aliquos viginti commemoravi: concessitque de omnibus, vera me dicere. Attigissem etiam reliquos, nisi assedisset Tittmannus, vir S. R. collega meus, amicusque utriusque nostrum, quem si diutius a colloquendo arcere voluissem, inverecundus in ipsum, immodestus in Schaeferum, iniquus in auditores fuissem. Disputaveramus autem ita et ego et Schaeferus et socius eius Thierschius, ut par est inter amicos, eosque non alia quam veri inveniendi cupiditate ductos. Testem huius rei ipsum habeo Schaeferum. Nam peracta solemnitate eum diem totum usque ad vesperam apud eum suaviter transegi: quod quis credat factum esse, si aliquid inter nos simultatis intercessisset? Nam neque ille dissimulare potuisset aegritudinem, neque ego tam fuissem impudens, ut, quem laesissem, laesumve se putare vidissem, ei praesentia mea molestiam crearem. Non ergo in modo, opinor, quo disputatum est, erat quo arrosisse Meletemata viderer. Qua ergo in alia re? Non certe in eo, quod officio functus sum contradicentis: nam id rogatus feci, atque adeo, si detrectassem, iure vel inofficiosus vel inimicus essem visus. An vero, quod non, ut nonnulli solent, ludicra et quae ipse inania putarem attuli? At indignum utroque nostrum erat, si cum docto claroque viro sic agerem, ut cum adolescente, cuius quis vult ingenium captiosis interrogationibus speciosisve syllogismis explorare. Relinquitur nihil, nisi ut res ipsae, quae a me sunt in medium allatae, eum offenderint. Et, nisi fallor, ita est: tempestas illa, quam dicit, aliquanto post ipsius in pectore orta est, quum dolere coepit, quod non potuisset non concedere vera esse quae dixissem. Nam

quibus iniuria contradicas reprehendasve, facile obliviscuntur; irascuntur graviter, si iure. Accidit opportuno casu, ut ex illo exemplo Meletematum, quod in disputationem attuleram, reposito in scriniis, quoniam alio cui Dionysii liber adiunctus est utor, non exciderent schedulae, in quibus breviter ea adnotaveram, de quibus dicerem illo die. Ita factum est, ut nunc quoque afferre, quae tum partim dixi partim dicere volui, possim. Sed quum dimidiam fere partem eorum, quae consignaveram, tum protulerim, de quibusdam, non de omnibus nunc commemini venerintne in disceptationem an non. Quocirca nunc omnia enumerare volo, ut, qui haec legant, 12
ipsi iudicare possint, num in rebus, quas vel attulerim vel voluerim afferre, quidquam sit, quo arrosisse Meletemata videar, nisi si arrodere est dicere quibus in rebus dissentias, et quidem rogatus atque ad id ipsum invitatus.

Diviseram omnem disputationem in tria capita, alia contendens non recte, alia non accurate, alia praeter necessitatem dicta vel correcta esse. Sed quoniam non omnium est mentio facta, nec singula quae ex quoque genere attulerim memini, nunc omnia promiscue, paginarum ordinem sequens, exponam. In quibus quo leviora sunt multa, eo minorem ego quidem criminandi materiam fuisse crediderim.

I. P. 1. Initium feci defendenda scriptura *Ἁλικαρνασσοὺς* et similium, quam antiquiorem altera putarem, afferens ea, quae memoravit Erfurdtius in minore ed. Sophoclis ad Antigonae v. 1130.

II. P. 2. Dionysius in principio Artis rhetoricae sic scribit: *πανήγυρις εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν εἰς ἀνάπαυλαν τῶν περὶ τὸν βίον μειζόνων παραδεδομένη, ὥς που ὁ Πλάτων φησίν.* Vbi quum Schaeferus corruptum *μειζόνων* suspicatus esset mutandum esse in *μελεδώνων*, rectissime Sylburgium iudicasse existimabam, qui ipsius Platonis verbum *πόνων* reponi voluisset, videbaturque mihi illud *μειζ* ex perperam lecta praecedentis verbi *βίον* scriptura esse ortum.

III. P. 3. In his verbis Dionysii p. 226, 7. *ἀνδρὶ δὴ περὶ λόγους ἐσπουδακότι καὶ σύμπαντα τὸν ἑαυτοῦ βίον ἀνατεθεικότι τούτοις πρέποι ἂν οἶμαι τοῖς τοιούτοις λόγοις κοσμεῖν τὴν πανήγυριν, τέχνῃ μετιόντι τὸν λόγον, ὡς μὴ κατὰ τοὺς πολλοὺς εἴη αὐτῷ γινόμενος,* afferens ex codice *γενόμενος*, „*perparum*," inquit, „*interest.*" Mihi praestare codicis scriptura videbatur, quia, nisi *εἴη γενόμενος* scripsisset Dionysius, scripturus fuisset *γένηται*. Hodie si mihi sententia de hoc loco dicenda esset, tum illud argumentum impugnarem, quo *δὴ* defensum est, quae particula hic non potest ferri, tum *λόγοις*, quod post *τοῖς τοιούτοις* legitur, ut ineptum, manifestoque ex interpretis adnotatione natum, tolli debere contenderem.

13 IV. P. 11. Luciani verba sunt in Charidemo c. 25. *ἀλλὰ τί ταῦτα λέγω, ὧν τὸ κάλλος τέλος ἐστίν; ὧν γὰρ εἰς χρείαν ἥκομεν ἀναγκαίως, οὐκ ἐλλείπομεν οὐδὲν σπουδῆς εἰς ὅσον ἔξεστι κάλλιστα κατασκευάζειν· τῷ τε γὰρ Μενέλεῳ οὐ τοσοῦτον ἐμέλησε τῆς χρείας τῶν οἴκων, ἢ ὅσον τοὺς εἰσερχομένους ἐκπλήττειν.* In his Schaeferus deleto *ἢ* scribi iubet *ὅσον τοῦ τοὺς εἰσερχομένους ἐκπλήττειν*. Nimirum ea tantum verba quae de Menelao sunt consideraverat, quae quis neget sic ut corrigit apte enunciatam sententiam praebere? Verum si praecedentia quoque respiciuntur, (ideo ea apposui) aliquid inconcinnitatis apparet. Nam si ea, quae ad usum necessaria sunt, ut pulcra sint curamus, manet usui suum ius, ut necessario. Ex quo consequitur, etiam qui unice gaudeat splendida domo, non dicendum esse usum non tanti quanti splendorem, sed non pluris facere. Haec igitur inconcinnitas, si corrigenda essent verba, saltem quomodo interpretando removeri posset, videtur ostendendum fuisse.

V. P. 12. ima: „*Sic infra p.* 254. *v.* 4. *καὶ abundat ante παρὰ σεαυτῷ: p.* 235. *v.* 4. *ante πατήρ: p.* 240. *v.* 13. *ante ὑπὸ θεῶν.*" At nihil usquam abundare, iure, ut arbitror, contendi. Nam aut potestatem

aliquam habet vox, aut non habet. Si habet, non abundat: si non habet, vox est quae non est vox. P. 254. sic scribit Dionysius: *ἀλλ᾽ οὖν ἔστω σοι ὥσπερ τι δῶρον παρ᾽ ἐμοῦ εἰς συντέλειάν τε καὶ κόσμον τῶν γάμων τὸ μηδὲ τῶν περὶ τούτων εἰωθότων λέγεσθαι μηδ᾽ αὐτῶν ἀπείρως ἔχειν, εἴτ᾽ οὖν αὐτὸς καὶ παρὰ σεαυτῷ φυλάττειν βούλοιο, εἴτε καὶ ἑτέρῳ τινὶ τοῦτον οἷον ἔρανόν τινα εἰς χάριν συνεισφέρειν.* Ipse servat, qui non servandum dat aliis; apud se servat, qui servat intra domus suae parietes: quae quum sint duo et diversa, abest copula, ubi coniuncta cogitantur; adiicitur, ubi discreta. Non ergo abundat. P. 235. haec leguntur in loco vitioso, cuius ultima sic videntur scripta fuisse: *καὶ ὅτι εὑρόντες καὶ δείξαντες τοὺς γάμους τοῖς ἀνθρώποις, Ζεύς τε καὶ Ἥρα, πρῶτοι ζευγνύντες τε καὶ συνδυάζοντες· οὕτω τοι ὁ μὲν καὶ πατὴρ καλεῖται πάντων, ἡ δε ζυγία.* Patet comparationem in his esse. Atqui comparationis est, quale alterum sit, tale dici etiam alterum esse. Quare in comparando frequens est usus illius voculae. Hic quidem quemadmodum coniugii repertores fuerint illi dii, ita etiam congrua14 ei rei nomina dicuntur habere. P. 240. de laudatione connubio se consociantium scriptum est: *καὶ εἰ μὲν ἐκ τῆς αὐτῆς πατρίδος, ὅτι ἐκ πολλοῦ προσῳκειωμένοι ὑπὸ τοῦ τόπου· εἰ δ᾽ ἐκ διαφόρων, ὅτι καὶ ὑπὸ θεῶν συνήχθησαν εἰς τὴν κοινωνίαν.* Ne hic quidem abundat *καί*, etsi omitti potuit: nam omisso, connubium soli tribuitur voluntati deorum; addito, non casu, sed ab ipsis adeo diis consociati dicuntur.

VI. P. 13. Dionysius p. 233, 11. *μὴ γὰρ δὴ ταῖς ψυχαῖς τε καὶ διαθέσεσι καὶ ἐννοίαις ταῖς ἐπ᾽ αὐταῖς χωρισθείημέν ποτε.* „*Proxime sequentia, ἐννοίαις ταῖς ἐπ᾽ αὐταῖς, velim mihi aliquis explicet. Quod cum iure desperes fieri posse, coniectandi venia data est. Sume, ταῖς natum esse ex litteris praegressis ιαις, neque improbabis, opinor, si quis pro ἐπ᾽ αὐταῖς legat ἐναντίαις.*“ Dissentiebam de emendatione horum verborum, quae neque corrupta ne-

que obscura sunt. Nam qui locis dissociantur, dissociari quum animis et studiis possunt, tum si alter de alterius animo atque propensione in se dubitare incipit.

VII. P. 14. „*P.* 259. *ὄνομα γε μὴν ἀμφοῖν ἓν καὶ τὸ αὐτὸ, ἐπιτάφιος οὕτως ὀνομαζόμενος. ubi ante ἐπιτάφιος, opinor, ὁ excidit.*“ Et paullo post: „*P.* 247. *s. legitur ἐπιθαλάμιος οὕτως ἐπιγεγραμμέναις ταῖς ᾠδαῖς. Cod. noster ἐπιγραφόμενος. Scribendum igitur ὁ ἐπιθαλάμιος οὕτως ἐπιγραφόμενος ταῖς ᾠδαῖς.*“ Dionysii haec verba sunt: *ἦν μὲν οὖν καὶ παρὰ Σαπφοῖ τῆς ἰδέας ταύτης παραδείγματα, ἐπιθαλάμιος οὕτως ἐπιγεγραμμέναις ταῖς ᾠδαῖς.* Mirabar, adiici articulos, qui si legerentur in libris, delendi essent, quia prorsus legibus linguae repugnant.

VIII. P. 8. „*Pro γε τὸ ἀνθρώπειον* suspicor *legendum γένος τὸ ἀνθρώπειον.*“ Adnotatum reperio in schedis meis, aut *τὸ ἀνθρώπινον γένος*, aut *τὸ γένος τὸ ἀνθρώπινον* scribendum videri. Eo ipse in societatem erroris veni. Nam Dionysius p. 236, 7. postquam comparavit connubium hominum cum vaga Venere brutorum animalium, dixitque vitae ex eo cultum atque humanitatem esse exortum, sic pergit: *καὶ ὅτι θνητὸν ὂν γε τὸ ἀνθρώπειον, ἐκ τῆς μίξεως καὶ κοινωνίας τοῦ γάμου ἀθάνατον γέγονεν ἐκ τῆς διαδοχῆς τῶν ἐπιγινομένων, ὥσπερ φῶς ἀναπτόμενον καὶ διαμένον καὶ τοῖς ἐπιγινομένοις τῇ γεννήσει τοῦ ἀνθρώπου καὶ μήποτε ἀποσβεν-*
15*νύμενον.* Qui si *γένος* scripsisset, dupliciter absurda diceret. Nam etiam bestiarum genus per corporum commixtionem in omnia secula propagatur: quae autem porro addita sunt, apertum est non de genere, sed de humanitate praedicari, quae tamquam lumen inexstinctum postgenitis tradatur. Hoc enim homines a bestiis differunt, quod humanitas non vita cuiusque circumscripta est cum eaque interit, sed transit ad posteros acceptaque ab illis alitur atque augescit. Ex quo patet delendum potius illud *γε*, quam in *γένος* mutandum esse.

IX. Dionysius p. 237, 11. *καὶ πρὸς λύπας τε καὶ δυςχερῆ τὰ ἐν τῷ βίῳ γάμος χρησιμώτατος.* P. 20. „*τὰ δ. V. Melius abest articulus.*“ Ego necessarium esse existimabam, quia non infinite aliqua incommoda significarentur: itaque vel addendum codicis auctoritate esse, vel, si prior ille articulus, qui ad *λύπας* oppositus est, etiam ad *δυςχερῆ* referretur, non recte dici melius abesse articulum.

X. P. 23. „*Post ἀνανεάζεσθαι αὐτὸν Sylburgius ποιεῖ desiderat: nec valde repugnem, si quis hoc verbum excidisse contendat. Leniorem tamen, opinor, admoveris medicinam pro αὐτὸν scribens αἴτιον.*“ Dionysii verba sunt p. 238. s. *εἶτα διατυπωτέον λόγῳ οἷον προαναφωνοῦντα ὁποῖος ἂν ὁ βίος ὁ μετὰ τῶν παίδων γένοιτο, ὅτι τερπνότατος χορὸς παίδων, εἰ γένοιτο, ὁρῶντι, καὶ ὅτι τρόπον τινὰ ἐξ ἀρχῆς ἀνανεάζεσθαι αὐτὸν καὶ ἀνηβάσκειν σὺν τοῖς αὐτοῦ παισίν.* Opponebam, neque supervacaneum esse *αὐτόν*, neque verba correctionis indigere, quia *ὅτι* in oratione obliqua recte cum infinitivo consociaretur.

XI. P. 23. „*Sophocles Trachin. v.* 1235. *sq.*

ἦ μοι μητρὶ μὲν θανεῖν μόνῃ
μεταίτιος, σοί τ' αὖθις, ὡς ἔχεις, ἔχειν.

ubi, nisi fallor, scribendum: σοὶ δ' αὖθις. Vulgatum enim si cum Hoogeveeno Doctr. Part. Gr. T. 1. *p.* 654. *defendas loco Euripideo Orest. v.* 1317. (1310. *ed. Pors.*) *scito a Porsono δ' pro τ' ob μὲν praecedens scriptum esse.*“ Puto me miratum esse, quod Porsoni de uno loco sententiam aliquid valere vellet adversus id, quod millenis posset exemplis confirmari. 16 Apud Sophoclem quidem eo minus opus esse *δέ* scribi, quod huius voculae potestas quodammodo in adiecto *αὖθις* inesset.

XII. P. 24. „*ὅταν μὴ ἄψυχον καὶ ταύτην ὁρᾷ. V. Meliore ordine verborum.*“ Dionysius p. 239, 8.

εἰ δ' εἰκόνα τις ὁρῶν ἑαυτοῦ ἄψυχον ἥδεται, ὅταν καὶ μὴ ἄψυχον ταύτην ὁρᾷ, ἀλλὰ καὶ ἔμψυχον, μηδὲ μίαν, ἀλλὰ πολλάς, ἂν οὕτω τύχῃ, πόσῳ μᾶλλον ἥδεσθαι δεῖ; Quem meliorem diceret ordinem verborum, nihilo contendebam meliorem, ac potius deteriorem esse. Nam in vulgato inutile esse καί, quia nihil aliud significaret quam quod mox iteratur his verbis, ἀλλὰ καὶ ἔμψυχον; ante ταύτην autem collocatum etiam falsum, quia nihil esset quod opponeretur. Itaque corruptam esse iudicabam orationem eo, quod librarius omissum καὶ ante prius ἄψυχον novo errore ante alterum inseruisset. Sic enim scripsisse Dionysium: εἰ δ' εἰκόνα τις ὁρῶν ἑαυτοῦ καὶ ἄψυχον ἥδεται, ὅταν μὴ ἄψυχον ταύτην ὁρᾷ, ἀλλὰ καὶ ἔμψυχον.

XIII. P. 25. „καὶ. *Omisit V. Melius abest.*“ Prorsus hoc sine idonea caussa dictum esse, verba Dionysii docent p. 240, 3. ποτὲ μὲν οὖν ἐν ἀρχῇ χρηστέον τῷ τύπῳ τούτῳ, ποτὲ δὲ καὶ ἐπὶ τέλει. Nam etiam personas coniugum laudandas dicit, addens, si sint illustres, in principio orationis; sin minus nobiles, in fine. Atqui plures nobilium, quam ignobilium laudationes scribi credibile est.

XIV. P. 31. deos τοὺς κρείσσονας appellari solitos docens, „*plene*,“ inquit, „*Aeschylus Prom. v.* 910. κρείσσονες θεοί.“ Falsum hoc esse monebam: nam et quae hoc dicunt, deas esse, Oceani filias, et fugere se illas dicere non deorum, sed maiorum quam ipsae sint deorum connubium.

XV. P. 43. „*Idem Oed. Col. v.* 360. μὴ οὐχὶ δεῖμ' ἐμοὶ φέρουσά τι. *Vertit Brunckius:* vereor ne mihi pavorem nunties aliquem; *subaudiens* ἧς *vel* ἥκῃς. *Male me hoc loco habet* μὴ οὐχὶ *vertendum illud post verba metuendi* ne non, ut, *suspicorque corrigendum esse:* μὴ σὺ δεῖμ' ἐμοὶ φέρουσά τι.“ Versus hi sunt:

ἦκεις γὰρ οὐ κενή γε, τοῦτ' ἐγὼ σαφῶς
ἔξοιδα, μὴ οὐχὶ δεῖμ' ἐμοὶ φέρουσά τι.

Non fuisse, quod eum male haberet, quia *μὴ οὐχὶ* si-17
gnificaret *nisi*, ut ipse p. 108. docuisset, monebam.

XVI. P. 45. „*προγόνων ἐνδόξων. V. Probe, si interpungas: ποίων τινῶν προγόνων, ἐνδόξων καὶ πατέρων.*“ Dionysius p. 245, 5. *ποίας τινὸς οἰκίας, ὅτι οὐ φαύλης, ὅτι οὐκ ἀδόξου, γένους ἐνδόξου, ποίων τινῶν προγόνων καὶ πατέρων.* Fatebar me non intelligere quid *καὶ* sibi vellet in his, *ἐνδόξων καὶ πατέρων*, dicebamque verba manifesto corrupta sic esse emendanda: *ποίας τινὸς οἰκίας; ὅτι οὐ φαύλης, ὅτι οὐκ ἀδόξου γένους. ποίων τινῶν προγόνων; ἐνδόξων πατέρων:* vel *ποίων τινῶν προγόνων καὶ πατέρων; ἐνδόξων.*

XVII. P. 50. afferens Iliad. II. 133.

εἴπερ γάρ κ' ἐθέλοιμεν Ἀχαιοί τε Τρῶές τε
ὅρκια πιστὰ ταμόντες, ἀριθμηθήμεναι ἅμφω.
Τρῶας μὲν λέξασθαι, ἐφέστιοι ὅσσοι ἔασιν,
ἡμεῖς δ' ἐς δεκάδας διακοσμηθεῖμεν Ἀχαιοί,
Τρώων δ' ἄνδρα ἕκαστον ἐλοίμεθα οἰνοχοεύειν·
πολλαί κεν δεκάδες δευοίατο οἰνοχόοιο·

„*Heynio*,“ inquit, „*videbatur quaeri posse, situe potius ἐθέλωμεν legendum: mihi non item. Subiunctivo nullus hic locus.*“ Mirabar negari rem minime dubiam, neque adeo ignotam, afferens Iliad. I. 580.

εἴπερ γάρ κ' ἐθέλῃσιν Ὀλύμπιος ἀστεροπητὴς
ἐξ ἑδέων στυφελίξαι·

ubi nisi reticeretur apodosis, optativum esset habitura. Et Iliad. XVII. 38.

ἦ κέ σφιν δειλοῖσι γόου κατάπαυμα γενοίμην,
εἴ κεν ἐγὼ κεφαλήν τε τεὴν καὶ τεύχε' ἐνείκας
Πάνθῳ ἐν χείρεσσι βάλω καὶ Φροντίδι δίῃ.

Addebam non praetereundum fuisse Odyss. II. 246. quod eo loco Porsonus codicis Harleiani scripturam pro vestigio optativi accepisset.

XVIII. P. 55. Bionis versus, V. 5. seqq. posuit:

εἰ μὲν γὰρ βιότω διπλόον χρόνον ἄμιν ἔδωκεν
ἦ Κρονίδας, ἦ Μοῖρα πολύτροπος, ὥστ' ἀνύ-
εσθαι
τὸν μὲν ἐν εὐφροσύνᾳ καὶ χάρματι, τὸν δ'
ἐνὶ μόχθῳ,
ἦν τάχα μοχθήσαντί ποθ' ὕστερον ἐσθλὰ δέ-
χεσθαι.

18 „*Sic enim*," inquit, „*locus videtur scribendus.*" In libris est *τὸν μὲν ἐς εὐφροσύναν καὶ χάρματα*. Ipsis Bionis verbis in ultimo versu inseruit parenthesin: „(*f. μεθύστερον*)." Neutra mutatione opus esse in promptu est: prior etiam elegantiam tollit variatae orationis. Nam suavior est oratio, rotundiorque etiam numerus, si *ἐς εὐφροσύναν καὶ χάρματα* cum *ἔδωκεν* construuntur.

XIX. P. 66. quod dicit, repetitum illud p. 92. *ἄρα* potestate syllogistica in principio orationis poni, afferens Aristoph. Pac. 855. id repugnare usui bonorum scriptorum, apud Aristophanem autem interpunctione ex cod. Rav. mutata removendum esse, et tum monebam, et postea ostendi ad Sophocl. Antig. 628.

XX. P. 67. „*Xenophon Anab. V.* 4, 25. *καὶ ἄλλα δόρατα ἔχοντες παχέα κ. τ. λ. Scribendum, ni fallor: καὶ ἄλλοι δ. ἔ. π. Distinguenda enim δόρατα a παλτοῖς s. ἀκοντίοις.*" Xenophon sic: *ἐνταῦθα δὴ οἱ πολέμιοι ὁμοῦ δὴ πάντες γενόμενοι ἐμάχοντο καὶ ἐξηκόντιζον τοῖς παλτοῖς, καὶ ἄλλα δόρατα ἔχοντες παχέα, μακρά, ὅσα ἀνὴρ ἂν φέροι μόλις, τούτοις ἐπειρῶντο ἀμύνεσθαι ἐκ χειρός.* Nihil mutandum contendi: nam etiam in librorum scriptura *δόρατα* a *παλτοῖς* distingui: quod ipsum confessurum esse, qui non nesciret, nomen illud *ἄλλος* pervagatissimo usu diversa, quae aliqua ex parte ad unum genus referri possent, discernere.

XXI. P. 67. „*Demosthenica c. Aristocr. p.* 621, 8. *sq. ed. Reisk. Dionysius Halic. de Compos. Verb. p.* 194. *sic habet: περὶ τούτου τοίνυν ἐστί μοι ἅπασα σπουδή. Quid illud τοίνυν? Orator videtur scripsisse: περὶ τούτου ἐστί μοι ἅπασα ἡ σπουδή.*" Repetiit hanc coniecturam in editione libri illius, cui Meletemata adiunxit, p. 380. Oportebat vero non fidere vulgatae scripturae, sed conferre Aldinam, in qua non τοίνυν, sed νῦν est. Sed constat, eum et illo in libro edendo, et saepissime in iis quae emendandi caussa affert, antiquos libros inspicere dedignatum esse.

XXII. P. 68. „*Tale porro Euripidis δυςθνήσκειν, ab ipso Scaligero pro barbaro habitum, de quo iudicium Porsoni cupidissime exspecto.*" Quidquid de eo sentiret Porsonus, non videbatur mihi movenda esse vox munita obsequio eius qui Rhesum scripsit.

XXIII. P. 73. „*Xenophon in Oecon. V.* 4. *videtur scripsisse: καὶ γὰρ ἐν τῷ χώρῳ ὡς ἐν τῷ ἄστει, ἀεὶ κ. τ. λ.*" Agricolas adsuefieri primo mane surgere docens Xenophon haec addit: *καὶ γὰρ ἐν τῷ χώρῳ καὶ ἐν τῷ ἄστει ἀεὶ ἐν ὥρᾳ αἱ ἐπικαιριώταται πράξεις εἰσίν.* Apertum est, corrigendi nullam caussam esse: nam duo illa *καὶ* ad se invicem referuntur: sin tamen, usus requireret, quod Schneidero in mentem venit, *ὥςπερ καὶ ἐν τῷ ἄστει.* Praeterea cum Xenophontis libris etiam Stobaeus consentit. 19

XXIV. P. 74. in Sophocleae Tyrus fragmento apud Aelian. H. A. XI. 18. ubi de equa est,

σπασθεῖσα δ' ἐν λειμῶνι ποταμίων ποτῶν,

si quis sibi largiatur, primam literam natam esse ex ultima vocis praegressae, (ea vox est ὕπο) ei se facile persuasurum dicit ut CΠΛCΘЄICΛ mutetur in ΠΠΛΛΘЄICΛ. Eam recte quidem longe mitiorem medicinam quam Brunckii, *κύρσασα* scribentis, vocat: sed mihi tamen medicina etiam illo *πλαθεῖσα*

mitior, simulque rei accommodatior placebat, σπάσουσα.

XXV. P. 80. „*Euripidis loco Hec. v.* 927. *ed. Musgr.*

ἐπιδέμνιος ὡς πέσοιμ᾽ ἐς εὐνάν,

varie tentato a Criticis, ab Hermanno parum probabiliter explicato (perdurum est enim, ni meus me sensus fallit, in tantulo commatio ἐπιδέμνιος *proprie,* εὐνάν, *tam affinem illi vocem, figurate dici) huic, inquam, loco facillime succurras, si, commate ante* ὡς *posito,* ἐπιδέμνιος *iungas cum superioribus.*“ Et paullo post: „*Sed ut aliis placeat illa interpunctio, mihi fateor perplacere egregiam coniecturam Anonymi, receptam illam nuper ab Euripidis sospitatore in editione Cantabrigiensi,* ἐπιδέμνιον. Εὐνὴ ἐπιδέμνιος *dictum perdocte planeque* Ὁμηρικῶς. *Vid. Odyss. VII.* 336. *seqq. XXIII.* 179. *sq.*“ Monebam, meam mentem non recte acceptam esse. Sic enim ad Hecubae v. 907. scripseram: *Censor Britannus* ἐπιδέμνιον *legendum suspicatur. Quod miror, quum ipse, allato Herc. fur. v.* 1050. *observet,* εὐνὰν *propemodum idem esse quod* ὕπνον. *Adde Aesch. Agam. v.* 27. Ibi est εὐνῆς ἐπαντείλασαν. Porro interpunctionem illam, λεύσσουσ᾽ ἀτέρμονας εἰς αὐγὰς ἐπιδέμνιος, ὡς πέσοιμ᾽ ἐς εὐνάν, vix habere, quo se commendet. Ex Homeri locis nihil aliud disci, quam stragula iniecta esse cubilibus. Porsonus quam recepisset coniecturam, quaesitam esse multoque minus elegantem quam quae in libris est, pleonasmi genus continens usitatissimum tragicis, cuius aliquot exempla commemorabam. Nec profecto illud ἐπιδέμνιον aliis placuisse video: quin Matthiae acute ostendit, quod Ὁμηρικῶς dixisse visus sit Euripides, et Homero et rei naturae repugnare. Vulgatam aptissimo exemplo nuper defendit Bernhardy in Syntaxi p. 428. quod est in Bacchis: ὑψόθεν χαμαιπετὴς πίπτει πρὸς οὐδας.

XXVI. P. 85. „*Obiter moneo, vulgarem illam optativi formam reddendam videri Sophoclis Antig. v.* 414. *ubi legam:*

εἴ τις τοῦδ' ἀφειδήσαι πόνου.

Brunckius recte vertit: si quis huic labori minus esset adtentus.“ Quid ad defendendum quod libri habent *ἀφειθήσοι* attulerim, ex iis cognosci potest, quae ad illum Sophoclis versum in editione mea adnotavi. Atque ipse Schaeferus illuc in sua rediit.

XXVII. In eadem adnotatione: „*Eandem medicinam admoverim Sophocleo fragmento Phaedr. VIII. scribendo: ᾧ γε Ζεὺς ἐφορμήσαι κακά. Neque enim abhorrent ab usu huius formae scriptores Attici.*“ Versus illi apud Stobaeum CVIII. 53. sic scripti leguntur:

αἴσχη μέν, ὦ γυναῖκες, οὐδ' ἂν εἷς φύγοι
βροτῶν πόθ', ᾧ καὶ Ζεὺς ἐφορμήσοι κακά.
νόσους δ' ἀνάγκη τὰς θηλάτους φέρειν.

In quibus quum non possit dubitari quin respiciatur turpis amor, in quem inciderit Phaedra, iure statuendum est coniunctivo potius utendum fuisse. Malum autem versus fulcrum *καὶ* credere suadet, Sophoclem scripsisse, *οἷσι Ζεὺς ἐφορμήσῃ κακά.*

XXVIII. P. 87. disputat de *ἦν* cum optativo, quum alios scriptores, tum Antistii epigramma, in quo est *ἦν δὲ παρεκβαίης*, tum Maximi duo exempla et unum Hippocratis afferens. De Antistio monebam, vehementer dubitari posse an is potius *ἦν δὲ παρεκβήῃς* scripsisset. De altero Maximi loco Schaeferus sic: „*Idem v.* 346. *iunctis optativo et coniunctivo: ἦν — πέλῃ — ἢ — ἐντύνειεν.*“ Hunc locum dicebam si accuratius inspexisset, non allaturum fuisse. Corruptum esse, scribique debere hoc modo:

21 *ἦν δε Νεμειήταο πέλῃ κατὰ ἄστρα λέοντος,*
εἰ μὲν ἐπὶ πρώτῃ ἠοῖ δρόμον ἐντύνειεν,
λήσεται, οὐδέ μιν αὖτις ἐφέστιον οἷο ἄνακτος
ἀθρήσεις θεράποντα φυγόπτολιν· εἰ δέ κ' ἐν ἠοῖ
δευτατίῃ αἴροιτο φυγήν, οὐ πάντα τελέσσει
δρησμοσύνης.

Et *εἰ* quidem postea cognovi a Spitznero quoque restitutum esse, a quo qui accepit Gerhardius, non tamen omnia persanavit. Mox pergit Schaeferus: „*Praevideo fore qui talia citerioris Graecitatis propria dicant: sed hi sciant, etiam in vetustissimis scriptoribus exempla huius constructionis mihi occurrisse. Hippocrates, ut hoc utar, Sect. I. p.* 9, 18. *ed. Francofort.* 1595. *ἤν τις ἐπιχειροίη λέγειν.*“ Leguntur haec verba non longe a principio libri de veteri medicina, vol. I. p. 23. ed. Lips. Non usurum fuisse hoc exemplo dicebam, si inspecta Mackii editione ex codd. enotatam vidisset veram scripturam *ἐπιχειρέῃ*

XXIX. P. 90. In Lithicis Orpheo tributis legebatur olim v. 299.

αἶψα γὰρ ἡρώων σφιν ἐπέρχεται εἶδος ἀγαυόν,
οἵτε θεοῦ μέγα δῶρον ἐπισταμένως φορέουσι.

De his versibus sic scripsit: „*Hermannus nuper edidit:*

οἵ κε θεοῦ μέγα δῶρον ἐπισταμένως φορέωσιν.

Sed neque οἵτε, neque οἵ κε patitur a sede nominis, ad quod refertur, sive expressi illius, seu ut hic, ἐλλείποντος, tam longa intercapedine dirimi: quod minus etiam licet, si praecedunt pronomina, qualia hic αὐτῶν, σφὶν, ad idem nomen referenda. Id Gesnerus videtur sensisse, οἵτε vertens et hi. *Scribendum lenissima mutatione:*

εἴ γε θεοῦ μέγα δῶρον ἐπισταμένως φορέουσι.

Saepius confusa εἰ et οἱ.“ Haec mihi ex omni parte a vero abhorrere videbantur. Nam *οἵτε* et *οἵ κε* quam

longe a sede nominis sui vel pronominis removeantur, nusquam non potest ex totius orationis compositione pendere. Et hic quidem *οἵτε*, quia per significationem suam non potest ad *σφίν*, sed debet ad *ἡρώων* referri, a me correctum esse in adnotatione ad istum versum dixeram: *οἵ κε* autem per sententiae rationem necessario ad *σφίν* pertinere, nec quidquam obscuri-22 tatis in ea constructione esse, non putabam demonstratione indigere. Quin eo minus in illa constructione aut falsi quidquam aut obscuri esse, quod abesse *σφὶν* illud salva sententia posset; additum esse enim ea figura, qua Homerus dixisset *οἵ μιν ἄδην ἐλόωσιν, Ἕκτορα Πριαμίδην*. Quod autem ipse suaderet, *εἴ γε*, non modo a sermone epico alienum esse iudicabam, sed hic ne propter sententiam quidem ferri posse, quia tempus indicari, non simplex significari conditio deberet. Quod si conditionali particula uti voluisset scriptor, dicturum necessario fuisse *ἦν φορέωσιν*.

XXX. P. 21. „*Erfurdtius*," inquit, „*mihi significavit, ad eandem normam Antig. in. scribendum esse ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς κ. τ. λ. ceterum hanc verborum structuram miram sibi accidere Hermannoque videri duabus ex constructionibus conflatam esse. De lectione in Sophocleis assentior: de structurae insolentia ac καινοπρεπείᾳ, non item. Οἶσθ' ὅτι in Antigona non puto aliud esse quam notissimam illam creberrimoque usu tritam formulam, quam Graeci reliquae orationi παρενθέτως interserunt, iunctam hic cum particula ἆρα.*" Si verba illa pro *παρενθέτως* positis acciperentur, reliqua debere sola per se intelligi posse dicebam: atqui non posse. Sic enim Sophocles:

ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν
ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;

XXXI. P. 94. in adnotatione: „*E contrario δ' natum, opinor, ex littera ν in Aeschyli Pers. v.* 191. *ed. Brunck. qui locus, ut primaria Atossae*

notio, nunc ob comitem paullum latitans, magis exsistat, sic scribendus videtur:

χ᾽ ἡ μὲν τῇδ᾽ ἐπυργοῦτο στολῇ,
ἐν ἡνίαισιν εἶχεν εὔαρκτον στόμα·
ἡ δ᾽ ἐσφάδαζε.“

Exile hoc esse dicebam et ut quod maxime a simplici gravitate Aeschyli abhorrere, quem certissimum esset scripsisse ut in libris eius legitur:

χἡ μὲν τῇδ᾽ ἐπυργοῦτο στολῇ,
ἐν ἡνίαισι δ᾽ εἶχεν εὔαρκτον στόμα·
ἡ δ᾽ ἐσφάδαζε.

23 Argumentum autem, quo hanc scripturam labefactare voluisset, contrariam vim habere. Notionem enim illam, quam in animo haberet Atossa, obsequii Persarum, multo magis exsistere atque extolli, si mulier illa gaudere imposito iugo, et, quod eo gauderet, libenter parere frenis diceretur, quam si, perversa ratiocinatione, ubi quid ambae sub iugum missae fecerint dicendum erat, sumpto iam eo quod demonstrandum esset, illa, quae gavisa esset iugo, paruisse frenis narraretur.

XXII. P. 97. „41) *Malim aut, αἴσχιστος ὅστις aut, αἴσχιστον εἴ τις.*“ Pertinet hoc ad Euripidis verba in Iph. Taur. 699. allata p. 92.

τὰ τῶν φίλων
αἴσχιστον ὅστις καταβαλὼν εἰς συμφορὰς
αὐτὸς σέσωσται.

Quid verbis opus est, ut cur supervacaneas iudicaverim illas coniecturas intelligatur?

XXIII. P. 98. „*Cognato vitio laborat Paulus Silentiarius III. καί τις ὑποτλαίη; Corrigendum, (nam Pauwii hic quoque αἰάζοντος commentum nemini, opinor, probabitur) scribendum igitur: τίς κεν ὑποτλαίη;*“ Existimabam ego quidem non esse soloecismum in codicis scriptura: nam omnino de so-

loecismis qui hac pagina tractantur, aliter sentio: putabamque, si esset hic soloecismus, facilius eum expelli posse, si scriberetur *ὡς τίς ὑποτλήῃ;* quod genus emendandi commendatum est p. **73**. Scilicet displicuit criticis in Pauli epigrammate *καί*, neque immerito: sed non viderunt lenissima ac pene nulla correctione pronomen encliticum esse restituendum. Epigramma hoc est:

μαλθακὰ μὲν Σαπφοῦς τὰ φιλήματα, μαλθακὰ γυίων
πλέγματα χιονέων, μαλθακὰ πάντα μέλη·
ψυχὴ δ' ἐξ ἀδάμαντος ἀπειθέος· ἄχρι γὰρ οἴων
ἐστὶν ἔρως στομάτων, τἄλλα δὲ παρθενίης;
καί τις ὑποτλαίη; τάχα τις, τάχα τοῦτο τα-
λάσσας
δίψαν Ταντα λέην τλήσεται εὐμαρέως.

Et ferat hoc quisquam?

XXXIV. P. 100. „*Ceterum si quis de canone hoc syntactico forte dubitet, audiat quem hellenismi callidissimum fuisse nemo negare ausit, quem-*24*que Hermannus meus vellem audivisset, priusquam Adnotat. ad Viger. p.* **724**. *Brunckium seu potius Dawesium, τὸν ταῦτα καὶ τοιαῦτα ἄριστα κανονίσαντα, animosior quam felicior ἀνταγωνιστὴς adoriretur, audiat igitur ipsum deum Delphicum. Oraculum Myscello et Archiae de tripode datum, quod servavit Scholiastes ad Aristophan. Equit. v.* **1089**.

χώρας καὶ πόλεως οἰκήτορα λαὸν ἔχοντες
ἦλθετ' ἐρησόμενοι Φοῖβον, τίνα γαῖαν ἴκησθε.
ἀλλ' ἄγε δὴ φράζεσθ' ἀγαθῶν πότερόν κεν ἕ-
λοισθε,
πλοῦτον ἔχειν κτεάνων, ἢ τερπνοτάτην ὑγίειαν.“

Non adeo me extimescere deum Delphicum dicebam, quem ipse sciret haud optimum auctorem esse, et quum alia parum docte atque eleganter, tum illud satis insolenter apud Pausaniam X. 18. edidisse:

γῆς Πέλοπος νάεται καὶ Ἀχαιΐδος; ὁππότε Πυθὼ
ἤλθετε πευσόμενοι, ὡς κεν πτολίεθρον ἕλητε.

Addebamque Homeri, haud paullo potioris Apolline auctoris, exempla nonnulla, quibus adducerer ut istum canonem non recte constitutum esse crederem. Sed de hac re nunc dicere serum est, postquam et ipse Schaeferus, quae hic disputavit, ad Sophocl. Oed. Col. 1418. pro certis indubitatisque haberi noluit, et ego rationem illam uberius explanavi in iis quae de ἄν particula scripsi.

XXXV. P. 109. „*Similis soloecismus eximendus Hymno Homerico in Cererem v.* 272. *sq.*

ὡς ἂν ἔπειτα
εὐαγέως ἔρδοντες, ἐμὸν νόον ἱλάσκοισθε.

Corrigo ἱλάσκησθε. *Sic Homerus Il. XVI. v.* 84.

ὡς ἄν μοι τιμὴν μεγάλην καὶ κῦδος ἄρηαι.

ubi al. perperam ἄροιο.“ Huius quem dicit soloecismi aliquot ex Homero exempla afferebam, quorum satis est hoc unum adscribi, Od. II. 52.

οἳ πατρὸς μὲν ἐς οἶκον ἀπερρίγασι νέεσθαι
Ἰκαρίου, ὡς κ' αὐτὸς ἐεδνώσαιτο θύγατρα.

Neque enim solas particulas, sed sententiam, ex qua earum constructio penderet, spectari debere arbitrabar: quod qui faceret, intellecturum, cur in hymno recte se haberet optativus, in Iliade autem coniunctivus praestaret. Nam in hymno hoc dicitur:

ὄργια δ' αὐτὴ ἐγὼν ὑποθήσομαι, ὡς ἂν ἔπειτα
εὐαγέως ἔρδοντες ἐμὸν νόον ἱλάσκοισθε.

In Iliade autem:

πείθεο δ' ὥς τοι ἐγὼ μύθου τέλος ἐν φρεσὶ θείω,
ὡς ἄν μοι τιμὴν μεγάλην καὶ κῦδος ἄρηαι
πρὸς πάντων Δαναῶν.

XXXVI. P. 113. in adnotatione: „*Contrario modo corruptus, ni fallor, Aeschylus Prom. v.* 1088. *sq. ed. Brunck.*

καὶ μὴν ἔργῳ, κοὐκ ἔτι μύθῳ,
χθὼν σεσάλευται·

Malim:

καὶ μὴν ἔργον, κοὐκ ἔτι μῦθος.
χθὼν σεσάλευται.

Conf. Demosthenica p. 406. 540. *ed. Reisk.*“ Oratorem cum poeta, verba eius p. 406, 23. 540, 10. cum Aeschyleis negabam recte comparari; immo apud Aeschylum tantum abesse dicebam, ut caussa corrigendi ulla inveniretur, ut facta illa mutatione et simplex gravitas illius poetae periret, et asyndeton inferretur raro a tragicis atque alia lege quam quae huic loco conveniret usurpatum.

XXXVII. P. 114. „*Haec de ellipsi verbi substantivi disputatio in memoriam mihi reducit Sophocleum locum Antig. v.* 321.

οὔκουν τόδ' ἔργον εἰμὶ ποιήσας ποτέ.

Sic Brunckius ex codice E: vereor ut optime. Aldus et membr. οὔκουν τόδ' ἔργον τοῦτο ποιήσας ποτέ. hocque ad verum, opinor, recta ducit. Legendum suspicor:

οὔκουν ὅδ' ἔργον τοῦτο ποιήσας ποτέ.

Quod interpretantes, alii εἰμὶ, alii ἐγὼ cum adscripsissent, haec in textum illata aliam alibi lectionem pepererunt: nam in T. Brunckius reperit τοῦτο ποιήσας ἐγὼ, qua lectione Valckenarius mire abusus est. Talis orationis structura substantivo verbo facile caret. Vid. si per Purgoldum licet, eiusdem fabulae v. 634.“ Negabam sic loquutos esse Graecos: nam participium illud sine articulo aut *faciendo* aut *quum faceret*, vel *quod faceret*, vel similia signifi-

care: negabam etiam comparari posse v. **634.** quem ipse p. **66.** sic scriberet:

ἦ σοὶ μὲν ἡμεῖς πανταχῇ δρῶντες φίλα,

quod ibi participium aperte adiectivi officio fungeretur. Sed non esse mutandam librorum scripturam, qua nihil sanius esset:

ἦ σοὶ μὲν ἡμεῖς πανταχῇ δρῶντες φίλοι.

Ipse postea in editione Sophoclis utroque loco tacens Brunckium sequi satius duxit.

XXXVII. P. **115.** quum contendisset ὦ cum substantivo et adiectivo coniunctum semper proximum habere nomen gravius, dixissetque: „*Quae quum ita sint, pervelim a Porsono excitari e scriptoribus probae Graecitatis aliquot locos similes huic in Epist. Cathol. Iacobi II.* **20.** ὦ ἄνθρωπε κενέ.“ in subiecta adnotatione sic scripsit: „*Id viro eximio, ut nunc ipsum video, haud difficile erit. Vide mihi ipsum Sophoclem Electr. v.* **622.** ὦ θρέμμ᾽ ἀναιδές. *v.* **1161.** ὦ δέμας οἰκτρόν. *Euripides Bacch.* **598.** *ed. Brunck.* ὦ φάος μέγιστον. *Plato Phaedr. pag.* **240.** *ed. Heind.* ὦ παῖ καλέ. *Nec dubito plura exempla, quae item postpositum habeant nomen gravius, facili opera investigari posse.*“ Mihi, si nomen gravius et priorem et posteriorem locum tenere posset, nihil interfuturum videbatur, utro modo loqui aliquis praeferret. At multum interesse: nam certa lege ὦ poni ante nomen eius, quod quis appellaret: itaque si miseros, qui pueri essent, dici ὦ οἰκτροὶ παῖδες; sin pueros, qui miseri, ὦ παῖδες οἰκτροί. Sic qui apud Platonem diceret ὦ παῖ καλέ, non admirari formam pueri, sed vocare eum, qui puer formosus haberetur. Sic Sophoclem ὦ θρέμμ᾽ ἀναιδές et ὦ δέμας οἰκτρόν, sic Iacobum ὦ ἄνθρωπε κενέ dixisse. Id planissime perspici ex Euripidis versu, quem non affe-

rendum fuisse ei, qui sic ut ipse de hoc genere dicendi sentiret:

ὦ φάος, μέγιστον ἡμῖν, εὐΐου βακχεύματος.

XXXIX. P. 120. in adnotatione: „*Constantissimum est discrimen, quod ne quis, Wolfiana motus interpunctione, Homericis ll. II. v.* 250. *sq. convelli putet, cogitet optativo veri nominis οὐκ addi non posse. Satis notum est, ψευδώνυμον cum par-*27 *ticula ἄν saepissime sic poni, ut vicem gerat τοῦ προστακτικοῦ: quo sensu ubi dicitur, οὐ recte adsciscit, mutandum illud in μὴ, si imperativum sufficias. Aristophanes Vesp. v.* 725. *sq.*

ἦπου σοφὸς ἦν, ὅστις ἔφασκεν· Πρὶν ἄν ἀμφοῖν
μῦθον ἀκούσῃς,
οὐκ ἂν δικάσαις.

ad q. l. Scholiastes: Κατὰ τὸ,

„*Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.*“

Fatebar, quod satis notum diceret, mihi ignotum esse, gratumque facturum fuisse, si id aliis exemplis quam isto Aristophanis versu probavisset, in quo οὐκ ἂν δικάσαις id quod ubique significare, *non possis iudicare*, eadem ratione qua a Quintiliano I. 5, 50. monitum: ne *ac* non *adverbia: qui tamen pro illo*, ne feceris, non feceris, *in idem incidat vitium, quia alterum negandi est, alterum vetandi.*

XL. P. 123. Odysseae I. v. 47. afferens,

ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι,

„*Codices Vindob.*“ inquit, „*ῥέζει. Aut hoc probandum, opinor, aut legendum ῥέζῃ.*“ Non videbatur mihi dubitandum esse de optativo, quo nihil esset verius: pendere enim ex praegresso optativo. Sed nihil attinet repeti, quae alibi de hoc genere loquendi, hodie notissimo, scripsi.

XLI. P. 126. „*Apollonidas III.*

εἰ τοιόσδε Λέων λάχεν ἀντίος Ἡρακλῆϊ,
οὐκ ἦν Ἀλκίδεω τοῦτο τὸ δωδέκατον.

Scribo:

εἰ τοιόσδε Λέων λάχεν ἀντίος Ἡρακλῆϊ,
οὔ κ' ἦν Ἀλκείδεω τοῦτο τὸ δωδέκατον."

Requirebam exempla elisi ε in *οὔ κ'*, emendarique mirabar, quod ex ipsius sententia, quam p. 55. exposuisset, vacuum esset vitio.

XLII. P. 127. In Maximi versu 428. quum reposuisset *Φαῦλλου*, in adnotatione scripsit: „*Vulgo Φαάλλου. Etiam Rentdorfius:* Phaallus. *Hunc hominem, ater an albus sit, non novi: bene novi Phayllum, Crotoniatam celebratissimum. Vid. Epigr. adesp.* 28*CCV. ibique Iacobs. p.* 411." Adnotaveram, hanc emendationem occupatam esse a P. Wesselingio Probab. p. 138.

XLIII. P. 131. „*Orpheus Argon. v.* 1257. *sqq. ed. Gesn.*

ἦ τάχα καὶ δύσεσθ' Ἀργὼ κατὰ βένθε' ἔμελλεν,
εἰ μὴ πρεσβίστη θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος
εὐρυβίην Πηλῆα πάλιν λελίητο ἰδέσθαι.

ἔμελλεν δύσεσθαι i. q. ἔδυ ἄν. Reliqui autem, quam unice veram puto, omnium lectionem librorum, male expulsam ab Hermanno, ἦ τάχα καί. Significanter positum cum ἦ, tum magis etiam καί. At, inquit Hermannus, epicus sermo postulabat καὶ τάχα. Satis superque tuebuntur ἦ τάχα, ut proprium epici sermonis, hi loci." Et tum affert quinque exempla. Quaerebam, adeone me hospitem esse crederet in epicis Graecis, quos illud ipsum volumen Orphicorum omnes a me perlectos ostenderet, ut tritissimum illud ἦ τάχα ignoraverim. At enim me non quod inusitatas epicis putavissem, voculas illas ex Orphei versu expu-

lisse, sed quod sic, ut ibi, non usurparentur. Nam poni eas in principio orationis, cuiusmodi et illa quae ad me refutandum attulisset exempla, et quae quis alia his addere ingenti numero posset, esse omnia. Sed memini me haec iam attigisse in iis quae scripsi de ἄν particula I. 12. in Diar. class. fasc. LXIX. p. 40.

Haec sunt illa, quae in publica super Meletematis disputatione partim protuli, partim volui proferre. Sitne in iis, quod ut inique atque adrodendi illius libri caussa dictum culpari possit, ipsi qui haec legerint aestimabunt. Ego quidem me opinor, si quid in me malevolentiae fuisset, absurdae quidem, ut in eum, quem mihi amicum esse putarem; aut si quid invidiae, quae, quamvis turpis, fortasse in homine, qualem me esse ipsi complacitum est, aliquid veniae impetraret: opinor, inquam, si quid huiusmodi in me fuisset, quam habebam disputandi materiam potius in alia capita, quae multo ad istiusmodi consilium aptiora inveniri potuisse in promptu est, quam in illa distributurum fuisse, quae nihil continerent quod non in quemvis alium librum caderet. Nam quis umquam liber scriptus est, nisi forte alicuius mathematici ex solis compositus numeris, in quo non aliquid falsum, aliquid non accurate dictum, aliquid supervacaneum at- 29
que inutile reperiatur? Sed satis de his.

Hic est liber primus incredibilium, qui est prologus. Qui sequentur, in iis, ut in hoc, quae facta, quae non facta sunt, sic ut sunt facta vel non facta, inde a prima inter me et Schaeferum notitia enarrabo. Eorum in uno ipse me magni illius et numquam expiandi, sed tamen non poenitendi criminis reum confitebor, propter quod, ne alia memorem capitis pericula, fortuna quadam Hesiodea bis morti datus atque epigrammate sepulcrali honoratus vivo, nunc autem tertium, qui me eradicare sibi visus, permutatis personis in semet saevit, ab eo sospitor ac superstitor ipso, verumque esse quod dictitat experior, *ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται:* illud crimen dico, ex haud magnis neque aerumnabili labore partis opibus mediocri sanae mentis usu ultra seu sapere seu desipere au-

sum esse, quam quibusdam commodum erat. Opto ego quidem ut liceat hoc opus inchoatum relinquere: sin minus, non meis mihi ullis armis opus erit, ut vera esse, quae utinam ne essent, evincam. Quamquam praevideo, non ante his rebus finem allatum iri, quam quum, quod dudum alii omnes viderunt, etiam ille, qui primus animadvertere debebat, intellexerit, non alium hominem ullum, sed solum se ipsum, ut in praefatione illa scripsi, famae suae hostem exstitisse. Tristis hic exitus est, quaqua ad eum via perveniatur, sed, quia eodem ducunt omnes, inevitabilis.

DE MENSVRA VTRIVSQVE ἄν.

Nihil est quod demonstrari nequeat, si quis habere testes, quam bonos habere satius ducat. Id accidit in mensura ἄν particulae, tum eius, quam potentialem vocant, tum illius, quae ex ἐὰν contracta et ἄν et ἦν pronunciatur. Et in illa quidem permirum ac prorsus incredibile esset, si brevis esset syllaba, quae ex contractione nata est, praesertim quum ipsum ἐάν, quod primus animadvertit diligentissimus talium rerum observator P. Elmsleius, ultimam habeat productam. Id exemplis confirmavit G. Dindorfius duabus in editionibus Aristophanis ad Vespas v. 228. illa, quae a. 1825. prodiit, et copiosius in novissima. Addi possunt alia exempla, ut in Appendice ad Stobaeum apud Gaisfordium vol. IV. p. 76. et quae infra afferentur. Patet ergo quibus pedibus incedat hic versus apud Stobaeum XXVII. 8, 3.

ἐὰν ἐπιορκήσῃ τις, αὐτὸς εὐθέως.

Itaque Philemonis versus apud eumdem XVI. 1. in quo ἐὰν legebatur, sic scribendus:

ἄν οἷς ἔχωμεν, τοῖσδε μηδὲ χρώμεθα.

Idem vitium XIV. 3. Euripidis libri meliores, ἦν offerentes, removerunt. Tollendum etiam ex alio Phi-

lemonis fragmento CVIII. 35. quod sic emendandum videtur:

πόλλ' ἔστιν ἐν πολλαῖσιν οἰκίαις κακά,
ἃ καλῶς ὅταν ἐνέγκῃς, ἀγαθὰ γενήσεται.

Hoc igitur ἐὰν in ἂν contractum corripi crediderunt Heathius, Brunckius, Iacobsius, novissime autem, quod ego quidem sciam, Schaeferus, qui in indice Homeri p. 147. quum Heathium et Brunckium auctores nominavit, iure memoravit Brunckii adnotationem ad Aristoph. Plut. 482. non item aliam ad sententias comicorum p. 336. sive secundae editionis p. 269. in qua de quinto pede trimetri sermo est. Tuetur autem correptionem istam Schaeferus duobus in quae inciderat exemplis, uno Euripidis in Iphig. Aul. 1192. Heathii probans coniecturam:

τίς δὲ καὶ προσβλέψεται
παίδων σ', ἂν αὐτῶν προθέμενος κτάνῃς τινά;

altero, versu heroico, quem ex Plutarchi Mor. T. I. p. 90. ed. Wyttenb. i. e. ex libro de audiendis poetis p. 24. C. affert:

Ζεὺς γάρ οἱ νεμέσα, ἂν ἀμείνονι φωτὶ μάχοιτο.

De Euripidis versu, in quo libri omnes ἐὰν habent, non meminerat quid Porsonus coniecisset ad Phoen. 1373. Sed tamen soloece Porsonus. G. Dindorfius in novissima editione Aristophanis eo quo dixi loco versum illum una cum aliquot aliis ab indocto illo homine scriptum existimat, qui tot alia in illa fabula turpiter interpolaverit. Mihi haec expeditior quam tutior ratio videtur, assentiorque Porsono atque Elmsleio, haec non in interpolationis suspicionem trahentibus. Elmsleium, qui ad Oed. Reg. 1460. ἵν' αὐτῶν προέμενος κτάνῃς τινὰ coniecit, quod repetens ad Medeae v. 1019. not. d. audacter se προέμενος, dubitanter ἵν' emendare dixit, ego quidem non debuisse προθέμενος mu-

tare, ἴν' autem confidentius positurum fuisse, si recte perspectam habuisset loci illius rationem, arbitror. Sed id alibi explicabo. In epici vero poetae versu, (Homeri autem est,) quis non statim, qui aliquem epicorum sermonis usum habeat, sic videat scribendum esse:

ὅτ' ἀμείνονι φωτὶ μάχοιτο.

Atque id distincte scriptum prostat in illo versu non solum apud Aristotelem Rhet. II. 9. et in libro de vita Homeri, qui Plutarcho tribuebatur, p. 211. ed. Ernest. sed etiam in illo ipso Plutarchi libro, unde eum affert Schaeferus, aliquot paginis post, p. 36. A. sive ed. Wyttenb. p. 133. Hinc cum recepto, uti decebat, ὅτ' inseruit Wolfius Iliad. XI. 543. Videntur haec fugisse Schaeferum etiam quum ad poesin gnomicam p. 91. manens in sua sententia, meque, opinor, dicens scripsit: *sunt qui praefracte negent; quo iure, ipsi viderint:* et mox: *nunc addo ex Anthol. Palat. II. p.* 343. *n.* 74. *v.* 9. ὅξος ἂν αἰτήσω. At hoc quod addit exemplum, quod Lollii Bassi est, pridem ego in dissertatione de praeceptis quibusdam Atticistarum p. 17. (Opusc. vol. I. p. 286) ut corruptum, una cum alio Palladae, epigr. 137, 4. in Brunckii Anal. T. II. p. 436. repudiaveram. In Palladae quidem epigrammate Brunckius ex Planude dederat:

μηδ' ἂν Ἰσοκράτεος ῥητορικώτερος ᾖ.

Sed codex Vaticanus emendate:

μηδ' ὅτ' ἂν Ἰσοκράτους ῥητορικώτερος ᾖ.

Itaque ad solum redacti sumus Lollium Bassum, cuius in epigrammate, quod apud Brunckium numero tertium est T. II. p. 160 seq. scriptum illud in anum surdam, quae quidquid mandatum esset exsequeretur perversissime, haec leguntur:

ὅξος ἂν αἰτήσω, τόξον φέρει· ἂν δέ γε τόξον,
ὅξος.

Siccine vero scripsisse poetam istum credamus? Adducatur forsitan aliquis, si eum videat vocali sequente ἦν dicere v. 3.

ἦν αὐτῇ τυροὺς ἅπαλοὺς εἴπωμεν ἐνέγκαι,

et magis etiam, si consideret hoc, v. 7.

ἦν ὀπὸν αἰτήσω, δοκὸν εἰσφέρει· ἄν, λάχανόν μοι,
εἴπω, δός, πεινῶν, εὐθὺ φέρει λάσανον.

At hoc quidem in disticho codex ἂν ὀπὸν αἰτήσω, ut ipse se poeta, si corripuisset ἂν in versu qui sequitur, refutasse videatur. Quare quid dubitabimus, quin librarii, non poetae ista scriptura sit? Corrigenda ea, nisi fallor, hoc modo:

ὅξος ἐὰν αἰτῶ, τόξον φέρει· ἂν δὲ τὸ τόξον,
ὅξος.

Patet αἰτῶ, ut in re quae quotidiani usus est, recte dici. Deinde codex ἂν δὲ τόξον. Bono ergo iure videmur contendisse, produci ἂν quod ex ἐὰν factum est. Quod quo minus quis uno alterove corrupto versu impugnare aggrediatur, aliquot placet producti exempla afferre. Ex fragmentis apud Athenaeum haec notavi: p. 100. D. 119. E. 278. B. 292. C. 305. E. 336. C. 339. A. 377. A. XI. 781. F. 782. D. (p. 1036. 1038. ed. Dindorf.) 519. A. 595. C. Apud Stobaeum autem III. 7. V. 11. IX. 9. XIX. 2. XXII. 19. 26. XXX. 4, 1. XXXV. 7. LXII. 28. LXXVI. 1. CXIII. 10, 3. CXVI. 35, 2. CXXI. 13. et in Appendice apud Gaisfordium vol. IV. 20. Reponendum ἂν pro ἐὰν CVI. 8, 14. in Menandri versu Θεοφορουμένου:

ἄνθρωπος ἂν ᾖ χρηστός, εὐγενής, σφόδρα.

de quo monuit nuper Dindorfius ad Aristoph. Vesp. 228. Tum CXVI. 35, 6. in Apollodori Lacaena:

τῷ δὲ πατρὶ πρὸς τὸν υἱόν, ἂν ἀγνωμονῇ.

Item XCI. 13, 3. in Philemonis *Πτέρυξιν*:

ἀργύριόν ἐστι· τοῦτο δ' ἂν ἔχῃς, λέγε·

nisi quis ibi praeferat editionis Trincavellianae scripturam τοῦτ' ἐὰν ἔχῃς. In Sotadis versu XCVIII. 10. quem non recte emendavi in Elem. doctr. metr. pag. 447. in quo legitur ὃς ἐὰν ᾖ, scribendum videtur:

ἀγαθός, εὐφυής, δίκαιος, εὐτυχὴς ἐὰν ᾖ.

Certe hoc veri similius, quam quo ipso quoque staret metrum, εὐτυχής τις ἂν ᾖ. Sed satis de quaestione pene ridicula.

Progredior ad ἄν potentiale. De eius mensura non arrepto temere uno atque altero exemplo, sed diligenter collectis similibus adhibitaque fide librorum dubitationem movit G. Dindorfius primo in iis quae Sophocli p. 56 seq. tum quae Aeschylo praefatus est p. 5. nuper autem plenius atque explicatius in praefatione poetarum scenicorum p. 7 seqq. Atque attulit hic exempla productionis duodecim, speciosa omnia, unum autem eiusmodi, ut vel audaciorem criticum absterrere ab emendando possit. Sed tamen si vel duplicaretur iste numerus, quid tam pauca exempla adversus millena illa valerent, in quibus particula ista correpta invenitur? Est hoc ita comparatum, ut omnes veri similitudinis fines excedat: elevaturque etiam eo, quod non pauciora aliarum reperiuntur particularum exempla, quales sunt μέν, γάρ, πρίν, quae scripturae perturbatione hic illic sic positae sunt, ut possint aliquando pro longis habitae videri. Sed tamen, si quis analogiam consideret, eas quidem quae natura longae sunt corripi interdum, ut νύν, deprehendet, non autem quae breves natura sunt longas fieri, nisi forte apud epicos alicubi propter metri rationem. Sed operae pretium

est accuratius considerare exempla illa, in quibus productum esse ἄν videbatur Dindorfio. Id faciam, sed mutato ordine eo, quo sunt a Dindorfio enumerata, adiectisque duobus aliis, quorum in uno quum ipsi Dindorfio ἄν productum debeatur, aut oblitus eius esse, aut nunc aliter de eo statuere videtur. Etenim permirum est, quod de illis duodecim exemplis septem οὐκ ἄν habent, quorum tribus, quae facillime corrigi inserto pronomine possunt, Dindorfius ipse non multum tribuebat. Ab his igitur initium faciamus.

I. (IX. Dind.) In Helena Euripidis Menelaum inter et Helenam haec disceptantur v. **1049**.

Μ. φέρε, τί δ', εἰ κρυφθεὶς δόμοις
κτάνοιμ' ἄνακτα τῷδε διστόμῳ ξίφει;
Ε. οὐκ ἄν σ' ἀνάσχοιτ', οὐδὲ σιγήσειεν ἄν
μέλλοντ' ἀδελφῇ σύγγονον κατακτενεῖν.

Sic ex Porti emendatione editum. Libri οὐκ ἂν ἀνάσχοιτ'. Et quis non verissime emendasse Portum concedat?

II. (X.) In Hercule furente quum mori constituisset Hercules, ita colloquitur cum Theseo v. **1253**.

οἴδ' οὐδὲν ὠφελοῦσί μ' ἀλλ' Ἥρα κρατεῖ.
Θ. οὐκ ἄν σ' ἀνάσχοιθ' Ἕλλας ἀμαθίᾳ θανεῖν.

Sic Barnesius, consentientibus, ut Matthiae nescio an ex comparantis silentio refert, codd. Florentinis. In edd. vett. abest σ'. Et hic quidem etiam necessarium videtur pronomen, ut de veritate emendationis non sit dubitandum.

III. (XI.) In eadem fabula v. **185**.

Λίρφυν τ' ἐρωτῶν ἤ σ' ἔθρεψ' Ἀβαντίδα,
οὐκ ἄν σ' ἐπαινέσειεν.

Sic cum Barnesio edidit Matthiae, oblitus dicere Reiskium quoque sic scribi iussisse, in edd. antiquis autem

esse *οὐκ ἄν γ' ἐπαινέσειεν*. Potuit hic quidem pronomen poni, sed potuit etiam omitti. Quare nescio an hic locus iis adnumerandus sit, de quibus nunc dicetur.

IV. (V.) Apud Aeschylum in Agamemnone v. 346. legitur:

εἰ δ' εὖ σέβουσι τοὺς πολισσούχους θεοὺς
τοὺς τῆς ἁλούσης γῆς, θεῶν θ' ἱδρύματα,
οὐκ ἂν ἑλόντες αὖθις ἀνθάλοιεν ἄν.

Cod. Venetus Bessarionis *οὐκ ἀνελόντες*. Ex Farnesiano, qui Triclinii recensionem exhibet, editum *οὐκ ἄν γ' ἑλόντες*, nec discrepare videntur Mediceus et Florentinus liber.

V. (II.) In Sophoclis Aiace v. 1336. sic loquitur Vlixes.

καὶμοὶ γὰρ ἦν πόθ' οὗτος ἔχθιστος στρατοῦ,
ἐξ οὗ 'κράτησα τῶν 'Αχιλλείων ὅπλων·
ἀλλ' αὐτὸν ἔμπας ὄντ' ἐγὼ τοιόνδ' ἐμοὶ
οὐκ ἂν ἀτιμάσαιμ' ἄν, ὥστε μὴ λέγειν
ἔν' ἄνδρ' ἰδεῖν ἄριστον 'Αργείων, ὅσοι
Τροίαν ἀφικόμεσθα, πλὴν 'Αχιλλέως.

Sic Laur. a. a prima manu, Laur. b. duo Florentini apud Dindorfium, Brunckii codices praeter membranas, codex Palatinus. Sed membranae Brunckii, codd. Mosc. a. Dresd. b. edd. Aldina et Iuntinae *οὔκουν*. Neque indigna memoratu Bothii coniectura est, prolata in Annalibus Vindobonensibus vol. XXXVI. p. 75. *οὐκ ἀντατιμάσαιμ' ἄν*.

VI. (VII.) Euripides in Medea v. 866.

ἥκω κελευσθείς· καὶ γὰρ οὖσα δυσμενής,
οὐκ ἂν ἁμάρτοις τοῦδέ γ', ἀλλ' ἀκούσομαι
τί χρῆμα βούλει καινὸν ἐξ ἐμοῦ, γύναι.

Sic ed. Lascaris cum novem codd. et scriptore Christi patientis v. 1983. Metro consultum Aldina duce per *οὐκ ἄν γ' ἁμάρτοις*.

VII. (VIII.) In Troadibus v. 408.

εἰ μή σ' Ἀπόλλων ἐξεβάκχευσεν φρένας,
οὐκ ἂν ἀμισθὶ τοὺς ἐμοὺς στρατηλάτας
τοιαῖσδε φήμαις ἐξέπεμπες ἂν χθονός.

Sic codd. Vat. 909. Flor. Havn. Vulgo cum Aldina *οὔκουν*.

VIII. (IV.) Sophocles in Antigona v. 746.

ΚΡ. *ὦ μιαρὸν ἦθος καὶ γυναικὸς ὕστερον.*
ΑΙΜ. *οὐκ ἂν ἕλοις ἥσσω γε τῶν αἰσχρῶν ἐμέ.*

Sic Aug. b. et quinque codd. Elmsleii, nisi quod unus horum *ἕλῃς* habet. Vulgo ex Aldina *οὐκ ἄν γ' ἕλοις*.

Non illud profecto de nihilo est, quod in his quinque vel sex exemplis optimi et veterrimi libri eam scripturam praebent, qua metrum vitiatur. Ex quo quamquam facilis est coniectura, si in recentioribus vel minus bonis libris *οὔκουν* vel *οὐκ ἄν γ'* invenitur, id metricorum deberi industriae, tamen non sequitur, quod vitium illi se emendare crediderunt, non esse vitium: immo, quum non sit credibile, particulam, quae apud omnis generis poetas infinitis locis corripiatur, hisce tam paucis in exemplis productam esse, de eo tantum videtur quaeri posse, rectene emendaverint metrici, an melius quid et probabilius possit inveniri. Habent exempla ista hoc commune, quod et restrictionem omnia et asseverationem admittunt. Quocirca qui in omnibus *οὐκ ἄν γε* reponeret, non faceret quod aut sententiae verborum non conveniret, aut, quum etiam optimi atque antiquissimi libri saepissime vel omittant male vel addant particulas, non valde probabile videretur. Illud enim, quod iis in locis, in quibus aliud *γε* accedit, eam iterationem quidam invenustam esse dixerunt, perperam iudicatum esse monui ad Antigonae

v. 743. possumque, si opus esset, multis exemplis ostendere. Et quis non novit illud:

ἀτὰρ οὐ μὲν σφῶΐ γ᾽ οἵω
πρίν γ᾽ ἀποπαύσεσθαι, πρίν γ᾽ ἢ ἑτερόν γε πεσόντα
αἵματος ἆσαι Ἄρηα.

Sed animum tamen advertit hoc, quod, quamvis non magnus sit numerus quinque vel sex exemplorum, tamen, quum inter se simillima sint, in omnibus peccatum eodem modo est. Ex quo veri simile est, quum γέ illud nullam ab antiquis libris fidem habeat, alium esse communem istis locis omnibus fontem erroris. Et profecto, quando nullus eorum est, in quo non aptissime asseveratio quaedam accedat, quod in uno alterove eorum Porsonus atque Elmsleius reponi voluerunt, οὐτᾶν, accommodatum est omnibus. Patet autem qua caussa in οὐκ ἄν mutatum fuerit: nam quum οὔτ᾽ ἄν scriberetur, idque videretur οὔτε ἂν esse, nec tamen sequeretur aliud οὔτε, mutatum est sic, ut sensus postulare putabatur. Et in eo quidem exemplo, quod ex Antigona allatum est, τοί particula, ut plerumque, in principio sententiae est. In caeteris οὔτοι apodosin incipit, quod quoniam ratius fit, iuvabit, ne quis dubitet, haec apposuisse ex Oedipo Rege v. 515.

εἰ γὰρ ἐν ταῖς ξυμφοραῖς
ταῖς νῦν νομίζει πρός γ᾽ ἐμοῦ πεπονθέναι
λόγοισιν εἴτ᾽ ἔργοισιν εἰς βλάβην φέρον,
οὔτοι βίου μοι τοῦ μακραίωνος πόθος,
φέροντι τήνδε βάξιν.

Et v. 851.

εἰ δ᾽ οὖν τι κἀκτρέποιτο τοῦ πρόσθεν λόγου,
οὔτοι πότ᾽, ὦναξ, τόν γε Λαΐου φόνον
φανεῖ δικαίως ὀρθόν.

Pergo nunc ad reliqua.

IX. (VI.) In Rheso v. 560. Aldina:

ἀλλ᾽ εἰ κρυπτὸν λόχον εἰςπεσὼν
διόλωλε, τάχ᾽ ἂν εἴη φοβερόν.

Quattuor codd. ἀλλ᾽ ἤ; duo ἀλλ᾽ ἦ; deinde unus εἰς παίσας. In altero versu autem duo διόλωλεν, unus ὅλωλε, duo διώλεσεν, et post φοβερὸν tres addunt μοι. Tam perturbati loci perexigua ad probandum vis est. Sunt hi duo versus, ut strophici monstrant, acatalecti. Non est autem obscurum, non opus esse dici τάχ᾽ ἂν εἴη φοβερόν, quum unus militum, qui ibi inter se colloquuntur, de longa absentia exploratoris sollicitus modo dixerit:

ταρβῶ· χρόνιος γὰρ ἄπεστιν.

Itaque, quoniam iam ad diluculum vergit nox, ut orta luce quid rei sit cognitum iri speretur, in Opusc. vol. III. p. 306. scribendum censui:

ἀλλ᾽ ἦ κρυπτὸν λόχον εἰςπαίσας
διόλωλε; τάχ᾽ ἂν δ᾽ εἴη φανερόν.

Perturbationis quum variae excogitari caussae possint, una earum haec est, ut ἦ vel ἤ in εἰ depravato, φανερὸν mutatum fuerit in φοβερόν. Sed quidquid de hoc loco aliquis statuat, tamen illud confessurum arbitror, non posse hoc exemplo productionem particulae demonstrari. Nam etiam si quis φοβερὸν tuendum putabit, in promptu est, poetam vel mediocriter exercitatum scripturum fuisse, τάχ᾽ ἄν τι πέλοι φοβερόν.

X. (III.) In Sophoclis Electra v. 314. Laur. b. unus Florentinorum apud Dindorfium, Aug. b. Palat. Ald. et aliae edd. vett. sic:

ἦ δ᾽ ἂν ἐγὼ θαρσοῦσα μᾶλλον ἐς λόγους
τοὺς σοὺς ἱκοίμην, εἴπερ ὧδε ταῦτ᾽ ἔχει.

Proxime accedit ἦ δᾶν, quod in Laur. a. prima manus scripsit, et ἤδ᾽ ἂν Florentini *I*. Sed secunda manus

in Laur. a. ἦ κἄν, quod habet Iuntina a. 1547. aliaeque edd. Chori sunt verba illa, postquam ex Electra quaesivit, domine an foris sit Aegisthus, eaque respondit ruri esse. Dindorfius interrogationis signum his verbis apposuit, ἦ δέ, quod raro in interrogatione usurpetur, in Aristophanis Avium v. 23. ab se repositum memorans. At valde dissimilis illius loci ratio est, neque apud Sophoclem, si interrogaret chorus, μᾶλλον recte addidisset. Non tamen aut vitiosa est illa scriptura, aut in metrum peccat, modo meminerit quis, si ἦ δᾶν scribatur, id esse ἦ δὴ ἄν. Erit hoc quoque aliquando in iis, quae, sicut τᾶν ex τοὶ ἄν contractum, semel in lucem protracta non amplius addubitantur.

XI. (I.) Apud Aeschylum in Septem ad Thebas v. 568. vulgo legitur:

θεῶν θελόντων δ' ἂν ἀληθεύσαιμ' ἐγώ.

Non ex omni parte verum est, quod Dindorfius in praefatione Sophoclis dicit, librorum hanc esse scripturam. Invenitur ea quidem in edd. Rob. Turn. Viet. et Brunckii cod. B. in quo ad δ' supra scriptum τ'. Cod. Lips. δ' αὖ. Ac nescio an quod ex cod. Paris. 2782. enotatum est, ἂν ἀναληθεύσαιμ', errore librarii ex coniunctis ἄν et αὖ traxerit originem. Burtonus κἄν ex Ven. affert, quo vel codicis cuiuspiam lectio vel coniectura viri docti exemplo Aldinae adscripta significari videtur. Omittunt δ' codex Brunckii A. Colb. 2. Bar. 4. Guelferbytanus, Vitebergensis, Vindobonensis A. B. D. Venetus Bessarionis, editio Aldina. Eaque, si quid video, vera scriptura est, modo recte ea utamur. Loquitur Eteocles de Sphinge, quae virum Thebanum telis hostilibus expositum tenens in scuto Parthenopaei affixa erat, auguraturque, quos Thebanis ictus imago ista portendere videatur, in ipsum, qui eam gestet, conversum iri. Id igitur rectissime faciet atque aptissime, interpunctione mutata, appictoque spiritu:

ἔξωθε δ' εἴσω τῷ φέροντι μέμψεται,
πυκνοῦ κροτησμοῦ τυγχάνουσ' ὑπὸ πτόλιν,
θεῶν θελόντων· ἂν ἀληθεύσαιμ' ἐγώ.

XII. (XII.) Alexidis fragmentum est apud Athenaeum X. p. 422. A. B. cuius partem inde repetiit Eustathius p. 1837, 20.

μάθοις δ' ἂν οἷον ἀνθρώποις κακὸν
ἔστιν ἡ γαστήρ, διδάσκει δ' οἷ', ἀναγκάζει δ' ὅσα.
εἴ τις ἀφέλοι τοῦτ' ἀφ' ἡμῶν τὸ μέρος ἀπὸ τοῦ σώματος,
οὐδ' ἂν ἀδικοῖτ' οὐδὲν οὐδεὶς οὔθ' ὑβρίζοιτ' ἂν ἑκών.
νῦν δὲ διὰ ταύτην ἅπαντα γίγνεται τὰ δυσχερῆ.

Sic versus ille, cuius mensura laborat, et apud Athenaeum et apud Eustathium scriptus est, nec quidquam variatur nisi quod Laurentianus B. *οὐδεὶς* omittit. Corrigunt in priore parte *οὔτ' ἄν*. In altera Dindorfio, si quid mutandum esset, *οὔθ' ὑβρίζοιτ' ἔτ' ἂν ἑκὼν* scribendum videbatur. Quod quum tamen parum elegantes numeros praebeat, oratioque in librorum scriptura tam plana ac nitida sit, ut non appareat, quid in vitii suspicionem adduci possit, hoc exemplum omnium maxime visum est quum emendationem omnem arcere, tum productionem firmare particulae. Sed tamen si omnino incredibile est umquam productum esse *ἄν*, per hunc profecto versum nihilo fiet credibilius. Veniat fortasse cuipiam in mentem, non prorsus negligendum esse, quod libri in principio habent *οὐδέ:* nam permutatas esse sedes negationum, quumque gravius sit *ὑβρίζεσθαι*, quam *ἀδικεῖσθαι*, sic potius scribere debuisse librarios:

οὔτ' ἂν ἀδικοῖτ' οὐδὲν οὐδείς, οὐδ' ὑβρίζοιτ' ἄν γ' ἑκών.

Verum alia, eaque aliquanto planior patet emendandi via. Nam qui meminerit, saepe librarios, quod nemini

non in scribendo accidit, verba idem significantia permutare, is, opinor, non a vero nos aberrare iudicabit, si poetam sic scripsisse contendamus:

οὔτ' ἂν ἀδικοῖτ' οὐδὲν οὐδείς, οὔθ' ὑβρίζοιτ' ἂν θέλων.

Error, antiquior Eustathio, ab hoc est repetitus.

XIII. Poterit fortasse tertium decimum exemplum ex Cratini verbis peti, quae apud Athenaeum p. 8. A. sic scripta leguntur: πῶς ἂν Ἰσχομάχου γεγονὼς Μυκονίου φιλόδωρος ἂν εἴης. In quibus quum neque dictio vacua vitio sit, neque numeri qui usitati sint inveniantur, apertum est, si haec sunt ex versibus iambicis sumpta, non aliter apto atque eleganti numero trimetros incedere, quam producta particula, sive sic distribuas:

πῶς ἂν Ἰσχομάχου γεγὼς τοῦ Μυκονίου
φιλόδωρος ἂν εἴης;

sive hoc modo:

πῶς ἂν Ἰσχομάχου γεγὼς
τοῦ Μυκονίου φιλόδωρος ἂν εἴης;

Sed tamen huic quidem fragmento quis aliquid tribuat, in quo neque constat de metro, et relinquitur illud, ut sit ex cantico depromptum, in quo trimetrum sequeretur clausula anapaestica:

φιλόδωρος ἂν εἴης.

XIV. Quartum decimum exemplum a Dindorfio illatum est fragmento Menandri apud Athenaeum VIII. p. 364. E. ubi is quod libri habent ἀνελεῖν in ἂν ἑλεῖν mutavit, cuius ego mutationis caussam non perspicio, nec video quid ad emendationem fragmenti non leviter corrupti conferat. Sed operae pretium est versus illos, qui fuerunt in Μέθῃ, accuratius considerare.

Εἶτ' οὐχ ἅπαντα πράττομεν καὶ θύομεν;
ὅπου γε τοῖς θεοῖς μὲν ἠγορασμένον
δραχμῶν ἄγω προβάτιον ἀγαπητὸν δέκα,
αὐλητρίδας δὲ καὶ μύρον καὶ ψαλτρίας,
Μενδαῖον, Θάσιον, ἐγχέλεις, τυρόν, μέλι
μικροῦ ταλάντου γίγνεται τὸ κατὰ λόγον.
δραχμῶν μὲν ἀγαθὸν ἄξιον λαβεῖν δέκα
ἡμᾶς, ἐὰν καὶ καλλιερηθῇ τοῖς θεοῖς·
τούτων δὲ πρὸς ταῦτ' ἂν ἐλεῖν τὴν ζημίαν,
πῶς οὐχὶ τὸ κακὸν τῶν ἱερῶν διπλάζεται;
ἐγὼ μὲν οὖν ὧν γε θεὸς οὐκ εἴασα τὴν
ὀσφῦν ἂν ἐπὶ τὸν βωμὸν ἐπιθεῖναί ποτε,
εἰ μὴ καθήγιζέν τις ἅμα τὴν ἔγχελυν,
ἵνα Καλλιμέδων ἀπέθανεν εἷς τῶν συγγενῶν.

Sic editio Dindorfii. Priores sex versus attulit Athenaeus etiam IV. pag. **146**. D. ubi v. 1. recte legitur *ὅμοια* pro *ἅπαντα*, v. 5. autem *ταύτας* pro *Μενδαῖον*, et v. 6. in cod. Pal. ed. principe et Casauboniana *τάλαντον*, quod iidem libri etiam in altero Athenaei loco praebent, in quo reliqui versus non alia cum varietate scripturae exstant, quam quod v. 7. illi quos dixi libri *ἀγαθῶν* praebent, v. 8. *καὶ* ex optimo cod. Ven. accessit, v. 11. in Laurentiano *ὧν* deest, et v. 13. ed. princeps et Casauboniana *ἅμα καὶ τὴν ἔγχελυν* habent. Infeliciter tractavit hos versus Grotius in Excerptis p. **733**. nec quidquam, quod laude dignum sit, a quoquam allatum video, praeterquam v. 11. ab Reisigio *ὧν γ' ὁ θεός*. In quinto quidem versu dubitari non potest, quin et *ταύτας* et *Μενδαῖον* inepta sint supplementa. Requiritur enim necessario participium casu dativo, in quo tamen inveniendo non ultra hariolationem progredi licet. Deinde, nisi ante septimum versum excidit aliquis versus, verbo opus esse patet, ex quo qui sequuntur infinitivi pendeant, si quidem aperte *πῶς οὐχὶ* apodosin incipit. Ab noni ver-

sus sententia, mala emendatione facta, longe aberravit Grotius, quum vertit:

cum quo si sumtus reliquos comparaveris.

Neque enim obscurum est, decem priorum versuum hanc esse sententiam: *et tum non aeque nobis bene est atque sacra facimus? quandoquidem diis vix decem drachmis emptam oviculam duco, tibicinas autem, unguentum, fidicinas, Thasium, anguillas, cascum, mel comparanti pene talentum fit ratio. Bonum quum decem drachmarum accipere nos aequum sit, si sic rite diis sacra fiunt, pro illis autem ad haec etiam multari, quomodo non duplicatur pro sacris malum?* Ex his consequitur, hoc fere modo versus illos scribendos esse:

εἶτ' οὐχ ὅμοια πράττομεν καὶ θύομεν;
ὅπου γε τοῖς θεοῖς μὲν ἠγορασμένον
δραχμῶν ἄγω προβάτιον ἀγαπητὸν δέκα·
αὐλητρίδας δὲ καὶ μύρον καὶ ψαλτρίας
συνάγοντι, Θάσιον, ἐγχέλεις, τυρόν, μέλι,
μικροῦ τάλαντον γίγνεται τὸ κατὰ λόγον.
δραχμῶν μὲν ἀγαθὸν ἄξιον ὂν λαβεῖν δέκα
ἡμᾶς, ἐὰν καὶ καλλιερηθῇ τοῖς θεοῖς,
τούτων δὲ καὶ πρὸς ταῦτ' ἀνελεῖν τὴν ζημίαν,
πῶς οὐχὶ τὸ κακὸν τῶν ἱερῶν διπλάζεται;

Ἀνελεῖν dixit tamquam de praemio: τούτων de utroque dictum videtur, quod et in sacris sordide parci, et suas in voluptates effuse prodigi sint. Hinc, ubi τὸ κακὸν τἀγαθοῦ διπλάζεται exspectari poterat, τῶν ἱερῶν dixit.

De his quattuordecim producti ἄν exemplis si probabiliter disputavimus, cautum videtur, ne, si quae forte alia reperiantur, deterreant criticos ab emendando. Illud non supervacaneum erit addidisse, Alexandrinis quo-

que, quamvis abstrusorum amantissimis, ignotam fuisse productionem istam. Aliter non scripsisset Lycophro v. 521.

> *οὐκ ἄν, τὰ χειρώνακτες ἐργάται διπλοῖ,*
> *Δρύμας τε καὶ Πρόφαντος, ὁ Κρώμνης ἄναξ,*
> *ἐλατύπησαν κοιράνῳ ψευδωμότῃ,*
> *ἓν ἦμαρ ἀρκέσειε πορθηταῖς λύκοις*
> *στέξαι βαρεῖαν ἐμβολὴν ῥαιστηρίαν.*

VIRO SVMME REVERENDO

ATQVE ILLVSTRI

CHRISTIANO DANIELI BECKIO

ACADEMIAE H. T. RECTORI MAGNIFICO

THEOL. ET PHILOS. D. GRR. ET LATT. LITT. P. P. O. POT. REG. SAXON. A CONSIL. AVL. ORD. SAXON. VIRT. CIV. EQVITI. VNIVERSIT. LIPS. NATIONIS SAX. ET ORD. PHILOS. SENIORI. ACAD. DECEMVIRO. BIBLIOTH. ACAD. PRAEFECTO ALVMN. REGG. EPHORO. SEMIN. REG. PHILOL. DIRECTORI. COLLEG. MAI. PRINC. COLLEGAE. SCHOLAE SVRDD. ET MVTT. PRAEFECTO. SOCIETT. REG. SAXON. ANTIQVIT. PATRIAE IABLONOV. TEVTON. NATVRAE HISTOR. ET OECONOM. LIPS. REG. MONACENS. ALIARVMQVE EXTERARVM SODALI. ACADEMIAE IMPER. ROSS. PETROPOL. SOCIO HONORARIO

VIII. MAII A. MDCCCXXIX

DIE SEMISECVLARI

A SVSCEPTO

MVNERE DOCTORIS ACADEMICI

GRATVLATVR

VNIVERSITAS LITTERARVM LIPSIENSIS

Certa prudentem manet atque fortem
Palma, solatrix vigilum laborum,
Qui neque exortis subito procellis
Haesitat amens,

Nec mari fidens placido, propinqui
Littoris iamiam tenuisse portum
Sperat, extremo glomerata temnens
Nubila ponto.

Perdidit multos animi calentis
Impetus, frenoque nimis remisso
Praepes incauto volitans ab ore
Liberior vox;

Perdidit torpens alios veternus,
Otiumque ignavum, et inops parati
Consili pectus, trepidusque vanis
Terror ab umbris.

Providae menti stat honos ubique, et
Vtilis vivit patriae sibique,
Qui citam callens segetem fugacis
Corripere horae,

Parcior somni neque sumptuosis
Assidens coenis, diuturniores
Strenuus confert ad amica Musis
Scrinia gazas.

Tu doces, Becki. Tibi se quis aequet,
Quum memor longa serie revolvis
Acta seclorum et celebrata prisco
Nomina mundo,

Bellaque et reges variamque sortem
Gentium insignesque viros et ausus
Nobiles narras; trutinaeve iusto ex-
amine pensas,

Quid recens aetas hominum elaboret,
Nunc petens finem iaculo negatum
Debili, nunc in tenebras inertes
Caeca relabens;

Helladis vel quid lateat vetustis
Abditum chartis, populusve monstras
Romuli ut Graias imitetur artes
Ore Latino.

Vnde divinas tabulas recludis
Fidus interpres, liquidique fontis
Haustibus magni genuina pandis
Iussa magistri,

Saepe fucata vitiata fraude,
Saepe vesanis temerata rixis,
Quum furor saevus stimularet et fa-
naticus error.

Idem ades rectique bonique suasor
Rebus in cunctis, monitorque acuto

Callidus verbo vitium atque inanes
Tangere nugas.

Perge: nam vires tibi non senectus,
Non labor fregit sapienter uso,
Nec fatigaris graviora semper
Pondera tollens,

Altera qui post decimam decorus
Purpura, Rector bene nota gestas
Sceptra, quo rerum nova te nitescat
Praeside forma.

Hinc ferens grati pia signa cordis
Te suum longis celebrat catervis
Civitas nostra, et bona vota puro
Nuncupat ore;

Nuncupant, (nam quas tua non ad oras
Fama clarata est?) simul orbe toto
Qui recordantur numero carentes
Docta magistri

Dicta, quum sedere avida bibentes
Aure concinnae nitidum loquelae
Flumen et salso bene temperata
Seria risu.

Sint tibi fructus placidi laborum,
Sit virens longo spatio senecta, atque
Impigre quinos decies per annos
Munere gesto

Posterae vivas memorande genti,
Qualis aerumnae patiens Vlixes,
Diva quem vafris celerem repertis
Pallas amavit,

Per mare et terras variis vagatus
Casibus, tandem patriis in arvis
Filio duxit sociaque dulcem
Coniuge vitam.

INDICES

OPVSCVLORVM

POST LIBROS DE PARTICVLA ἄν.

INDEX GRAECVS.

A

Αἴζαον 245.

αἰζαὸς 245.

ἀληθής, *immemor, non oblivicendus* 331.

ἄν pro ἐάν non corripitur 373. seqq.

ἄν potentiale non producitur 377. seqq.

ἀνατιμᾶν 312.

ἀόκνη 241.

ἀπευθὴς 240.

ἀπίθανος 251.

ἀπονεὶ 324.

ἀποτάσσεσθαι 250.

ἄρα syllogisticum non initio ponitur 358.

ἀρειθύσανος 283.

Ἄριος 338.

B

Βαττὶς 249.

Βιττὶς 249.

Γ

γογγύλος et στρογγύλος permutata 280.

Δ

δυσθνήσκειν 359.

E

ἐάν ultimam longam habet 373. 376. 377.

εἰοίκε cum indicativo 248.
ἐν, ἐνὶ in pede tertio versus heroici 223.
ἐπί. ἐφ' ἡμῶν 302.
ἐπιδέμνιος 359.

H

ἦ τάχα 370.
ἠϊῶν fluvii 210.
ἦν cum optativo 361.

I

ἰηλεμίστρια 338.
ἱππάκη 274.

K

κεραυνὸς 268.

Λ

Λεκτόν, Λέκτον 247.
λογιστικὴ 228. seq.
λυκοδίωκτος 340.

M

μαραυγεῖν 268.
μὲ male ὀρθοτονούμενον 219.
Μελισσήεις in Helicone 212.
μεταχείριος 317.
μῆκος, *latus quadrati* 236.
μουσοπολεῖν 243.

O

ὅμορος 246.
ὁμοτέρμων 247.
ὁμούριος 246.
οὔνεσθαι 321.
οὗτοι in apodosi 368.
ὀφρύς, *ripa* 242.

Π

παντοτρόφος 267.
πέμφιξ 276.
πλινθὶς 236.
πλίνθος 236.
πολιὸς 244.
πρυλέες 287. seqq.
πρύλις 290.

Σ

σσὸς terminatio 351.
στρογγύλος et γογγύλος permutata 280.

T

τεθνὼς 313.
τοὶ in apodosi 368.

X

χαλκοκέραννος 267. seq.
χαλκομάραγος 268.

Ω

ὦ quomodo construatur 368.

INDEX LATINVS.

A

Amphibius 249.
Areopagi iudicia capitalia 299. seqq.

G

Gabii 273.

H

hyperbole 284. seqq.

I

inscriptiones quomodo tractandae 303. seqq.
Io: eius errores 274. seq.

S

Spondei in versu heroico Nonni sectatorum 210. seq.

T

trilogiae 254.

V

versus heroicus Nonni sectatorum 210. seq.

INDEX SCRIPTORVM.

Aeschylus Prometheo 262. seq. 265. 275. 334. 356. 367.
Septem ad Thebas 335. 383.
Persis 335. 363.
Agamemn. 336. 379.
Choephoris 337.
Eumenidibus 339.
Supplicibus 339.
Prometh. soluto 253. seqq.
eius tres Promethei 253.
Alexis apud Athenaeum 384.
Antistius 361.
Apollodorus Lacaena 377.
Apollonidas 370.
Archimed. epigramma 228. seqq. et in praefatione
Aristophanes Avibus 269.
Vespis 369.
Aristoteles in rhetor. 292. 295.
Attius vertit Prometheum vinctum Aeschyli 275.
Bion in quinto idyllio 358.

Callimachus 278.
Ciceronis versio orationis ex Aeschyli Prometheo soluto 270.
Coluthus 205—227.
Cratinus 385.
Demetrius de elocutione 292.
Demosthenes in Aristocratem 300. 359.
Dionysius Hal. in rhetorica 351. 352. 357.
Epigramma incerti scriptoris 288. seq.
Epigrammata in lapidibus 303. seqq.
Euripides Hecuba 360.
Medea 379.
Iphigenia in Aulide 374.
Iphigenia in Tauris 364.
Troadibus 380.
Helena 378.
Hercule furente 368. bis.
Rheso 382.
Galenus 376. seq.
Hermesianax 239. seqq.
Hesychius 245.
Hippocrates 362.
Homerus Iliad. β. 357.
δ. 297.
ε. 286. 291. 296. 297 bis.
λ. 289. 374. seq.
μ. 237. 289.
ν. 296. 297.
π. 366.
Odyss. α. 369.
λ. 297.
Lollius Bassus 375.
Longinus 294.
Lucianus Charidemo 352.
Timone 298. seq.
Lucilius apud Festum 290.
Lysias 301. seq.
Maximus 361. seq. 370.
Menander Θεοφορουμένῳ 376.
Μέθῃ 385. seqq.
Nicander tertio Aetol. 247.
Nonnus in paraphrasi Ioannis 317.
Orpheus Argonauticis 370.
Lithicis 362.
Palladas 375. seq.
Paulus Silentiarius 286. seq. 364. seq.
Philemon 373. bis.
Πτέρυξιν 377.
Pindarus fragm. 331.
Plutarchus Pompeio 281.
Quintilianus 292. seq.
Sappho 298.
Scholiastes Aeschyli Prom. 260. seq. 263.
Homeri ad Il. ε. 288.
Platonis 228. seq.
Sophocles Aiace 379.
Electra 382.
Antigona 361. 363. 367. 380.
Oedipo Coloneo 356.

Sophocles Trachiniis 355.
Colchidibus 277.
Phaedra 361.
Salmoneo 277.
Tyrone 359.
Sotades 377.
Synesius 286. seq.
Tryphiodorus 211.
Xenophon Anabasi 358.
Oeconomico 359.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED